Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Elzevier.

KW 224
G 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

METAMORPHOSIS ANGLORUM,

SIVE

MUTATIONES

VARIÆ

REGUM, REGNI,

RERUMQUE

ANGLIÆ.

OPUS

HISTORICUM

ET

POLITICUM,

Ex variis fide digniſſimis Monumentis ac Auctoribus contextum, ad hæc uſque tempora deductum, memoriæque poſteritatis æternæ conſecratum.

ANNO. CIↃ IↃ CLIII.

Koninklijke Bibliotheek 's Gravenhage

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

PRÆPOTENTIBVS
ILLVSTRISSIMISQVE
FOEDERATI BELGII
ORDINIBVS
GENERALIBVS,

QVIBVS PRIVS NIHIL, ANTIQUIVS NIHIL UNQVAM FVIT, QVAM SALVA SARTAQVE, VICINARVM INPRIMIS TOTQ; FOEDERATARVM, GENTIVM PACE, SVAM SVORVMQVE FORTITER, ET, SINGVLARI DEI IMMORTALIS, FAVENTIS JUVANTISQVE HACTENVS BENIGNITATE AC PROVIDENTIA, FELICITER TUERI, QVEMADMODVM FORTITER AC FELICITER, ET PRÆTER OMNIVM EXSPECTATIONEM, TVENTVR, HACTENVS, VERIS ACCINCTISQVE IAM PATRIÆ PATRIBVS,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

EIVSDEMQVE HOSTIVM HOSTIBVS, POST JURA GENTIVM, POST OMNIA PACIS CONSILIA, ETIAM PER SPLENDIDISSIMAS, SED IN NVLLVM REI USVM, LEGATIONES SÆPIUS OBLATA, AD BELLVM, IN IPSA IAM PACE, PRÆTER OMNEM, OMNIVMQVE ADEO, EXSPECTATIONEM COACTIS COMPVLSISQVE, HANC METAMORPHOSIN ANGLORVM, SIVE IN BREVI QVASI TABELLA EXPRESSAM OLIM HODIEQVE INQVIETÆ IMPACATÆQVE PLEBIS IMAGINEM,

D. D. D.
EDITOR
ÆTERNITATI PACIQVE
EORVM IMPERII
DEVOTISSIMVS.

META-

METAMORPHOSIS ANGLORVM, SIVE MUTATIONES VARIÆ REGVM, REGNI, RE-RVMQVE ANGLIÆ.

Opus Hiſtoricum & Politicum ex variis fide digniſſimis Monumentis ac Auctoribus contextum, ad hæc uſque tempora deductum, memoriæq; Poſteritatis æternæ conſecratum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

METAMORPHOSIS ANGLORUM, SIVE MUTATIONES VARIÆ REGUM, REGNI, RERUMQVE ANGLIÆ.

CAPVT I.

A diluvio per inſulam Νευχαβιησι *Regumque, juxta Beroſi & Manethonis ſcripta, Series.*

IN confeſſo eſt apud omnes, quibus ſupercœleſtis ſacrarum literarum veritas innotuit, poſtquam ob humanam in Creatorem omnium pertinaciam & ingruentia filiorum Adæ peccata univerſali cataclyſmo terreſtrem iſtam ſuperficiem penitus ac merito obruiſſet ille Deus Opt: Max. genus tamen humanum ex æterno & ſummo illius propagandi amore illum ipſum (cujus providentia Noah cum filiis arca in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

cluſum ab aquarum voragine protexit) rurſus ac majore tandem numero in telluris partes cæteras (cujus uno ſolum angulo homines ſunt antea uſi) diffuſo reſtauraſſe. Quod cum divinus ille Hebræorum Philoſophus in ſacram contexuerit Hiſtoriam, ut primum infinita numeri ternarii Elohim ineffabilis potentia microcoſmum fuiſſe creatum, ita & naturali trinæ Noahæ proſapiæ & ſeminali vi macrocoſmi centrale punctum, microcoſmis quaſi reſperſum oſtendit. Totius enim ævi ſubſequentis ſtemmata poſt diluvium à filiis illis Noahæ, *Sem*, *Ham*, *& Iaphet*, ſunt deducenda. Quibus & eorum prognatis genealogice enumeratis, *Gomer*, *Magog*, *Madai*, *Iavan*, *Tubal*, *Meſech*, *& Thiras*, Iapheti filios, eorumque poſteros *diviſiſſe inſulas gentium* (quas Europœas fuiſſe cum Theologis volunt hiſtorici) *unumquemque juxta linguam ſuam & juxta familias ſuas in nationibus ſuis* Moſes ſcriptum reliquit. Cum autem plurimæ gentes per occiduam mundi plagam nomina ſibi tanquam patronymica ab iiſdem Iapheti poſteris ſint adeptæ, nec quidem defuturum fore nomen, viſum eſt antiquitatis ſtudioſiſſimis ſcrutatoribus, quo veros Britanniæ primos incolas conſtituendi conjectura niti poſſit. Ut enim Magog, Ioſepho, teſte; Maſſagetas, Iavan, Jones, Thubal Hiſpanos, Meſech, Moſchos cum eorum nomine primum ediderit; ſic & *Gomerum* *Gomeræorum*, *Cimbrorum*, *Cimmeriorum Cambrorum* ſive *Kumerorum* (idem enim apud antiquos, Britannos etiam æque ac Gallos ſignificarunt iſta nomina) fuiſſe authorem primumque parentem maxime ſane probabili conjectura *G. Camdenus Clarentius* gentis Anglicæ ac Britannicæ lumen multorum antiquorum ſcriptis in ipſamet re edoctus luculenter probavit. Cujus elaboratum, ac poſteritate ſummis dignum chorographicum opus gratiis editum ple-

Geneſ. 10, *Joſeph. Antiquit. Iud. lib.* 1.

roſque

roſque in ſuam ſententiam (temere enim quis tanti viri lucubrationibus aliquatenus detraxerit ?) pedibus ire perſuaſit. Jam vero ſi fide dignis tantum teſtimoniis monumentiſque antiquorum authentica conſignatis cenſura Epitomen iſtam; ad civilem Britannorum ſive incolarum iſtius Inſulæ adminiſtrationem demonſtrandam, componeremus, aliaque ſuſpectæ fidei rejiceremns, certe ab iſto Gomero pluſquam duorum millium annorum lacuna incideret, quos μυθοπλαστῶν ac impoſtorum fictitiis de Britannia ſcriptis, ad modum tamen hiſtoriæ veſtitos fuiſſe eruditiſſimi viri ſuſpicantur. Celtarum enim Reges illos) quos Britanniæ maritimos incolas gubernaſſe ſcribunt) Noahæ nepotes, quos Beroſus in antiquitatibus ſuis Chaldaicis enumeravit, fabuloſos cum Albione Neptuni filio ab Hercule interempto, fuiſſe, hiſtoriam item ipſam adulterinam magni judicii viri cenſuerunt. At & illi alteri quam è Britannico idiomate in Latinnm tranſtulit Galfredus Monumethenſis, cujus prima ab illo Bruto ſunt auſpicia tanta inter doctiſſimos quoſdam eſt injecta ſuſpicio, ut quidam illum è Trojano ſanguine natum, modeſte, ſalvo tamen cuique ſuo judicio reliquerint, alii prorſus ut ſuppoſititium exterminarint, quos adverſus aſperrime æſtuantes alii poſtliminio ut rediret enixe laborarint. Ex quo, priuſquam ad ea quæ Iulii Cæſaris induſtria ſunt explorata peruenimus, veri aut certi quidpiam, cujus à nemine fides fuerit delata, non habemus. Cum vero non ſolum, quæ veritati ſunt proxima, ſed & quæ poetica redolent ingenia; ab optimis antiquiſque ſcriptoribus (ut non ſolum veri, ſed & vulgi opinionum compos fieret poſteritas) operibus eorum ſint intertexta; Egone (qui, ut par eſt, de iſtis judicium iis permitto, quorum cœleſti themate fœliciores Saturnus radios bene poſitus ad Jovem item & Mercurium ejaculatus eſt) temere Beroſi authoritatem aut Galfredi contemnendam ducerem?

rem? Egone etſi fortaſſe fido minus dignos ipſos, ſcripta tamen eorum cognitu indigna homulus judicarem? Abſit ut ceratis ope Dædalea pennis tantum opus niterer. Scribam ergo ſuccincte collecta, quæ tradiderunt illi, quæ alii. Enimuero liberum per me cuique eſto judicium.

Diffluxiſſe certe (ut altius rem repetamus) ab urbe omnium prima (quam extruxit Cam) Henochia gigantes (quos quid aliud fuiſſe credendum eſt quam *hominum quandam impiam gentem Deos*) ut ſcribit Macrobius (*negantem & ideo æſtimatam Deos pellere de cœleſti ſede voluiſſe*?) quorum imperium iiſdem quibus ſolis curſus terminis eſt concluſum in terrarum Orbis fines ſcribit Beroſus quos ſimul noſtram appuliſſe inſulam putat noviſſimus illæ hiſtoriæ Britannicæ ſcriptor Richardus Vitus, quod etiam illam oraculi partem

—— *habita gigantibus olim,*

Bruto vult deſignaſſe. Nec magis iſtud abſonum vero, quam quod ex Hybrunenſium hiſtoriis prodidit Giraldus Cambrenſis de Cæſara Noahæ nepte; cui cum prædiceretur diluvium in proximo futurum, ad remotiſſimas (de inſulis, utrumve navicularum uſus Noahæ præceſſerit diſputent quorum è re eſt;) occidentis inſulas, quas necdum quiſquam hominum habitaverat, fugam navigio deſtinavit primo ante diluvium anno ad Hybernica littora devenit, tumulumque Cæſaræ exinde denominatum fuiſſe ſcripſerunt. Nixis autem iſtis (quantum ad nos ſpectat) exili conjectura, tandem ad ea quæ ad hiſtoriolam primo deducendam ſunt qualiacunque inſtrumenta noſmet conferamus.

Macrob. lib. 1. *Saturnal. Vit. hiſtor. Brit. lib.* 1.
Silveſt. Girald. Typograph. diſt. 3. *cap.* 1.

San-

Sancito ſeu rapto potius à Nembroto (rectius Nimrodo) Orientalium imperio, quem fortis ſub nomine venatoris tyrannum fuiſſe dictum ajunt Theologi; Chaldaicarum ille ſcriptor antiquitatum, Samothen quendam ſcribit, cui & Dis nomen (cujus inter alios maxime enituit ſapientia) regnum ſibi Celtarum in Gallia (Gomeri poſterorum) obtinuiſſe; hujus imperio adiacentem Britanniam ſabiacuiſſe nomenque *ſamotheam* ſortitam fuiſſe. Quem excepit filius ejus Magus, nec tamen exinde denominatus, unde Perſarum ſummi apud Ciceronem, Strabonem, Plinium & alios, philoſophi, ſed (ſi Annio de Viterbo ſit credendum) quod oppida plurima Celtis conſtruxerit cum Scythica (ſimul & Hebraica) lingua Magog tecta interpretetur. Huic ſucceſſit Sarron filius, bonarum literarum amator, maximuſque Gallos inter & Britannos (quatenus ætas illa tulerit) reſtaurator ſubſecutus eſt Druis, cujus opera ſumma ea quorum pater ejus fundamenta in Muſarum Republica promovenda collocaverat, maxime ſunt propagata. Bardo filio regium ſolum reliquit iſte; muſicæ ac poëticæ cujuſdam generis ajunt Bardum authorem quod inferius plenius oſtendetur. Regnavit deinde Longho; quem filius ejuſdem Bardus excepit, quem Lucus; cui Celtes, à quo Celtæ ſunt denominati, ſucceſſit. Hercules autem Oſiridis filius, qui Lybius dictus eſt, cum per Italiam regiones Celtarum adiiſſet, è puella quadam Galathea filia principis adamata filium Galathea nomine ſuſcepit (à quo Galli) qui, poſt Celten & parentes ſuos, imperii oneri ſuccubuit Secutus eſt Lugdus, hunc Beligius filius: cujus mors recte Heraclidarum lineæ terminos impoſuit. Ordinum ergo conſenſu evectus eſt in imperium Iaſius Italorum princeps, Herculis tamen è proximis & propinquis; huic na-

Iſtius libri cap. 4.

rus eſt Corybantus, cui ob Herculeam ſanguinis dignitatem in imperio Allobrogem (cujus imperii fines Pyrenæis montibus extremiſque Rheni fluminis finibus terminabantur) anteponendum duxerunt. Beroſi ſunt iſta. Quibus tanquam ſupplementum Manethon Ægyptius adjungens Remum Allobrogis filium proxime regem Celtarum ſalutavit. Sequitur inde Paris, cui ſuccedaneus Lemannes, cui Olbius, qui Galathen reliquit imperii heredem, quem excepit Namnes, Namnethem Rhemus, hujus unica filia Phranico è ſanguine Hectoris elocata, Regni jura marito ſuo, patre demortuo, deferebat. Qui cum Druidibus ſummæ Reip. adminiſtrationem, dum ipſe viveret Pannoniæ, delegaſſet, Britanni novum ſibi Regem Brutum felicibus auſpiciis inſulam aggreſſum ſalutaverunt. Quod altius juxta Galfredi Arthurii fidem, aliorumque, quibus hiſtoria iſta maxime viſa eſt complacere, teſtimoniis repetemus.

CAP. II.

Stemma Bruti & progenies: (Monumethenſis fide) ut inſulam eſt aggreſſus; ut ejus poſteri ad I. Cæſaris adventum eandem adminiſtrabant.

EXciſis Trojanorum rebus, Lavina petiiſſe littora Æneam, regnumque ibidem profligato Turno Laviniaque Latini Regis filia ſibi in matrimonium ducta poſteris ſuis conſtituiſſe Virgilius pariter ac Livius ſunt ſatis teſtimonio. Aſcanius iſtius filius ſuſcepit prolem (à quo Sylvii reges ſunt dicti) Sylvium, cujus uxore (Laviniæ ſcilicet nepte) jam

Liv. lib. 1.

gra-

gravida, conſuluit Aſcanius (juxta Calfredum Arthurium) magos maremne an fœminam Sylvii uxor parturiret; cui datum à magis reſponſum gravidam illam eſſe filio qui patri pariter ac matri mortem inferret, pluribus terrarum finibus peragratis ad ſummum tandem honoris culmen perveniret. Cum tamen adverſus Livium, Æneæ fuiſſe poſthumum illum Sylvium è Lavinia in ſylvis tugurio Tyrri ſubulci regii natum, Aſcaniique fratrem non filium, Dionyſius Halicarnaſſeus, & Servius Honoratus ad ſextum Æneidos tradiderint. Prædixit ſiquidem Anchiſes apud Virgilium Æneæ

——— primus ad auras
Ætherias Italo commiſtus ſanguine ſurget.
Sylvius, Albanum nomen, tua poſtuma proles:
Quem tibi longævo ſerum Lavinia conjux.
Educet ſylvis regem, regumque parentem.

Rex etenim ipſe Æneam reliquit Latini regni heredem filium, Britannorum item primi regis parens; Bruti ſcilicet Æneæ Trojani nepotis, qui quod matri puerperio, patri quoque infeliciter in cervum ſagitta collimata (quod ſcribit Galfredus) fuerit mortifer Brotus ἀπὸ τοῦ Βροτοῦ à Richardo Vito eſt denominatus. Profectum deinde Brutum Græciam, ſociis itineri commodum conquiſitis, reliquias Dardanium Heleni nempe filii Priami progeniem Pandraſi regis ſub imperio ſervitute oppreſſam ſcribunt comperiſſe. Addunt & hoc, agnito utrinque conſanguinitatis vinculo precibus victum eouſque tandem deveniſſe, ut vindicandæ ſanguinis ſui libertatis ducem & authorem libentiſſime ſe præberet. Inito prælio, Aſſaraci aliorumque è Trojanorum ſtemmate copiis

Galfred. Monu. lib. 1 cap. 2. Dionyſ. Halicarn. antiq. Rom. lib. 1. cap. 2. Virg. lib. 6. Æneid. Baſingſtoch. in not. ad. lib. 2. hiſtor. Britan.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

adiutus Pandraſum devicit, cepit. Nempricii vero conſilio, ne vindictæ à poſteris hoſtium expectandæ ſubiret periculum, pretium Pandraſi libertatis in hoc ſolum conſtituit, ut pauca ſcilicet quæ peteret ſimul & ab eodem impetraret. Petiit ergo poſt diſcedendi è Græcia veniam, primogenitam filiam regis Ignogem ſibi conjugem, petiit ſibi aurum, argentum, naves, frumenta, itinerarioſque commeatus: quæ neceſſitate ſimul ac tanti Ducis virtute commotus omnia lætus rex concedere non moratur. Navibus trecentis viginti quatuor paratis, omnibuſque rebus quæ ſæviente Neptuno ſeu Æolo turgeſcente ſunt mortalibus adiumento, onuſtis littoreque deductis feliciter Græcia Troes cum Ignoge abſcedunt tridui fere ſpatio Legreciam inſulam à piratis devaſtatam appulerunt. Exploratores trecentos immiſit Brutus, qui ferarum onuſti præda quas occiderant reverſi Dianæ templum cum imagine Deæ, quæ petentibus forte oracula daret, ſuas ibidem habere ſedes renunciabant. Sociorum habito conventu, ſecum aſſumptis Geryone augure duodecimque majoribus natu comitum, adiit templum Deæ Sacrificio neceſſariis ſimul adhibitis, circundatis tempora vittis, veterrimo primum ritu trino numini, Iovi ſcilicet, Mercurio, & Dianæ tres focos compoſuerunt, ſingulis ſingula libamina dederunt. Brutus ipſe ante aram carcheſium vino & cervæ candidæ ſanguine coronatum dextra tenens erecto vultu effigiem numinis alloquitur;

Diva potens nemorum, terror ſilveſtribus apris,
Cui licet anfractus ire per æthereos,
Infrenaſque domos: terreſtria jura reſolve,
Et dic quas terras nos habitare velis.

Victimam Dianæ cervam antiqui immolabant.
Ovid. I. Faſtor. Quæ ſemel eſt, &c.

Dic

Dic certam ſedem, qua te venerabor in ævum
Qua tibi virgineis * *templa dicabo choris.*

Novies iſta dixit, quaterque aram circumivit, profuſo deinde vino in focum, ſuper ceruæ pellem, quam ante aram extenderat, procubuit, dulcique horæ tertiæ noctis ſomno obdormienti reſponſum Deæ, ut phantaſma, ſeſe obtulit:

Brute, ſub occaſum ſolis trans Gallica regna
Inſula in Oceano eſt undique clauſa mari.
Inſula in Oceano eſt habitata Gigantibus olim,
Nunc deſerta quidem gentibus apta tuis.
Hanc pete, namque tibi ſedes erit illa perennis:
Hæc fiet natis altera Troia tuis.
Hic de prole tua reges naſcentur, & ipſis
Totius terræ ſubditus orbis erit.

Suſpicatur carminum antiquitatem Belleforeſtus, quod latine ſupponunt dediſſe Dianam reſponſa; Cum, tametſi linguam callentibus ſanctam Hebraice Diabolum loqui ſolitum annotarint quidam, Gentibus tamen antiquis quos inter Hellenica lingua maxime floruit, oracula Græce edita fuiſſe ſit certiſſimum. Apollinem enim latine nunquam fuiſſe locutum ſcribit Cicero. Quorum autem ſub clypeis latet hiſtoria Bruti, verſionem eſſe tantum ajunt è Britannica lingua (ſermonem *curvum Græcum* appellant) per Gildam aut Monumethenſem in Latinam. Fiducia vero oraculi, poſt mutuum inde conſilium, freti Trojani naves repetierunt, fluctibus ſe commiſerunt, è variis caſibus tandem emerſi ad mare Tyrrhenum pervenerunt; juxta cujus littora Dardanidæ qui Antenoris fugam ſunt comitati ſedes ſuas collocarant. Quos inter Dux ſummus fortiſque Corineus Bruto fit Comes; Per Gallias tranſituri Groffaruim Aquitaniæ Principem devincunt, Turo-

* *Dedico templa choris apud Pontic. Virum. Cicero libr. 2. de divinat. Pontic. Virunnius lib. 1.*

num civitatem condunt, feliciter tandem Torneſium Britanniæ littus (in Danmoniis poſitum) adnavigant. Brytones jam primum ſuum ſortitos fuiſſe nomen, jam primum idioma linguæ Britannicum fuiſſe dictum, jam primum inſulam ab iſto rege Trojano Britanniam appellatam, jam Corineum illum, gigantem, neſcio quem, Gogmagot lucta deviciſſe, Cornubiam denominaſſe ſcribunt. Regni jus cum ſanciviſſet Brutus tres tandem filios ſuſcepit Locrinum, Albanactum & Kambrum qui, mortuo vigeſimo quarto imperii ſui anno patre, totam Britanniam ut herciſcundam familiam diviſerunt. Locrino media pars obtigit inſulæ que poſtea dicta Loegria; Kambro provincia quæ Gallia; ultra ſabrinam hæc ſita Kambriæ item nomen obtinuit, Albanacto Albania, quæ jam Scotiæ finibus terminatur. De mortuis Albanacto ſimul, & Cambro tertio filio accreſcit totius inſulæ imperium Guendolornam iſte Corinei filiam (cum tamen Eſtrilidem captivam virginem Germaniæ Regis filiam maxime deperiret) interminantis ſocrui minis, magis quam amore commotus in uxorem duxit. Madanum enixa eſt filium Guendolorna, quam, Corineo mortuo, prorſus deſervit Locrynus, Eſtrilidemque cujus furtiva Venere ſæpius eſſet uſus regio in ſolio ſociam ſibi conjunxit. Ex quo æſtuante ira Guendolorna percita ſubſidiarios ſibi tantam injuriam paſſæ adverſus Locrinum Cornubienſes comparat. Initio utrinque prælio, profligato occiſoque Loctino, imperii adminiſtrationem, dum minor adhuc eſſet Madanus, ſuſcepit. Cui tandem adulto regni inſignia tutela muliebri conſervata (ut par erat) deferebat. Mandanum excepit Mempricius filius; Quem itidem Ebrancus qui primus poſt Brutum Galliarum partes Martis acie infeſtabat. E conjugibus viginti, totidem filios, ſeſqui-

Prope vetuſtum in Devonia oppidum Totnes.

altera

altera filias proportione ſuſcepit, quas in Italiam ad Sylvium Albanum Regem, ubi nobilium Trojanorum nuptiis ſunt decoratæ, tramiſit. Succeſſit Ebranco Brutus è viginti primogenitus, cui Leirus. Huic Hurdibras, iſtum Baldudus excepit, qui fontium (ut ajunt) calidorum quo *The Bathes* dicimus author, necromantiam aliaſque præſtigias uſque adeo temerarias exercuit, ut per aerem (adjunctis ſibi arte confectis alis (tranſuolare dum tentaret in Apollinis templum inciderit, fruſtatimque ſit caſu contritus. Filius demortui locum occupat. Leirus cui tres filiæ Genorilla, (quam Maglauno duci Albaniæ) Ragana, (quam Hennino Cornubiæ,) Cordeilla, quam Aganippo Celtarum regi indotatam collocavit. Domeſticos vero generos ſuas adverſus ſocrum exerentes vires debellavit ſubſidium Aganippi, cujus induſtria militari, Britannicis illis ducibus ad mortem profligatis, Leirus in imperium eſt reſtitutus. Cordeilla denique, marito pariter ac pater mortuis, abſolutam & ſuo jure primam in Britannia Γυναικοκρατίαν inſtituit. Cum tamen fœminarum imperium Britannos uſad Mariam H. VIII. filiam abhorruiſſe ſcribit Bodinus. Eructabant vero ſuas Ducum, (quos diximus) nepotes Morganus & Cunedagius ſimultates, quas ob parentum cædem pectore diutius compreſſerant; Bello Cordeillæ tranquillas res turbant, conſcripto exercitu eandem exuunt (delapſo quinquennio regni) imperio; quod & inter ſe dividunt. Sed nulle fides regni ſociis; interempto Morgano ſumma imperii cedit Cunedagio; Cui ſucceſſit Rivallo, Gurguſtius, Siſillus Priſcus, Iago, quem

Bodin. met. ad hiſt. cap. 6. quem de Gunæcocratia apud iſtam inſulam lege lib. 6. cap. 5. de Republ. Neque enim ſexum, inquit Tacitus, Britanni in imperiis diſcernunt, in vit. Agricol.

Kim-

Kimmacus excepit. Gorbodioni proxime regni adminiſtratio devenit, cui filii duo Ferrex & Porrex hæredes regni naſcuntur.

Fratrem Porrex, inito bello (quod prius deſtinaverat) interfecit, cujus mortem VVidena communis utriuſque mater ulciſci vehementer ſatageret, ancillis ſtipatus, caſtra Porricis adortus fratricidium morte filii vindicabat. Ex quo civilem peſtem, diſcordiam paſſa eſt Britannia, & quæ monachiam habuit ſancitam, pentarchiæ formam, diſcidio tamen ægerrime convulſam, jam induit. Quinquaginta vero periodus annorum fortiſſimum æque ac prudentem virum Dunvallonem Molmutium produxit, qui pentarcharum imperio fœliciter deminuto, antiquam inſulanis Reipubl. formam reſtauravit, primuſque ſibi Regum Britannorum ex auro diadema confecit. *Hic leges quæ Molmutinæ dicebantur* (ait Galfredus) *inter Britones ſtatuit, quæ uſque ad hoc tempus inter Anglos celebrantur. Statuit ſiquidem inter cætera, quæ multo tempore poſt Beatus Gildas ſcripſit, ut templa deorum & civitates talem dignitatem haberent, ut quicunque fugitivus ſive reus ad ea confugeret, veniam coram inimico ſuo haberet. Statuit etiam ut viæ quæ ad prædicta templa & ad civitates ducebant, nec non * & aratra colonorum eadem lege confirmarentur.* Hæc ille. *Hem Pondera ac menſuras* (Polydorum legis) *rebus vendendis emendiſque poſuit, fures & noxium omne genus hominum ſeveriſſime punivit, fecit quamplurimas vias, decrevitque in quam latitudinem fieri deberent, ac lege ſanxit jus earum ad principem tantum pertinere, ejuſque juris violatoribus pariter ac illis qui in iis maleficium aliquod facerent horrendas conſtituit pœnas. Præterea ut nec terra vacaret, neve populus rei fru-*

---

*Galfred. Monu. lib. 1. cap. 16. & 17. Poly Chronicon lib. 2. * Ponticus Virum lib. 3. habet & ad aratra, &c. Polydor. Vrag. hiſtor. Ang. lib. 1.*

men-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

mentariæ inopia premeretur, aut minueretur ſi pecora ſola occuparent agros qui ab hominibus coli deberent, conſtituit, quot quiſque comitatus aratra haberet, ſtatuitque pœnam illis per quos numerus diminueretur, ac vetuit jumenta quæ aratro ſervirent à magiſtratibus abduci, vel aſsignari creditoribus pro debitione pecuniæ, ſi debitoris (quod & Edroardi Regis primi à Normanno conſtitutione eſt ſancitum) *bona alia ſupereſſent.* Iſtum in legibus de agricultura condendis imitati ſunt ſuperioris ſeculi reges Henrici ſeptimus & octavus, illuſtriſſimaque fœlicis memoriæ Elizabetha Regina; Qui iis, quorum otioſo ac inculta ſunt prædia (quod de Cyro ſcribit Xenophon) pœnas aliquatenus (comitiorum tanquam centuriatorum conſenſu) decreverunt. Dunvallonis demortui vicem hereditario jure egerunt filii Belinus & Brennus, cui natu minori, poſt varias de imperio graveſque diſceptationes, ſeptentrionalis Regni pars (quam Belini Loegria, Cambria, & Cornubia cœli ſimul & ſoli amœnitate ſuperabant) amicorum interventu obtigit. Quod & antiquo jure Trojanorum nitebatur, quo primogenitus (ut de Hectore natu majore Alexandro in Euterpe meminit Herodotus) filiis poſt natus hanc in Angliam revocarunt Normanni conſuetudinem; Cenethumque regem apud Scotos inſtituiſſe ſcribit Buchananus:) ſuccedendo in univerſum jus defuncti præponeretur. Sorte tamen ſua minus contentus Brennus ſubſidium, quo fratris potentiam deminueret, ab Allobrogum Duce (tentato prius domi bello) impetravit. Pugnam vero commiſſuros fratres

---

Stat. 13. Ed. 1. conſt. 2. cap. 20. Perſimilis item eſt conſtitutio Imper Conſtantini ad univerſos provinciales reſcripta C. tit. quæ res pignori obl. l. 7. Executores. Xenoph Cyroped. lib. 5. & in Oecon.

Heredot. lib. 2. Buchanan. lib. 6. Rer. Scot.

Conu-

Conuvenna matre (ut Romanos inter Volſcos Volumniæ preces olim dicuntur diremiſſe bellum) luctu muliebri ſqualoreque obſita interceſſu ſuo non ſolum armis deſiſtere, ſed firmam etiam inire concordiam perſuaſit. Poſt amores ergo arma ſimul & copias conjunxerunt, Gallias trajecerunt, Alpium montes tranſcenderunt, Italiam imprimis, Romam denique ipſam Orbis (Athenæo) compendium, alterius orbis principis flamma ferroque devaſtarunt. Belinus vero poſtquam fœlicia vidiſſet fratris auſpicia (Brennus Macedoniam & Delphos petit) Britanniam eſt reverſus. Leges hic quas pater condiderat, confirmat. Orta vero de publicarum jure viarum controverſia. *Rex omne ambiguum* (Monumethenſis verba) *legi ſuæ auferre volens convocavit omnes operarios totius inſulæ, juſſitque viam ex cæmento & lapidibus fabricari, quæ inſulam in longitudinem à Cornubio mari uſque ad Catheneſium littus ſecaret, & ad civitates quæ intra eam erant recto limite duceret. Juſſit etiam aliam fieri, in latitudinem regni, quæ à Menevia quæ ſuper Demetricum mare ſita eſt, uſque ad portum Hamonis extenſa ad urbes intra ducatum conſtructus dirigeretur. Alias quoque duas ab obliquo inſulæ quæ ad cæteras civitates aditum præſtarent. Deinde ſancivit eas omni honore, omni dignitate, juriſque ſui eſſe præcipit, quod de illata ſuper eas violentia vindicta ſumeretur.* Diluxit Belino ſupremus inde dies; cujus exanime cadaver primo antiquam illam Phrygibus de combuſtionis ſepultura (quam Heraclitum, qui ex igne omnia fieri ſtatuit, ut Thaletem Mileſium, qui originem omnium rerum aquam dixit humationem juſſiſſe

Plutarch. in Coriol. Athen. Dipnoſoph. lib. 1. cap. 15. Galfred. lib. 1. cap. 18. Highden in Polychro. The Foſſe, VVatlingſtreete. Ermingſtreete. Ikeneldſtreete, Alex. ab Alex. Genial. dier. lib. 3. cap. 3. Cœl. Rhodigin. antiq. lect. libr. 17. cap. 21.

ajunt)

ajunt) conſuetudinem in Britannia paſſum eſt. Excepit iſtum filius Gurguntius, quem & Quintelinus, cujus uxor Martia ultra muliebre ingenium erudita *Martianas* leges prima conſtituit. Maritus vero cum fatis ceſſiſſit Martia (quod ſeptennis tantum erat communis eorum proles) diademata inſignita eſt; quæ cum hac luce migraſſet onus imperii Siſillio incubuit.

Kimarius deinde ejuſdem filius regnat, quem excepit frater Elanius, quo demortuo Mirindus è Tangueſtela concubina natus. qui tanquam furore bacchico in cives ſimul & hoſtes correptus regnum tamen ſtrenue adminiſtravit. Quinque filos progenuit, quorum Gorbonius imperium, mortuo patre, ſuſcepit. Iuſti & æqui princeps amantiſſimus, quippe qui plebi juſtitiam, diis templa maxime curavit. *Colonus ad agriculturam admonebat, ipſos ab injuria dominorum defendens.* Naturæ ceſſit Gorbonius, ſucceſſit autem frater Archigallo frater, quem, quod regni nobiles infimi generis ac novis poſtpoſuit. heroes exuerunt diademate, Elidurumque fratrem eodem redemerunt Ille vero pius (quod & nomen ſortiebatur) quinquennio poſt regno ſe abdicavit, fratrem reſtituit, quem tamen demortuum deinceps excepit. Ambitioſi autem Vegenius & Peredurus, fratres, collectis copiis, Elidurum in carcerem conjecerunt, regnum inter ſe diviſerunt, totum tandem, Vegennio mortuo, accreſcendi jure Peleduro obtigit.

Cujus vitæ filium cum Atropos abſcidiſſet tertium Elidurus liberatus carcere, Britanniæ Rex acclamatur, qui morte ſua juſtitiæ virtutumque omnium exempla vivida dereliquit. Succedit filius Gorboniani, quem excepit Morganus Archigallonis filius: principes imperio digni. Dein Emerianus, qui, tyrannidem dum affectaret, regnum perdidit, ſuſpectus Iduallo Vigenii filius: Cui ſucceſſit gnatus Peleduri, Geruntius huic Eliduri, iſti vero Catellus,

tellus, poſt Catellum Coilus Porrex, Cherinus, cujus filii tres Fulgenius Eldadus & Androgeus ſucceſſive regnarunt. Exinde filius Androgei Eliud, Dedacus, Clotenus, Gurnineus, Merianus, Bledus, Capenus, Oenus, Siſillius, Blegabridus. *Hic omnes Cantores*, (ait Arthurius) *quos præcedens ætas habuerat, & in modulis & in omnibus muſicis inſtrumentis excedebat, ita ut Deus joculatorum videretur.* Subſecutus eſt Archemailus frater, Eldon Region, Rodericus, Samuel, Peniſet, Pir, Capoirus, Gliguelius, cujus filius Helius tandem quadraginta annis oneri imperii ſuccubuit. Tres ſunt iſti filii, Ludus ſive Luddus (qui Cæſari dicitur juxta quoſdam Immanuentius) Caſſivellaunus & Nennius. Helius fatis jam ceſſerat; locum genitoris ſuſcepit filius primogenitus, quem urbis Londini maxime reſtauratorem ajunt, nonumque denominatorem. *Præcepit item civibus ut domos & ædificia in eadem conſtruerent, ita ut non eſſet in longe poſitis regnis civitas quæ pulchriora palatia contineret.* Minorem vero ætatem filiorum Luddi demortui Androgei ſcilicet (quem Mandubratium eſſe Cæſari ſcribunt) ac Thromantii, Caſſivellaunus patruus ſuſcepta regni adminiſtratione tutatus eſt. Malæ fidei vero tutor ſibi monarchiam arripuit; Androgeo tamen (ne prorſus nepotum intervertere hereditatem videretur, Canditum, Thromantio reddidit Cornubiam. E Galliis jam Iulius Cæſar ſpe primo margaritarum, quæ ibidem genitæ ſunt commotus, deinde hoſtiliter Romanus Dux Britanniam petiit: Sed

Territa quæſitis oſtendit terga Britannis.

Quod cum bis feciſſet, (bis tamen penetratam

Galfr. lib. 1. *cap.* 22. *Vide notas Ric. Viti ad lib.* 4. *hiſtor. Britan. ſed Ioh. Priſ. in def. hiſt. Brit. pag.* 34. *Immanuentium vult eſſe, Galfredo Tonacium.* *Tranq. in vita Iul. Cæſ. cap.* 47. *Lucan. lib.* 2.

ab eo

ab eo inſulam aulice ſcribit Velleius Paterculus) gaudio jam elatus Caſſibellaunus proceres Britanniæ Trinovantum in urbem cum uxoribus accerſit, ut ſacrificia diis, ſupplicationes, ſolennia libamina celebrarent; ne numini, quod ab imminente malo inſulam liberarat, ingrati viderentur. *Diverſa ſacrificia facientes occiſioni pecudum indulſerunt, litaverant ibi quadraginta millia boum, & centum millia ovium, diverſorumque generum volatilia quæ ſub numero non facile cadebant. Præterea triginta millia ſilveſtrium ferarum cujuſcunque generis collectarum.* tot myriadibus antiquarum gentium hecatombas iſti ſuperabant. Quibus & tuum, lector, numen habeamus placatum, dum paululum à ſerie temporum digreſſi (cum Romanorum jam & quaſi publica fide editorum teſtimonia proxime ſuppeditentur) adminiſtrationis Britannicæ Reip. ſpeciem circa Cæſaris adventum, Dynaſtarum item philoſophorumque in eadem mores exinde ſubnectamus.

CAPVT III.

Quamnam juxta imperii formulam Britannica Reſp. fuerit antiquitus digeſta.

SVam ut liberent fidem qui monarchicam iſtam longe protracto ſtipite, reip. formam deduxerunt, eamque ulterius (quod infra oſtenditur) propagarunt, merito quis eos interpellet; cum longe aliam à regno ſtatus ſpeciem ſi C. Cæſaris authoritati recentiorumq; doctiſſimorum conjecturis magis (ut par eſt) credamus, tunc temporis hic floruiſſe facile poſſit probari. Imminentibus etenim, quæ Cæſaris adventus minabatur, periculis, inſularium eorumque, penes quos erat Reip. adminiſtra-

Patercul. hiſt. lib. 2. Galfr. lib. 1. de geſt. Brit. cap. 24.

tio, externus timor maximum concordiæ vinculum, quamvis ſuſpectos infenſoſque inter ſe, jungebat animos; *ſumma imperii, belliqve adminiſtrandi communi conſilio permiſſa eſt, Caſsivellauno, cujus fines à maritimis civitatibus flumen dividit, quod appellatur Thameſis à mari circiter millia paſſuum LXXX. huic ſuperiori tempore cum reliquis civitatibus continentia bella intercesserant, ſed noſtro* (inquit Cæſar) *adventu permoti Britanni hunc toti bello imperioque præfecerant.* Eodem item libro idem author. *Dum hæc in his locis geruntur Caſsivellaunus ad Cantium quod eſſe ad mare ſupra demonſtravimus, quibus regionibus IV. Reges præerant Cingetorix, Carvilius, Taximagulus, Segonax, nuntios mittit.* Vides, lector, unum angulum illius inſulæ, tetrarchas gubernaſſe, quam tamen monarchæ à temporibus (ſi diis placet) Arcadum ſubjeciſſe Britannicæ hiſtoriæ ſarcinatores ſcriptitant. Nec tamen forte regio nomine ob anguſtos imperii fines digni ſunt illi quatuor cenſendi, quos Cæſar ut tot reges debellaſſe videatur, *Reges vocat, cum tantum* (ut ait Camdenus) *reguli fuerint vel melioris notæ nobiles.* Sive vero principes, reguli, præſides, quibuſcunque denique nominibus ſunt compellandi; penes quos erat ſingulos in fines inſulæ poteſtas, facile convicitur penes unum imperium minime fuiſſe. At vero non abs re fuerit, ſi tunc temporis univerſas civitates uni Imperatori obtemperaſſe aſſeruerit quiſpiam modo recte & ad fidem hiſtoriarum iſtud intellexerit. Fuiſſe enim quendam (quemadmodum olim apud Lacedæmonios Harmoſten, Melitenſes Archonta, Romanos Dictatorem) cui periculis belli imminentibus (inſtitutum ſane à politicis maxime laudatum) ſumma imperii commiſſa fuit cum Caſſivellauni exemplo tum aliis argumentis probatur. Ex quo enim pri-

Cæſar de bello Gallico lib. 5. Camdem. in Cant. Machiav. ad Liv. lib. 2. cap. 33. Tacit. in vita Agricolæ.

mum

mum ſimiles omnimodo Gallis Britannos eſſe poſt Cæſarem tradit Cornelius Tacitus, judicioque eruditiſſimi G. Camdeni, Reip. formam eandem utranque gentem ſibi deſcripſiſſe eoſdemque mores ipſos imbibiſſe, retinuiſſe, affirmatur; quidni & Britannos adiacenteſque Gallos fere quaſi συμπολιτεύειν tantorum nixi authoritate virorum aſſeremus? Cum vero multorum in Galliis regulorum nomina qui civitatibus præerant numeraſſet Cæſar, tandem eorum concilium (in quo quod apud Britannos Caſſivellauno, idem Vercingetorigi obtingit) commune ſic deſcripſit. *Re in controverſiam deducta totius Galliæ concilium Bibracte indicitur: eodem conveniunt undique frequentes multitudines, ſuffragiis res permittitur: ad unum omnes Vercingetorigem probant imperatorem.* Hæc Cæſar. Cui Strabonem addemus. *Plurimas* (inquit ille) *civitatum primores gubernant, ducem unum primis temporibus ad annum deligentes, ſicut & in bello unus à multitudine deſignabatur imperator.* Diſcerpunt iſta fruſtatim apud Gallos monarchiam: Quorum item reguli, plenius in incolas ſeu cives jus ſinguli non habuerunt, quam Reges olim Lacedæmoniorum, qui ab Ephoris à Theopompo conſtitutis aureis catenis ad thronum religati (prout hodie Dux Venetiarum) ſpeciem tantum ſummi imperii ſuſtinuerunt. Nec hereditario jure (ut maxime videtur) ſed à populo propter juſtitiæ opinionem (quod de antiquis Medorum regibus ſcribit Herodotus) hujuſmodi poteſtates deferebantur. Privatos enim multos, quorum patres regnum in quibuſdam civitatibus (civitatem autem Cæſarem vocare ſemper populum eodem jure utentem in Trinobantibus adnotat Camdenus) obtinuerant, ut Caſticum Cata-

Cæſar. lib. 7. de bello Gall. Strabo geograph. lib. 4. Herodot. in Clio.

man-

mantaledis filium cujus pater in Sequanis regnaverat, Piſonem Aquitanum cujus auus imperaverat, Taſgetium cujus majores apud Carnutes gubernaverat in commentariis ſuis Iulius ille recenſuit. Imo & apud Britannos Mandubratii (quem tamen, ut diximus, ajunt fuiſſe Androgeum) adoleſcentis meminit, cujus pater Immanuentius in Trinobantum civitate firmiſſima, hunc autem eſſe quidam autumant Luddum, regnavit. Integra ſibi ſit cujuſque fides de principalibus, quos vitæ termino diximus à toto ſtipite excidiſſe; (ſola etenim ſimilitudine Rerump. nititur.) Quod autem ad τὸ πολύαρχον attinet poſt authentica Cæſaris ſcripta recentiorum chorus plerunque id ipſum affirmat. Fuiſſe enim per id tempus Britannicæ rei gubernandæ formam cenſet Polydorus, *Qualis in præſentia eſt Italia, Germaniaque ubi aliæ civitates ab uno principe, aliæ à nobilitate, aliæ à populo reguntur, eos', quos reges vocant, fuiſſe potentiores inter alios, qualis fuit Caſsivellaunus, qui ob id Rex dictus erat.* Aſtipulantur & Iohannes Troinus, Gulielmus Camdenus; imo & David Povellus Cambro Britannus hanc inſulam *à tempore Dunuallonis Molmuttii in plures principatus ſemper fuiſſe diſtributam, & pluribus regulis ſupremam & mandandi & judicandi authoritatem in ſuis provinciis obtinentibus, fuiſſe gubernatam* dijudicat. Ab-illinc etiam ſubſequenti ſeculo, quod ſcriptis ſuis inſigniverunt Dio Caſſius & Cornelius Tacitus, Icenos habuiſſe Proſutagum, Sylvres Caratacum, Brigantes Cartiſmanduam, Jugantes Ve-

---

Cæſar. com. lib. 1. 4. & 5. Polydor. hiſt. Angl. libr. 2. in proœm. Trom. lib. 1. de reb. Albionicis. Camdem, in primis incol. D. Povel. in epiſt. ad Guil. Fleetero. de reconcil. hiſt. Brit quem vide. Dio Caſſ. lib. 60 &c. Tacit. annal lib. 12. & 14. Gildas in epiſt. de excid & conq. Brit. Troin. lib. 1. de reb. Albnicis.

nu-

nutium reges, alioſque civitates alios iiſdem authoribus eſt certiſſimum. Quod fortaſſis innuit Porphyrius *ille rabidus orientalis adverſus eccleſiam* (ut ait Gildas) *canis cum dementia ſua ac vanitatis ſtylo hoc etiam adnecteret: Britannia fertilis Provincia tyrannorum*: *quod non quidem de iniquis principibus*, (ait Troinus) *ſed verius de regum multitudine, ut Eraſmo placuit, intelligendum eſt*. Ac eouſque ſe protendebat illa πολυκοιρανίη Britannica, ut regibus tandem incolæ dedignarentur parere, ſed exorta ex inobedientia quaſi confuſiione, quæ

—— πόλεις ὄλλυσιν ἥδ' ἀναςάτους
Οἴκους τίθησιν ——

per principes factionibus & ſtudiis ita trahebantur, ut dum ſinguli pugnabant, univerſi à Romanis vincerentur. Sed de his ſatis ſuperque; Ariſtocratica Reip. forma ſic conſtituta, magis particularem tum ſacrorum tum prophanorum adminiſtrationem ſimul &, quoad fieri poteſt auxilio antiquorum inſtitutionem proxime diſpiciamus.

CAP. IV.

Druidum, Saronidum, Bardorum mores, ſimul ac diſciplina, tam ſacra, quam profana. Ejuſdem cum Pythagorica paralleliſmus.

PRiuſquam radiorum vere divini luminis hoc orbis angulo concurſus diſſipaſſet errores, quibus ante adventum Meſſiæ incarnati humanum genus adſtrictum obligabatur, *in Britannia fuiſſe* (ſcribit Cildas) *portenta, ipſe diabolica pene numero*

Sophocles, Gildus in epiſt. de excid. & conqueſt. Brit.

Ægyp-

Ægyptiaca vincentia (quorum (inquit ille *) nonnulla lineamentis adhuc deformibus intra vel extra deſerta mœnia, ſolito more, rigentia torvis vultibus intuemur)* Antiquis autem illis, quæ ſunt inſtitutæ, ſectis, quæ nempe ſacerdotum philoſophorumque ſunt hic inſignitæ nomine, ſuam, in hac inſula originem illos portentoſos & diabolicos mores debuiſſe facile quis judicaverit. Primos vero (nec enim juxta ſcriptoris fidem iſtud referre pigebit) ab illo Celtarum Regum primo & ſapientiſſimo Samothe; quem & Ditem appellarunt, philoſophos *Samotheos* ut & incolas nomen deduxiſſe ſcribit Annius de Viterbo. Cum tamen alio nomine *Semnothei* apud Diogenum Laertium memorentur, Scriptum enim reliquit *quemadmodum apud Perſas, Magos, apud Aſſyrios Chaldæos, apud Indos Gymnoſophiſtas philoſophiæ fuiſſe principes; ſic Celtas ſeu Gallos apud Druidas, & qui Semnothei appellabantur; qui ut ait Ariſtoteles in magia & ſotion in* XXIII. *ſucceſſionis libro quod Divini Humanique juris peritiſsimi ac propterea religionibus maxime dediti fuerunt* Σεμνόθεοι *quoque ſunt appellati.* Samothis nepos Sarron, qui ut ferociam hominum contineret publica ſtudia literarum inſtituit, patronymicum nomen Σαρωνίδας produxiſſe creditur. Quorum meminit Diodorus Sicules. Philoſophi (inquit) quoque ac theologi quos vocant Saronidas præcipue ab illis (ſcilicet Gallis) coluntur. Eorundem tamen nomen Guiliel. Camdenus exinde deduxit, quo Plynius Sinus Saronici in Achaia *qui olim querno nemore redimitus, unde nomen, ita Græcia antiqua appellante quercum.* Nec ab iſtis alios fuiſſe Druidas exiſtimat

Annius de Vit. ad libr. 4. *Beroſ. Cajus antiq. Cant. lib.* 1. *Laert. in præfat. ad lib. de vit. phil. Diodor. lib.* 6. *de fab. antiq. geſtis. Plin. nat. hiſt. lib.* 4. *cap.* 5.

erudi-

eruditiſſimus ille, cum ab eodem etymo utrunque nomen videatur profluxiſſe. Tametſi enim à Druide Celtarum rege nomen Druidum diſciplinæque inſtitutionem petierint, aliqui, illi tamen ἀπὸ τοῦ Δρυὸς, quercu ſcilicet, idem emanaſſe nomen recte ſentit. Antiquum enim hujuſce habet authorem C. Plinium qui in naturali ſua hiſtoria *Nihil habent, inquit, Druidæ (ita ſuos appellant magos) viſco & arbore in qua gignatur (ſi modo ſit Robur) ſacratius. Iam per ſe roborum eligunt lucos, nec ulla ſacra ſine ea fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione Græca poſſint Druidæ videri. Enimvero quicquid adnaſcatur illis è cœlo miſſum putant, ſignumque eſſe electæ ab ipſo Deo arboris. Eſt autem id rarum admodum inventu & repertum magna religione petitum: & ante omnia ſexta Luna, quæ principia menſium annorumque his facit, & ſeculi poſt triceſimum annum, quia jam virium abunde habeat, nec ſit ſui dimidia. Omnia ſanantem appellantes ſuo vocabulo, ſacrificiis epuliſque rite ſub arbore præparatis, duos admovent candidi coloris Tauros, quorum Cornua tunc primum vinciantur. Sacerdos candida veſte cultus arborem ſcandit, falce aurea demetit. Candido id excipitur ſago; tum deinde victimas immolant precantes, ut ſuum donum Deus proſperum faciat his, quibus dederit. Fœcunditatem eo poto dari cuicunque animali ſterili arbitrantes, contraque venena omnia eſſe remedio.* Hactenus ille Plinius. Quanta religione obſervarunt hi arbores querceas. ſatis hinc habemus teſtimonii, unde conſonum & exinde nomen traxiſſe. Quanam vero ductos ratione putemus? An qua Romani qui civicam è fronde querna voluerunt eſſe coronam (qua tan-

---

Sed vide Geograph. Starabonis lib. 4. Plin. lib. 16. cap. 44. Plutarch. in luc. Herod. lib. 1.

tus quidem honor habitus eſt, ut melius ſit Lucullo viſum, Romanum ex hoſtium manu vindicare, quã omnibus hoſtium bonis potiri) quoniam cibus victuſque antiquiſſimus (unde Arcades juxta Pythiæ oraculum Βαλανηφάγοι ſunt dicti) querceus (juxta Plutarchum & Agellium) capi ſolitus ſit? An quod Iovi ſacratam illam antiqui habuerunt arborem? Imo quidni ab ipſo veri Iovis ſeu Iuvantis patris cultu aliquatenus iſtud pullulaſſe ariolemur? Legimus enim patriarcham illum angelos tres à Domino Opt. Max. miſſos tenui in querceto Mamre excepiſſe convivio. *In faſtigiis* (inquit Hoſea) *montium ſacrificabant, & in collibus incenſum adoleverunt ſub quercu, populo, & tilia eo quod ejuſdem bona ſit umbra*; de Iſraëlitarum à divinis ſtatutis defectione loquitur.

Cum denique adoleviſſe Idololatras, qui neglecto vero Deo alienos ſequebantur, incenſum in excelſis atque in collibus, in lucis, & ſub omni arbore frondoſa (quæ ut maxime obſervavit Ahaz filius Iohtham Rex Iehudæ, ita penitus piiſſimus ille Hiskiia diſſipavit & contrivit) ſacræ paſſim teſtentur literæ, ſacrificia quidni illorum Diis adulterinis celebrata, ſupplicationeſque factas in quercetis plerunque fuiſſe colligamus? Unde vero, inquis, iſtud? Eadem certe conjectura nixi, qua politiſſimus ille Iuſtus Lipſius qui Servatoris noſtri crucem è quercu fuiſſe (poſt fidem eorum, qui fruſta illius ſacratiſſimi ligni quercea aſſerunt) exinde cenſet, *quia crebra & frequens in Iudæa olim & nunc quoque illa arbor.* Quorſum autem iſta? Quid cum Judæis orientalibus, occidentales Druidæ? cære-

Plutarch. in Luc. Herod. lib. 1. Plutarch in vit. Coriolani. A. Gell. Noct. Attic. lib. 5. cap. 6. Plutarch. quæſt. Rom. 92. Geneſ. cap. 18. Hoſ. cap. 4. Lib. 4. Regum cap. 16. & 18. Lipſ. de Cruce, lib. 3. cap. 13.

moni-

imoniarum participationem haud admittit diſtantia ſitus. Cum vero diſciplina illorum philoſophica, ſtudiorumque inſtitutiones (ut inferius dicetur) in pluribus quidem ab antiqua illa Italica ſecta minime diſcreparint, ſed ad amuſſim Pythagorica quaſi videantur eſſe dogmata Phythagoræ certe peregrinationes in oras orientales has occidentaliores religionibus ſacriſque plurimis (quippe quem primum ἱερὰ ἱδρύσασθαι ſcribit Laertius ditaſſe, ac ornaſſe, nec tamen in ſcriptis ea reliquiſſe cenſendum eſt.

Is etenim genere Samius in Italia temporibus iiſdem fuit quibus L. Brutus patriam liberavit; Circa ſcilicet Olympiadem L x. *cœtuſque juvenum habuit* (ait Livius) *æmulantium ſtudia doctrinæ.* Peregrinatus vero primum ac juvenis eſt varie in Ægyptum ad Memphiticos vates ubi Plutarchus Oenuphim, Æliopolitam, Clemens autem Alexandrinus Sonchedum archiprophetam illum audiiſſe tradiderunt. Babylonem etiam adiit, magos Perſarum. atque adeo Nazarethi Aſſyrii diſcipulum fuiſſe (qui nonnullis Ezechiel vates) apud Clementem narratur. Imo teſtimonio Flavii Ioſephi contra Appionem, Hermippique apud eundem, *non ſolum novit antiqua Iudæorum inſtituta, ſed etiam in multis ſequutus eſt ea & æmulatus, plerumque à Iudæis in ſuam philoſophiam tranſtulit.* Ex quo Cabalæ utraſque partes phyſicam ſcilicet *Breſith*, quæ in naturalibus cauſis allegorice adumbratis tota eſt diſquirendis, ſupercæleſtem item *Merrana*, quæ Divinam Angelicamque ſubſtantiam abditiſſimaſque rerum à ſenſu ſeparatarum naturas anagogice indagat, Pythago-

Laert. lib. 8 de vit. philoſ. Cic. in Tuſcul. quæſt. lib 1. & 4. Liv. lib. 1. ab V. C. Plutarchus in lib. de Iſid. & Oſir. Clem. Alex. Stromat. lib. 1. Ioſeph. lib. 1. contra App. Gram.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

ram à Iudæis recepiſſe verumque Cabaliſtam (ſcribit Iohannes Reuchlinus nominandum fuiſſe Ut autem Hebræorum antiqui authores *Cachamim* i. *ſapientes* ſunt dicti, ſic & ille modeſtius tamen, cum intellexiſſet nullo humano ſtudio poſſe ad ſapientiam perveniri, ideoque non oportere (quod ait Firmianus Lactantius) incomprehenſæ atque imperfectæ rei perfectum nomen imponi, *philoſophum* i. *ſapientiæ ſtudioſum* ſeſe denominavit. Quemadmodum vero Cabaliſtæ pleraque abſtruſioris Rabbinorum doctrinæ capitula hoc firmant dicto אמרו חכמים, i. *dixerunt ſapientes*; ita & Pythagoricorum præjudicatam (quam ait Tullius) opinionem illud Αὐτὸς ἔφη i. *Ipſe dixit* perpetuo firmam ſanciebat. Quod libentius intexuimus, conjecturamque ſuperiorem facilius credimus, quum non ſolum Ammianus Marcellinus ſtudia ſua Pythagoræ quaſi decreto ſodalitiis aſtrictos conſortiis Druidas inſtituiſſe ſcribit, ſed etiam plurimæ eorundem theſes, quæ Pythagorica dogmata ſimul & Iudaicas ſuperſtitiones (quarum fæces æque ac veram Cabalam forte imbibit) maxime redolent, ab antiquis, præcipue vero C. Iulio Cæſare, recenſentur. Enumerat autem ille eorum qui apud Gallos *in aliquo fuerunt numero & honore duo genera, alterum equitum qui Marti ſeſe totos dicabant, alterum vero Druidum, qui rebus divinis interſunt, ſacrificia publica & privata procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adoleſcentium numerus diſciplinæ cauſa concurrit, magnoque ii ſunt apud eos honore, nam fere de omnibus controverſiis pu-*

I. *Reuchlinus in lib.* 2. *de arte Cabaliſtica.* Lactant. *de fal. ſapient. lib. cap.* 2. *Laert. de vitis philoſ. lib.* 3. *Reuchlin. ubi ſupra. Cic. de natura Deor lib.* I. *Amm. Marcellin. lib* 15. *Cæſ. lib.* 6. *de bell.*

blicis

blicis privatiſque conſtituunt, & ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hæreditate, de finibus controverſia eſt, iidem decernunt, præmia pœnaſque conſtituunt. Prodiiſſe Zaleucum & Charondam (quem ſui temporis multum ſuperaſſe legiſlatores ſcribit Ariſtoteles) conſtat laudatiſſimos qui non in foro, nec in conſultorum atrio, ſed in Pythagoræ tacito illo ſanctoque (ut ait Seneca) receſſu didicerunt jura. *Si quis aut privatus* (Cæſarem audis) *aut populus eorum decreto non ſtetit ſacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos eſt graviſſima quibus ita eſt interdictum ij numero impiorum ac ſceleratorum habentur, ab iis omnes decedunt, aditum eorum ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. His autem omnibus Druidibus præeſt unus, qui ſummam inter eos habet autoritatem; hoc mortuo, ſi quis ex reliquis excellit dignitate ſuccedit, at ſi ſunt plures pares, ſuffragio Druidum adlegitur; nonnunquam etiam de principatu armis contendunt, ij certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, conſidunt in loco conſecrato; huc omnes undique, qui controverſias habent, conueniunt; eorumque judiciis decretiſque parent. Diſciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam tranſlata eſſe exiſtimatur, & nunc qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerunque illò diſcendi cauſa proficiſcuntur.* Sed Juvenalis.

Gallia cauſidicos docuit facunda Britannos

Druides à bello abeſſe conſueverunt, neque tributa una cum reliquis pendunt militiæ vacationem omniumque rerum habent immunitatem, tantis excitati præmiis, & ſua ſponte multi in diſciplinam conueniunt, & à propinquis parentibuſque mittuntur, magnum ibi nume-

Ariſt. Polit. lib. 2. c. 10. *Senec. ad Lucill. epiſt.* 90. *Iuvenal. Satyr.* 6.

rum verſuum ediſcere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicinos. (Poſt tot ad amuſſim annos, quæ Veſtalium ſtudiis incubuerant alios docendi munus obire potuerunt) *in diſciplina permanent. Neque fas eſſe exiſtimant ea literis mandare, cum in reliquis fere rebus publicis privatiſque rationibus Græcis literis utantur; id mihi duabus de cauſis inſtituiſſe videntur, quod neque vulgus in diſciplinam efferri velint, neque eos qui diſcunt literis confiſos minus memoriæ ſtudere, quod fere pleriſque accidit; ut præſidio literarum diligentiam in perdiſcendo ac memoriam remittant.* Quid autem Pythagoras, nonne arcana ſua inanimatarum (ut ait Plutarchus) fidei litterrarum committere ſemper abhorruit? ut nec quidpiam ſcripti (contra Laërtium qui in vita Platonis triplicem illius librum meminit) poſteris illum reliquiſſe Plutarchus idem & Flavius Joſephus conſtanter affirmarint. Imo nec illa, quæ circumferuntur, aurea carmina, ſub ejuſdem nomine, ab ipſo, ſed à diſcipulis illius cenſet poſt alios Lipſius divulgata. At ulterius Cæſaris verba legamus. *In primis hoc volunt perſuadere. Non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant metu mortis neglecto.* Quod ad Druidas Lucani Apoſtrophe eleganter deſcribit.

Et vos Barbaricos ritus, moremque ſiniſtrum
Sacrorum Dryadæ poſitis repetiſtis ab armis;
Solis noſſe Deos & cœli numina vobis
*Aut ſolis neſcire datum * nemora alta remotis*

Plutarch. in Num. Pom. Plutarch. in vit. Numæ & Alexandri. Ioſeph libr. 2. contra Appion. Gram. Lipſ. manuduct. ad Stoic. philoſ. lib. 1. diſſert. 6. Luca. Phar. ſal. lib. 1.

* *Quod de Pythagoricis ut omnia quæ animam corpori affigerent, devitarent, ſcribit Porph. in lib. de abſtin. anim. Marcrob. in libr. 1. ad ſom. ſcip. cap. 1.*

Inco-

Incolitis lucis : vobis auctoribus Umbræ
Non tacitus Erebi ſedes, Ditiſque profundi
Pallida regna petunt, regit idem ſpiritus artus
Orbe alio. Longæ, canitis ſi cognita, vitæ
Mors media eſt, certe populi quos deſpicit Arctos
Fœlices errore ſuo quos ille timorum
Maximus haud urget lethi mors : inde ruendi
In ferrum mens prona viris; animæque capaces
Mortis; & ignavum eſt reditura parcere vitæ.

En plane & plene Pythagoricum. Ad abſtergendum enim mortis timorem, ac ad juſtitiæ cultum humanis animis inculcandum Plato licet & Cicero poſt delineatas ſuas Rerump. formas, doctrinam de immortalitate animæ maxime duxerint idoneam, deque eadem ſcriptor inter Græcos præcipuus fuerit idem Plato, publicum tamen, & antiquiorem hujuſce aſſertorem (qui primum dixerit Homero ſuum detrectat honorem) Pythagoram fuiſſe liquido conſtat. Quod aureorum carminum author quiſquis fuerit, edocuit.

Ἢν ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ᾽ ἐλεύθερον ἔλθῃς,
Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς, ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.

De Metempſychoſi vero ſeu animarum tranſmigratione quemnam priorem, quemnam alium habemus authorem? Drubium Lipſio, an à Pythagora Druides iſtam opinionem hauſerint, an potius ipſe ab illis; cum Clementis Alexandri authoritate Gallos ille audiiſſe & Brachmanas dicatur. Mutua tamen inter ſe theſium, matheſiumque communicatio minime fit his exemplis nobis dubià. *Quin etiam Iudæi poſteriores hoc errore ſunt perſuſi : quod Iu-*

Maxim. Tyrius ſer. 28. *Odyſſ. lib.* 10. *Pythagoræ aſcripta* χρυσ. ἐπ. *in fine. Clem. Stromat. lib.* 1. *Lipſ. Phyſiolog. Stoic. lib.* 3. *diſſert.* 12. *Evangel. Matth. cap.* 16.

ſtinus Martyr notat, & Thalmudiſtæ profitentur. A qua cauſa in ſacris noſtris libris opinati ſcribuntur Chriſtum eſſe aut Ieremiam aut Eliam. Ad C. Cæſarem rurſus redeamus. *Multa præterea de ſyderibus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac poteſtate diſputant, & juventuti tranſdunt.* Ipſiſſima ſunt iſta teſtibus Ovidio, Laertio & Luciano, Pythagoræ ſtudia. *Natio eſt omnium* (Cæſaris iterum verba) *Gallorum admodum dedita religionibus, atque ob eam cauſam, qui ſunt affecti gravioribus morbis, quique in præliis verſantur, aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturos vovent, adminiſtriſque ad ea ſacrificia Druidibus utuntur; quod pro vita hominis, niſi vita hominis reddatur, non poſſe Deorum immortalium numen placari arbitrantur: publiceque ejuſdem generis habent inſtituta ſacrificia, alii immani magnitudine ſimulacra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent, quibus ſuccenſis circumventi flamma exanimantur homines.*

Tantum Religio potuit ſuadere malorum.

Immanem illam ac barbaram execratur Cicero conſuetudinem, quæ humanis hoſtiis deorum aras funeſtavit. *Quali* (inquit) *fide, quali pietate exiſtimatis eos* (Gallos) *qui etiam Deos immortales arbitrentur hominum ſcelere & ſanguine facile poſſe placari? ab his quidquam ſancte aut moderate dictum putabitis?* Cur non ab his M. Tulli? huic tantum nationi, cum & exteræ gentes, imo tua, humano ſanguine aras Divum imbuerent, fidem idcirco diminues? Beatiſſimum; noſti tu, qui oratorie tantum id dixeris, apud Maſſagetas fuiſſe mortis genus cum patres jam ſenio confecti à filiis immolarentur. Iphigeniam Agamemnonis filiam Dianæ Auli-

Ovid. Metam. lib. 14. Lucretius lib. 1. Orat. pro M. Fonteio Heredot. in Clio. Euripid. in Iph.

denſi

denſi ſacratam cantant Græci. Diti humana capita, Saturno virorum victimas in ſacrificiis intulerunt antiqui Itali oraculi illius

Καὶ κεφαλὰς * Ἅδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε
φῶτα ;

homonymia obcæcati, uſque dum Herculis (ut in Faſtis Ovidius, Macrobius, & Varro teſtantur) per Italiam Geryonis boves abducturus, eos ut fauſtis ſacrificiis infauſta commutarent, Ditique oſcilla ad hominis effigiem arte ſimulata offerrent, Saturnias autem aras non mactando viros, ſed accenſis luminibus (quæ quidem τὸ φῶς pluraliter æque ac homines Græce interpretatur) excolerent, perſuaderet. Carthaginenſes item ab Agathocle rege Siculorum victos, ut iratum Deum ſibi magis propitium ac placatum haberent, ducentos nobilium filios immolaſſe, è Peſcennio Feſto ſcribit Lactantius, qui, *Nec Latim*, inquit, *hujus immanitatis expertes fuerunt: ſiquidem Latialis Iupiter etiam nunc ſanguine colitur humano. Et Galli ipſi eſum atque Teutatem humano cruore placabant.* De occiduis gentibus iſta ſunt teſtimonia. Quid de Iudæis antiquis? filios ſuos crebro per igneas flammas tranſitu Molecho tandem immolarunt. Id vero tantum Idololatræ. Obtulit autem Judex Iſrael Iiphthah filiam juxta votum ſuum Domino Deo Opt. Max. in holocauſtum, negant Hebræi immolatam eam fuiſſe, ſed à conſortio, ajunt, hominum ita recluſam, ut ab iſtinc *venirent filiæ Iſrael ut conſolarentur*, ſeu colloquerentur (que æque ac plangerent לחכורן ſignificat) *cum f lia Iiphthah quatuor diebus per annum.*) At vero, inquis, quid iſta cum Pythagora?

---

* Κρονίδῃ. *Macrob. in Sat. lib. 1. cap. 7. Lactant. Divina. inſtit. lib. 1 cap. 21. Levit. cap. 18. lib. 4. Reg. cap. 16. & 23. Sap. 14. 22. Lib. Judic. cap. 11.*

An cujus deſciplina ab eſu ſimul ac cæde brutorum animalium eſſe abſtinendum docuerit, ſtrictis tamen gladiis humanum ſanguinem extorquere ſectatores ſuos pateretur; Quidni certe? Aptius enim Diis nil potuit deſtinari quo placarentur, quam quod maxime divinam (idque corundem ſententia) originem, immortalemque eſſentiam habuerit, quodque inter alia ſui generis fuerit optimum. Quale quidem eſt undiquaque omnia humana & in homine; cum eæ quæ metempſychoſin Pythagoricam ad beſtiarum informationem è cœlo fuerant detruſæ (ut de divitum animis in aſinos, quos indies agitarent flagellarentque pauperes, emiſſis ad certum tempus ſcribit Lucianus) quippe quæ terreſtribus ſeſe nimis immiſcuerant fæcibus, cæleſti ac divino numini quæ dicarentur, minime fuerint dignæ. Dira tamen forte cædes videtur ob humani fluxum cruoris, impium ſacrificium; quo dum religionem ſtricte colunt, eam tamen prius tanto ſcelere violant. Chriſtianis quidem ſic ſentiendum. Prorſus aliter antiqui illi, quibus, cum nefas eſſet cætera ſacra violari, hominem tamen ſacrum fas fuerit occidi, cujus rei cauſam ſic habes è Macrobio. *Veteres nullum animal ſacrum in finibus ſuis eſſe patiebantur ſed abigebant ad fines Deorum, quibus eſſet ſacrum: animas vero ſacratorum hominum quos Græci ζωάνας vocant, Dis debitas æſtimabant. Quemadmodum igitur quod ſacrum ad Deos mitti non poterat, à ſe tamen dimittere non dubitabant; ſic animas, quas ſacras in cœlum mitti poſſe arbitrati ſunt, viduatas corpore quam primum illo ire, voluerunt.* At magis horrenda uſi ſunt Galli illi

---

Lucian. in Necroman. Macrob. Saturn. lib.3. cap.7. Cruore captivo adolere aras & hominum fibris conſulere Deos fas habebant. Tacit. libr. 14. ann. Diodor. Sicul. de antiquit. fab. geſt. lib. 6.

Anthro-

Anthropomantia cui præfuerunt item Druides. *Cum de rebus magnis* (Diodori verba) *conſulunt, mirabilem, incredibilemque ſervant conſuetudinem; ingulant enim enſe hominem. Quo decidente, tum ex caſu, tum ex membrorum laceratione, tum etiam ex ſanguinis fluxu ex quadam antiqua rerum obſervatione norunt futura. Eſt apud eos moris, nullum abſque philoſopho ſacrificium facere. Exiſtimant enim per divinæ naturæ conſcios ſacra fieri oportere, tanquam diis propinquiores.* Immanis iſte vero mos, quem cum inſpiciendis ſæpe puerilibus extis adhibuiſſet ſpurciſſimus ille Varius Antoninus Imp. per ſcurras ipſe tandem miſere occiſus, per plateas tractus, in latrinam etiam (tanti facinoris procemium) eſt ejectus. Quæ vero apud Cæſarem ſequuntur audiamus. *Supplicia eorum, qui in furto aut latrocinio aut aliqua noxa ſint comprehenſi gratiora diis immortalibus eſſe arbitrantur: ſed cum ejus generis copia deficit etiam ad innocentium ſupplicia deſcendunt, Deum maxime Mercurium colunt, hujus ſunt plurima ſimulacra: hunc omnium inventorem artium* (quibus & præeſt ſecundum Antiquos Chaldæos & recentiores Aſtrologos) *ferunt. Hunc viarum atque itinerum ducem* (quod alias item ſenſiſſe gentes oſtendit illud Theocriti.

Ἑρμέω ἀζόμενος δεινὴν ὄπιν εἰνοδίοιο.

Hunc ad quæſtus pecuniæ mercaturaſque habere vim maximam arbitrantur, poſt hunc Appollinem, & Martem & Iovem & Minervam, de his eandem fere quam reliquæ gentes habent opinionem, Apollinem morbos depellere, Minervam operum atque artiſciorum tranſdere, Iovem imperium cœleſtium tenere, Martem bella regere. Huic cum prælio dimicare conſtituerunt ea quæ bello cœperunt plerunque devovent, quæ ſuperaverint animalia capta immolant,

---

Lamprid. in vit. Æliogab. *Theocrit. Idyll.* 26.

reliquaſque res in unum locum conferunt, multis in civitatibus harum, rerum extructos cumulos locis conſecratis conſpicari licet, neque ſæpe accidit: ut quiſquam, neglecta religione, aut capta apud ſe occlutare, aut poſita tollere auderet graviſſimumque ei rei ſupplicium cum cruciatu conſtitutum eſt. Galli ſe omnes ab Dite patre (quod nomen fuit etiam Samothi apud Beroſum) *prognatos prædicant, idque à Druidibus proditum dicunt, ob eam cauſam ſpatia omnis temporis non numero dierum, ſed noctium finiunt, & dies natales & menſium & annorum initia ſic obſervant, ut noctem dies ſubſequatur.* Antiquiſſimus ſane & fortaſſis naturæ maxime conſonus mos. Antiquiſſimus autem; nam Moſaicæ diſciplinæ. *A veſpera* (inquit SS.) *uſque ad veſperam celebrabitis ſabbatha veſtra.* Nec alia ſupputatione fuit ſynecdochice triduo Chriſtus Deus in ſepulchro. Naturæ vero conſonus. Nam eadem quaſi dictante, videtur obſervandus. Primo etenim, qui jucundiſſimis naturæ theoriis geniis ſuis ſtudent placere, analogicas omimodo eſſe diei naturalis & anni tropici qualitates edocuerunt, cum etiam ſub utriſque mundi polis totus annus unus, quaſi dies (ſemeſtris ſcilicet nox, ſemeſtris dies) eſſe videatur. Æquinoctiali vero menſi (qui *Tiſri*, vox Chaldaica, Hebræis dicitur, qui circa ſolis erat in dodecatemorion Libræ, ingreſſum, autumnali ſcilicet tempore (quod primarum, quas ajunt, qualitatum temperamento veſperæ diei naturalis, ſecundum attributionis analogiam maxime convenit) teſtimonia ſacrarum literarum, Flavius Ioſephus, Hebræorum plurimi, Lyra, Iohannes Picus Mirandula, Bodinus, Pererius, & alii incunabula mundi videntur attribuere. Sed Aſtrologis potius penitius introſpicientibus acquieſcendum.

Levit. c. 23. I. Dea in Propad. Aphoriſt.

Facta (item inquit Moſes) *eſt veſpera*, (prima ſcil.) *& factum eſt mane* (ſecunda pars diei naturalis) *dies unus.* Quam Geneſeos particulam) adverſus D. Auguſtinum, Baſilium, Ambroſium, Chryſoſtomum, Magiſtrum ſententiarum, ac Benedictum Pererium) Toſtatus, Eugubinus, Catharinus, Artopæus, Bodinus, & Otho Caſmannus convincere, veſpertinum tempus tanquam communem eſſe cujuſlibet diei naturalis præcedentis & ſubſequentis terminum conſtanter aſſerverunt. Gruibus autem alte volitantibus, Aſtrologis inquam, majorem etiam in iſtis forte quis fidem habendam judicaverit. Aſſentiunt autem illi Chaldæis; ortum ſolis diei naturalis principium conſtituunt, horas inæquales (quas aſcenſionibus ſignorum mediatatum juxta poli quamlibet elevatiotionem diſtinguunt) eo diſtribuunt modo, ut cujuſvis diei planeta denominator ſit ſimul, & primæ ejuſdem diei horæ temporalis dominator. Ex quo ipſius artis divinatricis præcepto diri dari planenetariam quamdam prærogativam videmus. Vndenam autem iſtud illi? An diabolicis (ut quidam ajunt) fallaciis obcæcati ut Deorum gratiam nominibus ſancta ſabbathi nomina ac Dominici commutarent? An recenter inter Chriſtianos ortum? nec apud Ægyptios (quorum amplecti doctrinam non dedignatus eſt Moſes) notum? haud temere quidem affirmandum. Habemus etenim antiquiſſimos Ægyptios * Petoſyrin & Mecepſonem, qui

---

Geneſ. 1. Toſtatus, Catharinus, Artop. ad Geneſ. Eugubin. in Coſm. Bod. de Dæm. lib. 3. cap. 1. Caſman. Aſtrolog. part. 2. cap. 2. quæſt 1 Vide Caſman, Aſtrolog. part. 2. cap. 4. quæſt. 2. Vide Dion. Xiphil. lib. 36. Firmicus Matheſ. lib. 3. cap. 1. & 2. Ptolemaicæ doctrinæ primi & antiquiſſimi fuerunt illi authores. Anomynus Græc. in lib. 3. quadripart.

(teſte

(teſte Iulio Firmico, ſecuri Æſculapium & Anubium, quibus potentiſſimum Mercurii numen Aſtrologiæ ſecreta commiſerat, mundi genituram ſic æquali modo conſtituerunt; ut Horoſcopi cuſpis eſſet decimaquinta pars Cancri; eademque Leonis infernæ portæ principium terminaret; in qua ſolaris Orbis centrum poſuerunt, quindecemque ad gradus Zodiaci infra horizontem depreſſerunt. Jam vero, cum Mathematici crepuſculum matutinum incipi demonſtrarint, cum ſolis centrum inter & horiſontem, verticalis circuli per eadem tranſeuntis arcus octodecem, ut N. Copernicis, vel novemdecem graduum, ut Alhazen, intercipiatur; Quidni antiquos illos (dum ſolis maximam eccentroteta, quæ quo major, eo ſimul & majorem telluris umbram conicam Optici demonſtrant) diem naturalem à crepuſculi initio auſpicatos fuiſſe cenſeamus? Quidni hinc horam primam diei Solis (quo mundum ajunt conditum,) cum ſol primus planetarum ſupra horizontem motu, quaſi unius temporis horarii emerſerit, denominatam fuiſſe cum toto die conjiciamus? Nec enim tam abſurda ſunt iſta ut Moſaicæ Geneſi aliquatenus videantur reniti. Præterquam enim quod poſt Philonem, Iudæum & D. Auguſtinum alii recentiores mundi creationem momentaneam fuiſſe ſenarioque numero dierum ordinem tantum quendam, ac perfectionem, ſeu myſticum quoddam, fuiſſe deſignatum ſcribunt; Dionyſius Areopagita, D. Thomas, Benedictus item Pererius Ieſuita primam lucem illam non aliam fuiſſe quam lucem ſolis, ſed primo die velut informem & imperfectam, quarto autem abſolutam & conſummatam ſentiunt. Cum vero opinio iſta, qua mundum menſe Iulio (Leonem

---

Copernic. lib. 2. Revolut. cap. 13. *Alhaz. de crep. D. Thom. ſumm.* 1. *p. q.* 75.

ſole

ſole paragrante) creatum fuiſſe affirmatur, renitente Gerardo Mercatore fere ſit exploſa; nec thema mundi, quod Petrus Alliacenſis, qui ſolem in medio poſuit cœli ac Arietis parte XIX. formavit, majori nitatur ratione; cum ſuper faciem abyſſi primum fuiſſe tenebras easque noctis nomine verbo Elohim appellatas ſacræ literæ teſtentur; Druidum noſtrorum diſciplina tam Judaicæ conſona, tam veræ propinqua, tam naturæ congrua horas Aſtrologorum illas planetarias vel prorſus contemnendas, vel ſaltem a veſpera (quod conſtanter affirmat Ioannes Bodinus) ſupputandas eſſe facile convincit. Totumne vero iſtud ſolum judaicum? nihil hic quoque Pythagoricum? Cujus diſcipuli jurare ſolebant per

—— ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν.

qui ſeipſo, vel in denarium Pythagorice reſolutus par ſemper manet nnmerus, parem autem numerum materialem eſſe cujuſque compoſiti cauſam, Diti ſacrum, (quem primum ſuum Druidæ agnoverunt parentem) Pythagorici cenſuerunt, Internos Deos, bino oculorum numero humanum ſupra caput poſito, donotarunt hieroglyphice Ægyptii, ſed ne nimis extra callem. Ad Cæſarem redeamus. Nec pigeat, (propter communem utrique genti Druidum diſciplinam, præſertim cum in Britannia ſit experta, ac ad publicas privataſque cauſas dirimendas ſeſe extenderit) municipales utriuſque gentis leges quaſi eaſdem fuiſſe credere. *In reliquis vitæ*

---

1. *Picus Mirand. Adverſus Aſtrol. lib. 7. cap. 6. & lib. 5. c. 9. I. Bodin. in lib. 3. de dæmonom. c. 1. Macrob. lib. 1. ad ſom. Scip. Aurea Carm. Pythag. Ariſtot. metaph. libr. 1. cap. 5. Plutarch. de plac. philoſo. libr. 1. cap. 3. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 13. In append. ad lib. 2. Ori Apollinis & Pier. hieroglyph. lib. 32.*

inſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

inſtitutis (ait ille) *hoc fere ab reliquis * differunt, quod ſuos liberos, niſi cum adoleverint, ut munus militiæ ſuſtinere poſsint, palam ad ſe adire non patiantur, filiumque in puerili ætate in publico in conſpectu patris aſsiſtere turpe ducunt; viri quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex ſuis bonis æſtimatione facta cum dotibus communicant, hujus omnis pecuniæ conjunctim ratio habetur, fructusque ſeruantur; uter eorum vita ſuperavit, ad eum pars utriuſque cum fructibus ſuperiorum temporum pervenit. Viri in uxores ſicut in liberos vitæ neciſque habent poteſtatem.* *a* Iudæorum ſacræ literæ, Ægyptiorum Diodorus, Athenienſium Heliodorus, tantam in liberos poteſtatem patri dediſſe leges, teſtantur. Nec ſolum Romanis lex iſta; quod tamen Iuſtin. *b* videtur affirmare. Tam utile vero hoc jus Reip. cenſet Ioannes Bodinus, *c* ut exemplo pernicioſo patribus ademptum reſtitui oportere aſſerat, naturæque maxime conſentaneum dijudicet. Sed quo longius (ut de hac re ſcribit eruditiſſimus Gentilis) receſſimus à priſcis illis temporibus, quum vivebatur, natura duce, eo & longius à naturali jure aberravimus. Sed Cæſarem rurſus. *Cum paterfamilias illuſtriore loco natus deceſsit, ejus propinqui conveniunt & de morte, ſi res in ſuſpicionem venit, de uxoribus in ſervilem mo-*

---

* *At in hoc aliquatenus cum Perſis conveniunt, apud quos, quadrimis minores in conſpectum patris non ſunt admiſsi. Strab. Geog. lib. 15. maxime vero cum Langobardis, quibus erat moris, ut regis cum patre filius non prandeat, niſi prius à rege gentis exteræ arma ſuſcipiat. Paul VVarnf. de geſt. Lang. l. 1. c. 25.*

a *Deuter. cap. 21. Diodor. lib. 2. de fab. antiq. geſt. Heliodor. Æthiop. lib. 1.*

b *Inſtit. patr. poteſt. §. jus autem.*

c *Bodin. de Repub. lib. 1. cap. 4. Alberic. Gentilis lib. 4. de Nuptiis cap. 1. Amm. Marcellin. Lucanus Pharſal. lib. 1.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

…um quæſtionem habent ; & ſi compertum eſt, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt. Iſta Cæſaris habemus teſtimonio, quæ Druidum interventu utraſque gentes mutuo communicaſſe, quis conjecturam faciat. Nec tam tragica fuit illis in re adminiſtranda aſperitas, quin & plurimos, qui in bicipiti ſomniarant Parnaſſo, nomine Bardos (quod à Bardo Celtarum illo rege quidam deducunt) in Gallia ſimul & Britannia floruiſſe, proditum ſit. *Qui fortia* (ſcribit Ammianus) *virorum illuſtrium facta heroicis compoſita verſibus cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt.* Quos item ſic Lucanus alloquitur :

Vos quoque qui forteis animas belloque peremptas
Laudibus in longum vates demittitis ævum
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Tanti vero apud eos ſunt (inquit Diodorus) *Poëtæ, ut cum extructa acie, exercitus eductis enſibus jactiſque jaculis propinquant, non ſolum amici, ſed hoſtes quoque eorum interventu à pugna conquieſcant, ita apud agreſtiores barbaros ira cedit ſapientiæ. Et Mars veretur Muſas.* Nec philoſophos hos inter ac Poetas Magicæ defuerunt ſuperſtitiones. Britannia enim, Plinii ætate, Magiam *tam attonite celebrabat tantis ceremoniis, ut dediſſe Perſis videri poſſit.* Sed de Britannis ipſis jam Cæſar, *utuntur,* inquit, *nummo ex eo aut annulis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo. Ex his omnibus, longe ſunt humaniſſimi, qui Cantium incolunt, quæ regio eſt maritima omnis, nec multum à Gallica differunt conſuetudine. Interiores plerique frumenta non ſerunt, ſed lacte & carne vivunt, pellibuſque ſunt veſtiti. Omnes vero ſe Britanni luteo inficiunt, quod cœruleum efficit colorem, atque hoc horribiliore ſunt in pugna adſpectu, capilloque ſunt promiſſo, atque omni parte corporis raſa, præter caput & la-*

Diodor. Sicul. lib. 6. de fab. antiq. geſt. Plin. Nat. hiſtor. libr. 30. cap. 1. Cæſar. de bello Gall. lib. 5.

brum

brum ſuperius. Uxores habent deni, duodenique inter ſe communes, & maxime fratres cum fratribus, & parentes cum liberis; ſed ſi qui ſunt ex his nati, eorum habentur liberi à quibus primum virgines quaque ducta ſunt. Leporem & gallinam & anſerem guſtare fas non putant hæc tamen alunt animi voluptatisque cauſa. En reliquias hic Pythagoræ, qui vel ob animarum transſmigrationem, vel (quod ait Plutarchus) ut manſuetiores fierent homines ab animalibus docuit abſtinentiam. *Oppidum vocant* (Cæſarem audis) *cum ſylvas impeditas vallo atque foſſa munierunt, quo incurſionis hoſtium vitandæ cauſa convenire conſueverunt.* Nec multum aliter Strabo. *Eorum urbes ſunt nemora, latiſſimos enim circos dejectis obſtruunt arboribus. Ubi conſtructis tuguriis & ipſi pariter ac armenta ſtabulantur.* Cæſaris poſtremo Caſſivellauni oppidum aggreſſi impetum non tulerunt Britanni, Caſſivellaunus autem legatos de deditione miſit ad Cæſarem, qui propter repentinos Galliæ motus, quos ad ſedandos feſtinabat, *obſides imperat, & quid in annos ſingulos * vectigalis populo R. Britannia penderet, conſtituit, interdicit atque imperat Caſſivellauno, ne Mandubratio nec Trinobantibus noceat.* Hæc ille de ſeipſo, quem item, Strabo, & Tranquillus, acceptis obſidibus, magnum ſervorum numerum ingentemque prædam reportaſſe ſcribit; Cum tamen C. Tacitus proſpera tantum pugna incolas terruiſſe, inſulareſque, Dion αὐτονόμους viginti à Cæſaris adventu annis fuiſſe ſuis in hiſtoriis tradiderint.

Plutarch. in lib. de ſoler anim. Strab. geograph. lib. 4.

* 30000. *libr. Galf. Arth. libr.* 1. *cap.* 24.

Strab. lib. 4. *Sueton. in Iul. cap.* 25. *Tacit. in vita Agric. Dio. lib.* 53.

CAP.

CAP V.

Auguſti, Tiberii, Caii, Claudii, &c. Impp. Rom. turbidis miſti rebus Dominatus hic, à Caſſivellauno ad Lucium Regem.

REverſus autem eſt Iulius Romam, fatis ceſſit Caſſivellaunus, cujus diademate Tenancius redimitus inſulam gubernavit, huic Cunobelinus filius ſucceſſit, qui tam arcta cum Romanis (Sic Galfredus) amicitia conjunctus erat, ut cum poſſit tributum eorum detinere, gratis tamen impendebat. Educaverat iſtum Auguſtus, qui *coercendi intra terminos imperii conſilio uſus eſt, longa igitur oblivio* (inquit Tacitus) *Britanniæ, etiam in pace.* Cenſum tamen univerſalis illa, (quam meminit D. Lucas) mundi deſcriptio hinc etiam extorſit. Conſilium Auguſti Tiberio *præcipue placebat, ita ut nihil in Britannia tentaverit, nec aliquid præſidii habuerit.* Romanorum tamen amicitiam jam coluiſſe Britanni videntur, quod cum Germanicus Oceanum navigaſſet, illiuſque ſociorum naves vi ventorum diſiectæ, pluresque in inſulas longe ſitas ejectæ fuiſſent, quidam Romanorum in Britanniam rapti & remiſſi ſunt à regulis. Hujus (ſcribit Plinius) *principatus ſuſtulit Druidas Gallorum, & hoc genus vatum medicorumque. Agitaſſe Cajum Cæſarem de intranda Britannia ſatis conſtat, ni velox ingenio, mobilis pœnitentia, & ingentes adverſus Germaniam, conatus fruſtra fuiſſent. Nihil autem amplius* (ut habet Tranquillus) *quam Adminio Cunobellini Britannorum Regis filio, qui pulſus à patre cum exigua*

Tacit. Annal. 1. *& vit. Agr. H. Huntingd. hiſt. lib.* 1. *fol.* 172. *Tacit. lib.* 2. *annal. Plin. lib.* 30. *cap.* 1. *Tacit. in Agric, Sueton. in C. Calig. cap.* 44.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

manu transfugerat, in deditionem recepto, quaſi univerſa tradita inſula, magnificas è Germania, ubi tunc agebat, *Romam literas miſit*. Cinobellinum demortuum excepit (ita Galfredus) Guiderius, quem frater Arviragus. Romæ vero Claudius Cæſar *dum vellet, juſti triumphi decus unde acquireret, Britanniam potiſſimum elegit: neque tentatam ulli poſt Divum Iulium* (ſic Suetonius) *& tunc tumultuantem ob non redditos transfugas.* Præpoſitorum maxime Oſtorii Scapulæ militari virtute adjutus intra pauciſſimos dies parte inſulæ in deditionem recepta, auſtrali ſcilicet, redactaque paulatim in Provinciæ formam, capto Carataco Silurum rege, addita inſuper, ſubſidio adverſus rebelles veteranornm in Camalodunum colonia, ſummo cum apparatu Romæ triumphavit, Britannicum ſe filiumque hinc denominavit. Ex quo Seneca

Cuique Britanni terga dedere
Ducibus noſtris ante ignoti
Iuriſque ſui. ———

ſummo Imperator iſte colebatur apud eos honore, quippe cui *templum conſtitutum, quaſi ara* (*arra* legit Lipſius) *æternæ dominationis, cui ſacerdotes delecti ſpecie religionis omnes fortunas effundebant.* Druidum autem diſciplinæ infenſus eorum religionem apud Gallos *diræ* (Suetonii verba) *immanitatis & tantum civibus ſub Auguſto interdictam penitus abolevit.* Quod Plin. ſupra de Tiberio. Neronis vero præfectos, quos huc deſtinavit, turbidæ res excepere; Senecæ etenim uſuris, aliiſque bonorum rapinis graviter oppreſſi, *conferebant injurias Britanni & interpetando accendebant, ſingulos conquerentes ſibi olim reges fuiſſe, nunc binos imponi*

Sueton. in Claud. cap. 17. *Tacit. lib.* 12. *ann. In Octav. act.* 1. *Tacit. lib.* 14. *ann. Sueton. in Claud. cap.* 24. *Tacit. in Agric. Tacit. lib.* 14.

è qui-

è quibus legatus in ſanguinem procurator in bona ſaviret. Suetonio Paulino, qui tunc Britannos obtinebat, repentina (dum in Mona inſula agebat) defectio nunciatur. *Rex Icenorum Praſutagus, longa opulentia clarus, Cæſarem hæredem duaſque filias ſcripſerat, tali obſequio ratus, regnum & domum ſuam procul injuria fore, quod contra vertit, adeo ut regnum per Centuriones, domus per ſervos velut capta vaſtarentur. Iam primum uxor Boodicia verberibus affecta, & filiæ ſtupro violatæ ſunt. Præcipui quique Icenorum, quaſi cunctam regionem muniri accepiſſent, avitis bonis exuuntur, & propinqui regis inter mancipia habebantur.* Antiquo certe more aliarum gentium Reges (ut de Attalo Pergamenorum, Nicomede Bithyniæ ſcribit Livius) Rom. P. ſcripſiſſe hæredem conſtat, quale itidem de *Gilberto Peche*, (cui honores & poſſeſſiones Baroniæ Penerellorum in Icenis erant devoluta) qui Edwardum primum Angliæ Regem hæredem ſcripſit, meminit Camdenus. *Moram enim* (inquit ille) *Romanorum ſub Imperatoribus illo ſeculo Angliæ proceres revocarunt ſcribendi ſcilicet principes hæredes cum apud principes in offenſa eſſent.* Tanta vero coutumelia & metu graviorum (quando in formam provinciæ ceſſerant) arma rapiunt, commotis ad rebellionem Trinobantibus, & qui alii nondum ſervitio aſſuefacti; reſumere libertatem occultis conjurationibus conſpirant, acerrimo in veteranos odio incenſi, Boodica duce (neque enim ſexum in imperiis diſcernunt, cum & ſuperius Carthiſmandua Brigantes regina ſub imperio tenuiſſet) ſumſere univerſi bellum, ac ſparſos per caſtella milites conſectati, expugnatis præſidiis, coloniam ipſam prius deductam, ſimul & municipium Verulanium

Tacit. lib. 14. Liv. Epit. lib. 58. Flor. hiſt. lib. 2. cap. 20. & epit. lib. 10. decad. 3. Candem, in Icenis agr. Cantabr.

invaſere, quæ duo ſunt præcipua oppida magna civium Romanorum ſociorumque cæde direpta, quorum Cajus Suetonius in annumerandis Reip. (Nerone pr.) malis mentionem facit. Obiter autem de municipio ac colonia (cum neutriuſque jus inſulæ noſtræ defuerit, ut recte, quæ illi graviter tulerunt, nos intelligamus) Romanarum rerum ſcriptores paulo conſulendum. *Municipes* (inquit Agellius) *ſunt cives Romani ex municipiis ſuo jure & legibus ſuis utentes, muneris tantum cum P. R. honorarii participes, à quo munere capeſſendo appellati videntur, nullis aliis neceſſitatibus, neque ulla Pop. R. lege aſtricti: quum nunquam Pop. R. eorum fundus factus eſſet. Sed Coloniarum alia neceſſitudo eſt. Non enim veniunt extrinſecus in civitatem, ſed ex civitate quaſi propagatæ ſunt, & jura inſtitutaque omnia populi Rom. non ſui arbitrii habent. Quæ tamen conditio cum ſit magis obnoxia & minus libera, potior tamen & præſtabilior exiſtimatur propter amplitudinem majeſtatemque Pop. Romani, cujus iſtæ coloniæ, quaſi effigies parvæ, ſimulacraque eſſe quædam videntur.* Tanta vero municipiorum videtur fuiſſe libertas, ut majorum ac avitis ſibique propriis ſacris uti minime prohiberentur. Quod de ſe Arpino municipio Tullii dictum aſtruit. *Hic gens, hic ſacra, hic majorum multa veſtigia.* Quo minus municipiorum conſtitutione, ſeu coloniarum deductione (colonos enim & ſua habuiſſe ſacra à Romanis alia cenſet Sigonius) antiquam Britannorum religionem, ſeu ſuperſtitionem exciſam fuiſſe ſentiendum eſt. Cognito vero provinciæ motu, *niſi Paulinus propere ſubveniſſet, amiſſa Britannia foret, quam unus prælii fortuna veteri patientiæ reſtituit, tenentibus arma pleriſque, quos conſcientia defectionis & proprius*

Sueton. in Nero. cap. 39. Gell. Noct. Attic. lib. 16. cap. 14. Cicero lib. 2. de legibus. Sigon. de antiq. jure Rom. lib. 1. cap. 8. Tacit. in vita I. Agric.

ex le-

ex legato timor agitabat. Paulinum, egregium cætera, arroganter in deditos conſulentem, excepit exorabilior Petronius Turpilianus, qui compoſitis prioribus ultra nil auſus Trebellio Maximo (qui fuga ac latebris vitata exercitus ita precario mox præfuit) provinciam tradidit. Arthurii monſtratus fatis Arviragus (quem tamen ſub imperio Domitiani poſuit Camdenus) hæredem Marium reliquit filium, quem Cogidunum apud Tacitum eſſe Richardus Vitus contendit civitates illi ſunt donatæ aliquæ, & ad Taciti ætatem fidiſſimus manſit, *vetere ac jam pridem* (inquit ille) *recepta Pop. Rom. conſuetudine ut haberet inſtrumenta ſervitutis & reges.* Nutante Rom. imperio civili diſcordia convulſo, Vectius Bolanus hic præpoſitus diſciplina militari inſulam agitavit. Orbis autem cæteri Veſpaſianus dominus Petilium Cerealem huc tramiſit, qui Brigantum civitatem aggreſſus, multa prælia & aliquando non incruenta geſſit, *magnam Brigantum partem aut victoria amplxus aut bello.* Suffectus eſt Iulius Frontinus qui *validam & pugnacem Sylurum gentem armis ſubegit.* Hunc Britanniæ ſtatum, has belli vices, miſſus in provinciam, juvenit Iulius Agricola, qui, Tito Imp. Ordovices obtruit prope univerſos. Cum autem ſub Domitiano hic ageret, Galgacum juſto prælio profligavit. Externis gentib. jam domitis & ultima Britannia penetrata, totaque inſula circumnavigata primus Romanorum inſulam eſſe deprehendit. Deinde *ut homines diſperſi ac rudes eoque bello faciles quieti & otio per voluptates aſſueſcerent, hortatur privatim, adjuvat publice, ut templa, fora, domus extruerent, laudando promptos, & caſtigando ſegnes: Ita honoris æmulatio pro neceſſitate erat. Iam vero principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum ſtudiis Gallorum anteferre, ut qui modo linguam Roma-*

Vit. lib. 4. hiſtor. Tacit. Agr.

nam

nam abnuebant, eloquentiam concupiſcerent. Inde etiam habitus Romanorum, & frequens toga, paulatimque diſceſſum ad delineamenta vitiorum, porticus & balnea, & conviviorum elegantiam, idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars ſervitutis eſſet. Ab origine vero forte nimis antiqua, iſtiuſmodi conviviorum elegantiam apud Anglos, deduxit Polydorus. cum abhinc eam emanaſſe conjiciat Iulius Agricola diſciplina militari bene hic exercita tandem, verbo, ut Syriæ provinciæ, quæ vacabat, præſideret, re vero, ut illius famam, quæ maxime augebatur, Domitianus comprimeret, è Britannia eſt evocatus; ſuceſſorque miſſus Saluſtius Lucullus. *Ita* (ſcribit Camdenus) *imperante Domitiano, ulteriori illa parte ut aſpera & infrugifera Barbaris relicta, hæc citerior plane & plene in provinciam fuit redacta; Quæ nec Conſularis, nec Proconſularis; ſed Præſidialis & Cæſarum cenſebatur. Utpote quæ Romano imperio, poſt diviſionem provinciarum ab Auguſto factam, acceſſit, & ſuos proprætores habuit.* Auguſtus enim (penitius hujus rei notitiam non abs re fuerit adnectere) provincias quaſdam S. P. Q. R. gubernandas reliquit, alias & validiores, quas annuis magiſtratuum imperiis regi, nec facile, nec tutum erat, ipſe ſuſcepit. Deligebantur (inquit Alciatus) ſorte ex Conſularibus Proconſules, ſicut exprætores, qui in provincias Pop. Rom. attributas cum poteſtate mittebantur, & ſummum ut Coſſ. in libera olim Republ. imperium habuerunt. Cæſar vero in provincias, quas ſuæ curæ reſervaverat, præſides vel legatos mittebat; non tamen cum tanta poteſtate, quanta erat Procoſſ. ſed mandatis & diplomatis principum; quibus omnis nimia pote-

Polydor. lib. 2. hiſt. Ang. Camd. in Rom. Suet Octau. cap. 47. Strabo in Geog. lib. 17. in fine. Alciat. ad. l. 100. titul. verb. ſign. l. ſi in aliam in tit. de off. Procoſſ.

ſtas

ſtas erat, plerunque coercita aut temperata. Unde cæteras inter & noſtra Britannia Præſidialis dicta. Legionum autem ac Romanorum militum (quos ad inſulanos coercendos Claudius aliique ſubſequentis Imperatores ætatis huc deſtinarunt) *Stationes ac prætenturæ procul dubio* (ſcribit erudiſſimus noſtras) *fuerunt ſæpenumero, quaſi genituræ urbium & oppidorum* (ut in aliis provinciis, ſic) *in hac noſtra Britannia. Sic Britannis jugum impoſitum primum præſidio militum, qui ſemper cum terrore impenderunt incolis inde tributo & vectigali, eoque nomine Publicanos habere cogebantur, id eſt, Harpyæ & hirudines, qui eorum ſanguinem exugerunt, bona publicarunt & mortuorum nomine tributa exegerunt. Nec legibus ſuis patriis uti permiſſi ſunt, ſed magiſtratus à Populo Romano cum imperio & ſecuribus miſſi qui jus dicerent.* Tulerunt Romanorum gubernacula ſub Trajano tamen coacti, uſque ad imperium Hadriani: quo teneri ſub Romana (deficientibus pleriſque aliis, quas ſubegerat Trajanus, gentibus) ditione non poterant. Petiit ergo ille Britanniam, *in qua* (ſic Ælius Spartianus) *multa correxit, murumque per octoginta millia paſſuum primus duxit, qui Barbaros* (Pictos enim ſub id tempus primum hujus inſulæ partem ſeptentrionalem occupaſſe ſcribunt) *Romanoſque divideret.* At vero undenam tamdiu redditur Harpocrates Arthurius? Quemnam ille proximo Britanniæ diademate inſignivit? collaudato (ſi diis placet) Mario ac jam mortuo, Coilus filius ab Arthurio princeps eſt ſalutatus, qui Romæ puer educatus amicitiam ſibi firmiſſiam cum terrarum orbis Dominis conciliavit, nec invitus (patris ſequutus conſilia) vectigal eiſdem impendit: ultima ſenſit

Eum, qui vectigal pop Romam conductum habet publicanum appellant. lit. de verber. ſig. l. 16. Spartian. in vita Hadriani Cæſ.

iſte fata ; hæredem autem reliquit filium, cui Lucius nomen ; Huic Regum Britannorum veri, Divini, Chriſtianique luminis radii ſalutaris influentiæ primum eluxerunt. Imo Britannia) quod ejus laudi & gloriæ imprimis ducatur) hunc prima inter omnes Chriſtiani Orbis gentes Chriſtianum Regem habuit. Sed benigniſſimum Pantocratoris illius Opt. Max. in noſtrum ſub illis temporibus aſpectum, altius repetendo, patefecere fuerit operæ pretium.

CAP. VI.

Chriſtiani nominis, Authore Lucio, propagatio; Ejuſdem hic antiquior Origo. Epiſcoporum inſtitutio Eleutherii PP. de Romanis legibus petitis Lucio reſponſum.

NEC tamen à Lucio (tametſi primus Regum Deum Hominem eſt amplexus) Chriſtianæ religionis fuerunt primordia, in fertiliſſimo Martyrum hoc agro; Cui, *univerſo Orbi præfulgidum ſui coruſcum oſtendens tempore (ut ſcimus) ſummo Tiberii Cæſaris (quo abſque ullo impedimento ejus propagabatur religio, comminata, ſenatu nolente, à principe morte dilatoribus militum ejuſdem (radios ſuos primum indulſit, id eſt, ſua præcepta Chriſtus. Quæ licet ab incolis tepide ſuſcepta ſunt, apud quoſdam tamen integre, apud alios minus, uſque ad perſecuteonem Diocletiani tyranni novenam, permanſere.* Non ſolum etenim Ioſephum ab Arimathæa civitate oriundum, qui ſervatoris noſtri corporis inhumandi negotium inivit, ab Apoſt.

Camden. in Brig. Gildas in epiſt. de excid. Brit.

Gal-

Gallorum Philippo huc miſſum, prima fundamenta veræ religionis poſuiſſe cænobium monaſticæ familiæ D. Ben. ordinis in Glaſconia, agri jam ſomerſetenſis inſula, primum quadamtenus inſtauraſſe, (ex quo majoribus noſtris locus ille *Prima terra Dei & prima ſanctorum terra in Anglia dictus erat*) Hiſtorici noſtri prodiderunt; ſed etiam Simonem Zelotem Nicephorus, hanc inſulam adiiſſe, ſcriptum reliquit. Miſere vero depreſſum peneque, ne dicam (ob Gildæ teſtimonium) penitus ſuffocatum diffluente errorum humido, ignem illum hic cœleſtem primo accenſum, ut ulterius tandem lumen ſuum ac calorem in incolas diffunderet, mirum in modum & fœliciſſime Lucius ille fovere ſtudebat. Quippe cujus ſenſibus cum edita indies Chriſtianos inter miracula, mores eorum imbibendi, ſacroque ſe lavacro abſtergendi deſiderium ingeſſiſſent, Pontificem Romanum, qui tunc fuit (juxta Bedam anno Chriſti clvi. quem tamen, ne prorſus fallaris, ante clxxi. minime Papam fuiſſe conſtat) Eleutherium, ut cum ſuis Chriſtiano nomine obſignaretur, mandatis literis conſuluit. Qui eo tandem, quo fuit erga veræ religionis propagationem (nec enim tot ſuperſtitionum maculis adhuc erat R. E. conſperſa) ductus amore, Fugatium & Damianum inprimis doctos, inſignisque pietatis viros, miſit, ut Regem ſimul ac incolas Britannicos ſacro baptiſmate abluerent. Nec oleum ille, nec operam

---

Camdem. in Belg. Polydor. lib. 2. hiſt. Ang. Buchanan. lib. 5. Rer. Scotic. I. Fox, eccl. hiſt. lib. 2. ex Gilda. Niceph. lib. 2. cap. 40. Vide Fiteherb. de antiq. eccleſ. Angl. Bed. eccl. hiſt. lib. 1. cap. 4. Vide Crantz. in Metropoli ſua cap. 6. lib. 1. Galfred. Monum. lib. 2. cap. 1. Al. Faganus & Dunianus ſeu Dimianus. Galfred. Mon. lib. 2. cap. 1. Pontic. Virun. libr. 3. hiſt. Brit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

iſti perdiderunt. *Nec mora, concurrentes* (Arthurium legis) *undique nationum populi regis exemplum inſequuntur, eodemque lavacro mundati, cœleſti regno reſtituuntur. Beati ergo doctores, cum per totam fere inſulam paganitatem deleviſſent, templa quæ in honore plurimorum Deorum fundata fuerant, uni Deo ejuſque ſanctis dedicaverunt, diveriſque ordinatorum cœtibus repleverunt. Fuerunt tunc in Britannia* XXVIII. *Flamines &* III. *Archiflamines.* Totidem vero flaminibus (quos στεφανοφόρους à capitis geſtamine, quod *Flama* dictum, coronæ ſpeciem referebat, Dionyſius Halicarnaſſeus; Pilamines vero à pileis quibus capita circumdederunt Plutarchus; Filamines à filo lanæ, quo præcincta habebant tempora Varro, dictos eſſe ſcribunt) quot Deos colebant, ſunt uſi veteris. Unde Iovis ſacra Dialis, Martis Martialis, Romuli Quirinalis apud Romanos ſedulo curabant. Quemadmodum autem Epiſcopis apud nos Archiepiſcopi? ſic Flaminibus Archiflamines præponebantur. *Horum poteſtati cæteri judices in inſula ſubjiciebantur. Hos autem* (Galfredi verba) *ex præcepto Apoſtoli idololatriæ eripuerunt, & ubi erant Flamines Epiſcopos, ubi erant Archiflamines Archiepiſcopos poſuerunt. Sedes autem Archiflaminum in tribus nobilioribus civitatibus fuerant, Londoniis videlicet, Eboraco & in urbe Legionum, quam ſuper Oſcam fluvium in Glamorgantia veteres muri & ædificia ſitam fuiſſe teſtantur. His ergo tribus, evacuata ſuperſtitione, octo & viginti epiſcopi ſubduntur, diviſiſque parochiis ſubiacuit Metropolitano Eboracenſi Deira & Albania, quas magnum flumen*

Dionyſ. Halic. Antiq. Rom. libr. 2. Plutarch. in Num. varro de ling. latin. lib. 1. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 12. Pomp. Lat. de ſacrd. Rom. cap. 7. Feneſtell de ſacerd. Romam. cap. 5.

Hun-

Humbri à Loegria fecerint. Eboracenſis autem Archiepiſcopus in omnes Scotiæ Præſules ac antiſtites jure (quod & reſanciturum erat, ſub Henrico ſecundo & Hugone legato Pontificio, celebratum concilium) primatis olim fungebatur. *Londienſi vero Metropolitano ſubmiſſa eſt Loegria & cornubia.* Metropoliticam vero illius ſedem, Richardus Vitus, in templo illo, fuiſſe affirmat, quod è ruinis delubri Apollinis ad occiduam urbis Londini partem collapſi Lucius iſte (ut author eſt Sulcardus) conſtruxit, furore vero Diocleſiani penitus ſubverſum, Sigebertus Orientalium Saxorum Rex, qui primus inter eos Chriſto nomen dedit, poſtea reſuſcitavit, eoque loci D. Petro cœnobium (quod VVeſtmonaſterium dictum) anno ſalutis noſtræ DC. V. ſacratum condidit. *Cambria, id eſt, Gualia urbi legionum ſubiacuit.* Reverſi vero illi Romam, eorum, quæ ſancte ſimul ac pie conſtituerant, ut author fieret Eleutherius, facile impetrarunt, Britanniamque, doctis quam plurimis, ut operariis ad meſſem, miſſis comitati repetierunt, Lucius autem, cui Reip. Chriſtianæ cura nihil fuit antiquius, illic optimas, civilique adminiſtrationi maxime idoneas florere leges dijudicans, ubi tam ſalutares ac divinæ (quas receperat) inſtitutiones tam fauſto pullularant: ut Romanas ac Cæſaris leges ad regnum ſuum ordinandum ſibi mandaret, eundem Pontificem literis interpallavit. Habuit enim ætas iſta (ſi ad Antonini Philoſophi tempora) L. Voluſium, Metianum Marcellum, Servitium Scævolam, (ſi ad Sever imperium referas) Papinianum, Paulum, Ulpianum alioſque I. C. (ut ſcribunt Iulius Capitolinus, Spartianus, & Lampridius) quamplurimos-

Polydor. lib. 13. hiſtor. Angl. Camden. in Brig. Vit. hiſtor. lib. 5. Camden. Capitol. in vit. Anton. Spartian. Lamp. in vit Severi.

quorum ex induſtria ac judiciario labore non pauca eorum, quibus turgeſcunt Codex & Pandectæ, ultimus ille Romanorum Iuſtinianus excerpſit. Eleutherius autem liberum hominem, & è ſacro fonte nuperrime ſuſceptum Regem, ſibi ſuiſque legem eſſe, quam Ethnicorum reſponſis coerceri, ſentiens eſſe magis decorum, *Petiſtis*, reſcribit, *a nobis leges Romanas & Cæſaris vobis tranſmitti, quibus in regno Britanniæ uti voluiſtis. Leges Romanas & Cæſaris ſemper reprobare poſſumus, legem Dei nequaquam. Suſcepiſtis enim nuper miſeratione divina, in regno Britanniæ, legem & fidem Chriſti; habetis penes vos in regno utranque paginam, ex illis Dei gratia, per conſilium regni veſtri ſumite legem, & per illam Dei patientia veſtrum rege Britanniæ regnum. Vicarii vero Dei eſtis in regno, &c.* Ex quo non ſolum Britannorum, ſed etiam Anglorum ſubſequentes Reges hoc nomine Vicarii Dei ſunt potiti. Sic enim Henricus de Bracton juris Angliæ municipalis peritus, ſimul & Iuſtinia-

---

Fox. eccleſ. hiſt. libr. 2. Lambard. Arch.

Bract. lib. 1. de acq. rer. dom. cap. 8. tem. It. 3. Theod. & Valen. A.A. Digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe principem profiteri. C. de legibus lib. 4. At Paulus ff. de legat 3. leg. 23. Imperator legibus ipſe ſolutus videtur, recte ait, videtur, (adnotat Gothofredus) nec enim verè ſolutus eſt legibus quin eis alligatus eſt. Imperatorem enim legibus ita intelligit ſolutum ut ἁμαρτήσας μὴ κολάζοιτο. *alias enim A.A. quos diximus de authoritate juris (inquiunt) noſtra pendet authoritas ibi. hinc iſta Bractonus, licet etiam quod principi placuit, lex eſto adblandiuntur Civiliſtæ. Arthur, lib. 2. cap. 2. Camdenus in Roman. & in Brig. Ulp. in π. titul. de vulg. ſubſtit. l. moribus introductum eſt. Sed Baßiani Antonini Legatum fuiſſe Lupum diſputat. R.Vitus hiſt lib. 5. not. 17.*

nista

niſta, qui pontificio quaſi vigente hic imperio ſcripſit. *Quod * ſub lege Rex eſſe debeat, cum ſit Dei vicarius evidenter apparet ad ſimilitudinem Ieſu Chriſti, cujus vices gerit in terris, quia verax Dei miſericordia, cum ad reparandum genus humanum ineffabiliter ei multa ſuppeterent, hanc potiſſimam elegit viam, quaſi ad deſtruendum opus Diaboli, ut non virtute uteretur potentiæ, ſed juſtitiæ ratione.* Fœlix hoc Lucio nomen fauſtum omen. Delubris enim Deorum, Idolorum fanis, Druidum aris dirutis & ſubverſis, veri numinis honori ac cultui prædia quamplurima dicavit, auxit, *omnique libertate ſublimavit.* Iſta tandem *Primi Regis Chriſtiani*, ad æternam in poſteros famæ ſui propagationem, inprimis autem ad animæ ſalutem, nactus teſtimonia, ſummum & commune naturæ debitum perſolvit.

CAP. VII.

Ordinatio inſulæ per Severum. Diocletiani Perſecutio in Britannos Chriſtianos. Regum Britanniæ Dignitas, Romani Periodus (quæ Inſularibus libertas) imperii.

FOELICI nimis auſpicio, ut olim mundo diducti, ſic jam ab idolis mundi ad veri cultum Dei ſeſe Britanni exerebant, quippe quorum mortuus Protochriſtianus Rex haud reliquit heredem, qui firmatam religione Rempublicam onuſque imperii Britannici ſuſtinere ſatis potuit. Diſtrahuntur octo proceres de principatu diſſidio. Eſſe aliquod caput (ut de patribus poſt mortem Romuli ſcribit Livius) placebat, & nemo alteri concedere in animum inducebat. Nec Barbarorum ſeptentrionalium impetus tulere Romani Duces;

uſque quo tandem Ulpii Marcelli à Commodo Imperatore miſſi virtus militaris ſubveniret. *Summum vero orbis terrarum faſtigium Septimius Severus conſequutus ad Britanniam obtinendam primum Heraclianum deinde Virium Lupum Britanniæ legatum proprætorem & Præſidem (ut ex ſaxis & Ulpiano conſtat) conſtituit.* Poſtquam autem Albinum in Galliis bello profligaſſet διοίκησε δὲ τὰ κατὰ τὴν Βρεττανίαν, ϗ διεῖλε εἰς δύο ἡγημόνας τὴν τοῦ ἔθνους ἐξουσίαν, id eſt, (ex Herodiano loquimur) *ordinavit ea, quæ ad Britanniam pertinent, & diſtribuit in duos principatus gentis illius authoritatem.* Authoris autem idioma exinde addimus, quod R. Vitus eundem locum in notis ad hiſtoriam ſuam ſic latine convertit. *Diſtribuit quaſi per diœceſes ea, quæ pertinent ad Britanniam & diſpertivit in duo regimenta gentis illius poteſtatem. Non igitur,* inquit, *dicit Herodianus Severum totius inſulæ* (ſic enim Angelus Politianus tranſtulit) *adminiſtrationem ordinaviſſe; quippe totam inſulam non occupaverat, ſed eam partem inſulæ* (auſtralem ſcilicet) *quæ Romanis ſubjecta fuit in Diœceſes ſuas diſtribuit, quarum adminiſtratio ſub duobus Præfectis ageretur, quæ regimenta Reipub. Arcadius Chariſius titulo de officio Præfecti Prætorio vocat.* Provinciæ vero tametſi viribus (quod ait Florus) parantur, jure retinentur, tumultuantes tamen, ac incurſionibus Romanam ditionem infeſtantes, ſeptentrionales Britannos (qui Fulgenio Duce fines Auſtraliorum depopulabantur) nec jus nec vis Præfecti Prætorio comprimere potuerunt. Libentiſſime ergo (nam Britannici nominis erat cupidiſſimus) Præfecti literis accerſitur Severus. Qui filios item ſuos Getam & Baſſianum ut procul ab illecebris

---

Herodian. lib. 3. Vit. hiſtor. Brit. libr. 5, not. 11.
lib. 1. tit. 11. Flor. hiſt. Rom. lib. 4. cap. 12.

Ro-

Romanis militari diſciplinæ vitæque honeſtæ ſeſe aſſueſacerent, Britanniam adduxit. Baſſianus autem cum pater adverſus Barbaros occupatus bello; Geta interim in parte inſulæ Romanis ſubjecta, qui juri dicendo rebuſque civilibus adminiſtrandis præfuit, relinquitur Cui, idem ad obeundum munus, adjunxit juris & legum oraculum Æmilium, Paulum Papinianum illuſtriſſimum I. C. qui eo tempore Prætorium Eboraci & Tribunal exercebat. Auxit autem hujus honorem civitatis, quod Severus & Antoninus AA. cum Cæciliæ de jure reſponderent, hic morarentur, hinc reſcriberent; legem quidem, quam attexere non pigeat. *Etiam per alienum ſervum bona fide poſſeſſum, ex re ejus, qui eum poſſidet vel ex operis ſervi acquiri dominium vel obligationem placuit. Quare ſi tu quoque bona fide poſſediſti eundem ſervum & ex nummis tuis mancipia eo tempore comparavit, potes ſecundum juris formam uti defenſionibus tuis. Mancipium autem alienum mala fide poſſidenti nil poteſt acquirere, ſed qui tenet non tantum ipſum, ſed etiam operæ ejus, nec non ancillarum partus & animalium fœtus reddere cogitur. PP. III. Non. Maii Eboraci Fauſtino & Rufo Coſſ.* Tantum malam fidem exſecratur Britannia, ut non ſolum iſto, quo vi ſtellionatuſque crimine gravi premimur, ævo ſalutaribus novis legibus vis ſimul ac fraus maxime cohibeantur, ſed etiam hoc edictum, quod immenſo illi aliarum ſuper alias acervatorum legum Romanarum cumulo ſolum ex iſto orbis angulo acceſſit, malam inter & bonam fidem optime diſtinxerit. Severus autem *Britanniam, quod maximum ejus imperii decus eſt* (ſic enim Ælius Spartianus)

Forcatulus. Cod. lib. 3. tit. 32. de rei vendic. lib. 1. Spartian. in vit. Severi. Vid. Camden. in Mu. Pictic. & Polyd. lib. 2. hiſtor. Vit. hiſt. lib. 5. Spartian. in vit. Sever. Alex. ab Alex. lib. 3. Genia. dier. cap. 2.

muro per tranſverſam inſulam ducto (Hadriani murum tantum hoc opere reſtauratum fuiſſe volunt eruditi) *utrinque ad finem Oceani munivit, unde etiam Britannici nomen recepit.* Infœlix ille, qui Judæos fieri ſub gravi pœna vetui, idemque de Chriſtianis ſanxit, ſine dubio Paracleticam vix hic adultam religionem valde labefactabat. En idola, delubra, hoſtias, oſtendit Spartianus. *Et in civitatem veniens* (Eboracum ſcilicet) *cum rem divinam vellet facere, primum ad Bellonæ* (cujus ſacerdotes non animalibus hoſtiis, non victimis litarunt, ſed diſſectis membris ſuo cruore aras conſperſere) *templum ductus eſt errore aruſpicis ruſtici, deinde hoſtiæ furvæ ſunt applicitæ; Quod cum eſſet aſpernatus, atque ad palatium ſe reciperet, negligentia miniſtrorum nigræ hoſtiæ uſque ad limen domus Palatinæ Imperatorem ſecutæ ſunt.* Senſit tandem Orbis Dominus naturæ leges; eo loci quo reſponſa dederat, imperaverat, nomenque ſumme auxerat, Eboraci inquam, ultimum fatorum ſubiit judicium. Filiorum autem Baſſianum, quod è matre Britannica natus eſſet (Martiam Severi primam uxorem illam fuiſſe vult R. Vitus) inſulares, Getam autem, quod utroque ſanguine Romanus, Romani Regem ſeu Imperarorem ſalutaverunt. Qui ſolus tandem, devicto fratre, imperium eſt ſortitus. Abſorpſit Britannicas res abhinc, quæ ad civilem aliquatenus pertinent adminiſtrationem, Lethe uſque ad Probi tempora Imp. *qui Gallis omnibus, Hiſpanis, Pannoniis & Britannis* (authores Fl. Vopiſcus & Aurelius Victor) *hinc permiſit, ut vites haberent, vinumq; conficerent.* Inuadit tandem Rom. Imperii, poſt Carum & Numerianum, gubernacula Diocletianus. Britannici vero Carauſius. Is enim cum per tractum Bel-

Vit. hiſt. lib. 4. not. 67. Vopiſc. in vita Probi & ibid, Victor. Epit. Eutrop. libr. 9.

gicæ

gicæ & Armoricæ mare pacandum accepiſſet, quod Franci & Saxones infeſtabant, prædarum, quæ occurrebant, illectus avaritia, piratarum latrociniis & peculatui ſeſe immiſcuit. Ex quo Maximianus Herculius (quem ſibi Diocletianus aſſociaverat) in Galiis agens illum occidi juſſit. Deſerit Carauſius (cum Maximiani conſilii compos factus eſſet) tutelam ſibi commiſſam, regnumque Britanniæ protinus occupavit. Alectus autem ad mortem Carauſii deſtinatus, vitam illi eripuit, imperium inſulæ ſibi acquiſivit. Miſſus inde Conſtantius Chlerus ad Britanniam recuperandam & Aſclepiodotus Præfectus Prætorii, qui Marte tandem aperto, Alectum profligavit, regnique diadema capiti ſuo, populo annuente, impoſuit. At ſatis turbidas iſtas res, Diocletiani, in Chriſtiani nominis viros, perſecutionis turbo longe ſuperavit. Qua certe Deus Opt. Max. *ne penitus craſſa noctis* (author eſt Gildas) *caligine Britannia obfuſcaretur, clariſſimos Lampades ſanctorum Martyrum nobis accendit, quorum nunc corporum ſepultura & paſſionum loca, ſi non lugubri divortio barbarorum quamplurima ob ſcelera noſtra civibus adimerentur, non minimum intuentium mentibus ardorem divinæ charitatis incuterent; ſanctum Albanum Verolanianſem, Aaron & Iulium Legionum urbis cives, cæteroſque utriuſque ſexus diverſis in locis, ſumma magnanimitate, in acie Chriſti perſtantes dico.* Iſtane vero ſuum à Britannis Chriſtum extorquere potuerunt? membrorum dilaceratio? tormenta, quibus excruciati ſunt? Nihil minus! *Nam qui ſuperfuerant* (Gildam iterum legis) *ſylvis ac deſertis abditiſque ſpeluncis ſe occultavere, expectantes à juſto rectore omnium Deo carnificibus ſevera quandoque judicia, ſibi vero animarum tutamina. Igitur biluſtro ſupra-*

Arthurius lib. 2. cap. 2. Gildas in epiſt. de excid. Brit. Bed. libr. 1. capit. 7. Gild. ibid.

dicti turbinis, needum ad integrum expleto, emarceſcentibuſque nece ſuorum authorum nefariis decretis, lætis luminibus omnes Chriſti Tyrones, quaſi poſt hyemalem ac prolixam noctem, temperiem lucemque ſerenam auræ cæleſtis excipiunt, renovant ecleſias ad ſolum uſque deſtructas, baſilicas ſanctorum martyrum fundant, conſtruunt, perficiunt, ac velut victricia ſigna paſſim propalant, dies feſtos celebrant, ſacra mundo corde, oreque conficiunt, omnes exultant gremio ac ſi matris ecleſiæ confoti. Manſit namque hæc Chriſti capitis membrorum conſonantia ſuavis, donec Hæreſis Arriana Conſtantinopoli hucuſque (Conſtantino Imp.) ſeſe propagaret. Imo terra iſta, noſtra, percolato martyrum ſanguine humigata, Principem, cui nihil prius erat quam Chriſtianum fovere religionem, Britannico ſanguine natum (ſummum inſulæ decus) tunc temporis nutrivit, atque in imperium evexit, Conſtantinum nempe illum, quem ex Helena Cœli Reguli (qui Aſclepiodotum regno ſpoliarat) filia primis nuptiis ducta Conſtantius Chlorus Cæſar dum Britanniis agebat, ſuſceperat. De re ille Chriſtiana maxime meruit, & de Britannica; de quo Britannia Patria *O fortunata, & nunc omnibus beatior* (inquit Anonymus Panegyreſtis) *terris Britannia, quæ Conſtantinum Cæſarem prima vidiſti. Dii boni quid hoc eſt, quod ſemper ex aliquo ſupremo fine Mundi nova Deum numina univerſo orbi colenda deſcendunt? Sic Mercurius à Nilo, cujus fluminis origo neſcitur, ſic Liber ab Indis prope conſciis Solis Orientis Deos ſe gentibus oſtendere præſentes. Sacratiora ſunt profecto* (Sic B. Rhenanus legendem cenſet) *mediterraneis loca vicina Cœlo & inde propius à Diis mittitur Imperator, ubi Terra finitur.* Civilem Britanniæ adminiſtrationem ſub Conſtantino & ſuccedentibus annis ſic ſummatim G. Camdenus depinxit.

Panegyr. Conſtant. dictus. Camd. in Rom. in Brit.

Præfuit Britanniæ Præfectus Prætorio Galliarum, & ſub eo vicarius Britanniæ, qui ejus vices agebat, & ſpectabilis dictus, cui parebant pro numero provinciarum duo conſulares, & tres præſides, qui cauſas civiles & criminales audiebant.

Quoad rem militarem, imperavit Magiſter Peditum Occidentis, ſub cujus diſpoſitione erant Comes Britanniarum, Comes Littoris Saxonici per Britanniam, Dux Britanniarum.

Comes Britanniarum interioribus inſulæ partibus præfuiſſe videtur, qui ſecum habuit ſeptem Numeros peditum & novem vexillationes Equitum.

Comes Littoris Saxonici qui littora contra Saxones turbatur, & Comes tractus Maritimi ab Ammiano dicitur, ad tuendam oram maritimam habuit ſeptem Numeros Peditum & duas vexillationes Equitum, Legionem ſecundam, & cohortem unam.

Dux Britanniarum qui limites contra barbaros turbatur imperavit XXXVIII. *præſidiis, in quibus ſtationes egerunt* 14000. *Pedites, &* 900. *Equites. Ita ut eo ſeculo, ſi Pancirolus recte rationes ſubduxerit, aluerit Britannia* 19200. *pedites, &* 1700 *Equites plus minus ordinarios.*

Præter hæc Comes ſacrarum largitionum, qui donorum, & liberalitatis Imperatoris curiam gerebat, habuit ſub ſe in Britannia Rationalem ſummarum Britanniæ, Præpoſitum Theſaurorum Auguſtenſium in Britannia, & Procuratorem Gynægii in Britannia, in quo Principis, militumque veſtes texebantur. Comes etiam rerum Privatarum ſuum etiam habuit rei privatæ Rationalem in Britannia, ut taceam Procuratorem Ludi gladiatorii per Brit. cujus meminit vetus inſcriptio, & alios ſubſellii inferioris.

Nec dubium, quin iſta Reipubl. diſpoſitione Britannia maxime floruerit. At majori quodam

Vide Pancirolum in comm. ad notitiam dignitat. Occidentis cap. 69. & 72. de his plenius.

decore

decore ſummoque honore illuſtriſſ. ille Auguſtus Conſtantinus, (quippe qui è Britannia & in Britannia natus, Imperator in Britannia ſalutatus, Romanum Imperium Britanniam, quaſi tranſtuliſſe videtur) Gentem ſimul ac inſulam donavit hereditario jure. Rex Britanniæ militari tandem virtute, Maxentio, qui Romam occupaverat, profligato, Imperium ſibi acquiſivit. Imo jam τȣ̃ κόσμȣ Κύριος (quod Imperatores ſibi aſciverunt nomen) ut primum, ad honoris culmen, gradum, Britanniæ principatum habuit. Edititios judices hujuſce rei noſtrates hiſtoricos forte quiſpiam judicaverit. At Æquos imo Romanos habetis! Ad promovendam enim rem Chriſtianam Gregorius Magnus Ethelbertum Anglorum Regem exemplo primum Conſtantini exuſcitare ſatagens, *Et nunc itaque,* inquit, *veſtra gloria cognitionem unius Dei Patris & filii & Sp. S. Regibus ac populis ſibimet ſubjectis feſtinet infundere, ut & antiquos gentis ſuæ reges laudibus ac meritis tranſeat.* Æthelbertum Conſtantini ſucceſſorem agnoſcit. En Polydorum Italum. *Britannia tandem aliquando viſa eſt ſibi libertatem conſecuta, quod Conſtantinum hominem Britannum Regem haberet totius Orbis principem; honore, dignitate, authoritate longe beatiſſima erat in eoque ſtatu non invita acquieſcebat, & ſi quo in Romanos olim odio flagraverat, jam illud commutarat, quod Dei pari nutu, atque etiam tanti Regis beneficio pace frueretur, & initium ſummi honoris factum eſſet, qui ad poſteros manaret, quanquam poſtea haud perdiu in Conſtantini domo imperium manſit, ita cito humanæ opes cadunt: tamen decus ipſius imperii cadere non potuit, cum etiam nunc Reges Angliæ more majorum diademate imperiali utantur, ut mu-*

---

ff. tit, de lege Rhod. lib. 9. Deprecatio, Bed. eccleſ. hiſt. libr. 1, cap. 32. Polyd. hiſt. lib. 3.

nere

nere ab Imp. Conſtantino in ſuos poſteros collato. Tantæ certe & participes gloriæ Reges noſtros eſſe vult illud Romanæ de enumerationis ordine Regiſtrum Curiæ. *Sunt quidam* (ibi legitur) *coronandi & quidam non; illi qui coronandi ſunt, debent inungi & illi habent privilegium, videlicet Rex Francorum Chriſtianiſſimus coronatur & ungitur, Rex Angliæ coronatur & ungitur, Rex Caſtellæ non, Rex Legionis, &c.* At nec plenioris notam juris, non in ſuos ſuperioris, aut biceps aquila Occidentis, aut Orientis Bῦτα quadruplex, quam hujus Orbis anguli, tertio tandem ſuperaddito aurei * Leopardi (ſtemmata ΒΑΣΙΛΕΩΣ ſaltem * ΒΑΣΙΛΕ'ΟΙΝ ΒΑΣΙΛΕΥ'ΟΝΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥ͂ΣΙ) præ ſe tuliſſe videntur. Exorto enim Henricum III. Imperatorem inter ſummumque Pontificem Vrbanum II. diſſidio, de Papali electione, cujus ſibi jus Henricus vendicabat; Rex noſter Gulielmus Secundus parili ſubnixus auctoritate *allegavit eandem rationem* (Matthæus Pariſienſis) *quod nullus Archiepiſcopus vel Epiſcopus regni ſui Curiæ Romanæ vel Papæ ſubeſſet, præcipue cum ipſe omnes libertates haberet in regno ſuo, quas Imperator vendicabat in imperio.* Dignum Vicario Dei dictum. Nec

---

Mihi ſuppeditavit iſta libellus quidam Gallice conſcriptus impreſſ. Pariſ. A. Dom 1587. *Lettres d'un François ſur certein diſcours faict n'agueres par la preſeance du Roy d'Eſpagne. Miſit Fredericus Imp. Regi Hen. III. tres Leopardos in ſignum regalis clypei in quo tres Leopardi tranſeuntes figurantur, ait Matth. Pariſ. pag.* 557. *hiſtor. ma. Franciæ & Scotiæ Regum. Ed. III. maxime ſe Regem illorum oſtendit. Froſſand. & VValſingh in vita VVil Rufi. pag.* 25. *Th. VValſingh. Gildæ Agitium Bedæ lib. quibuſd. Bortium. Gild. epiſt. de excid. Brit. Bd. lib.* 1. *cap.* 13.

ſum-

ſummo ſuo derogatum iri quidpiam jure ſivit inclytiſſimus Edvvardus ille III. qui cum Lodovicus Bavariæ Dux (qui Imp. ſeſe adverſus Fridericum Auſtriæ Ducem prætendebat) cnm Edvvardo Coloniæ comveniens indigne tuliſſet, quod ad oſcula pedum Rex Angliæ ſe non ſubmiſerat, jure reſpondit, *quod Rex Angliæ erat Rex inunctus & habet vitam & membrum in ſua poteſtate, & idcirco ſe non ſubmitteret, ſicut Rex alius non inunctus.* Sed ab iſtis (non prorſus tamen) parergis ad Britannos, qui Romanorum uſque ad Theodoſii tempora imperiis ſubfuerunt. Gothorum jam Roma-Pictorum & Scotorum noſtra Britannia incurſionibus maxime tarbata, incolæ provinciales literis ad * Ætium Coſſ. miſſis congemiſcunt. *Ætio III. Cos. gemitus Britannorum.* Et poſt pauca querentes. *Repellunt Barbari ad mare repellit mare ad barbaros. Inter hæc duo genera funerum aut jugulamur aut mergimur.* Obſecratis fuderunt auribus preces: Inſtabat enim Romæ Attila Gothorum Rex; nec tutum erat, urbe periclitante, vires imperii Britanniam ad tutandam tranſmittere. Sic Miſeri, inhiantibus Barbaris obnoxii, quaſi patronorum auxilio & clientela ſpoliati, ſummam tandem libertatem (quam quingenteſimus iſte à Cæſaris ingreſſu annus produxit) ſibi relictam, ſummum provinciæ imperium, civilemque integre adminiſtrationem Britanni ſibi ipſis ſunt conſecuti.

CAP. VIII.

De *Tributis ſeu vectigalibus, ſub imperio Romano à Britannis, impenſis G. Camdeni Teſtimonium.*

Coronidis vice, (Lector) de Tributis Britannorum, quæ Romanis impenderunt, appendicem

dicem hic breviter ex eruditiſſimi illius noſtratis Antiquarii ſcriptis ſubnectere duxi coſentaneum. Poſtquam antiquorum numiſmatum copiam (quam, eruditus ille antiquitatiſq; ſtudioſiſſimus Robertus Cotronus Eques auratus ei pro ſua humanitate communicarat) Chalcographorum opera in librum ſuum G. Camd. inſeruiſſet, quorum alia equorum, porcorum alia, aliorumque animalium iconibus ſunt obducta, ut eorum rationem ſtudio ac labore inveſtigatam omnibus etiam communicaret ipſe, ſic ad ea commentatus eſt. *Priſcos Britannos nummo æreo aut annulis ſive laminis ferreis ad certum pondus examinatis uſos fuiſſe jam ante ex Cæſare dixi, cum vero ille quid in annos ſingulos vectigalis Britanni penſitarent conſtituiſſet, & ſub Auguſto vectigalia Portoria illa in evehendo aut invehendo tolerarent, ut Strabo nos docuit, ſtatim etiam Tributa in capita ſunt impoſita: Britannique Principes, qui jam quaſi ſocii Romanorum in illorum mores paulatim (quod victis uſu venit) abiere, & Romano more pondere pecuniam ſignare, nomenque numinis inſcribere, cœperunt, primuſque quod ſciam fuit Cunobelinus. Qui ſub Tiberio Iani Bifrontis caput cum Cuno inſculpſit, fortaſſe, quod tunc temporis Britannia barbariem exuere incœpit. Ianum enim Sylveſtrem humani generis cultum in civile mutaſſe primum traditum, ideoque bifrontem depictum tanquam alteram ex altera forma reddiderit.* Camu *ex altera parte Camulodanum ſive Camalodunum, utrumque enim variante lectione concipitur, locum ubi pecunia fuit ſignata notare videtur. Camalodunum enim fuit Regia Cunobelini. Porcum cum arbore vectigalem fuiſſe nummum forte innuit pro paſtione. Penſitarunt enim provinciales pro ſativis, plantariis, arboretis, paſtionibus minorum & majorum animalium, in eumque*

Vide Plutarch. Rom. quæſt. 41. *Vide* Tuin. *com. libr.* 2. *pag.* 150.

uſum

uſum nummos cuſos opinatus ſum, pro majoribus animalibus cum equo, pro minoribus cum porco, pro ſylvis cum arbore, pro ſativis cum ſpica. Illi autem cum capite humano ſignati videantur pro tributo Capitationis, quod perſonale erat, & capiti cujuſque ſive perſonæ imponebatur, ad quod certum genus nummi percuſſum videatur, cum in ſacris literis numiſma cenſus diſerte apelletur. Firmiuſque hoc credo, quod in nonnullis Monetarius pecuniam ſignans exprimitur cum Taſcia quod apud Britannos Denarius tributi ſignificat. Gravia quidem iſta, & à gente tam libera, quam aſtruere nonnulli conantur, prorſus aliena. Terrarum autem Orbis Domini, qui Barbaris cunctis, (hoc nomine univerſos, qui è Latio ſanguine non fuerunt, notabant) tributa impoſuerant, timore perculſi, ne ab illis ipſis, qui eadem nota fuerant digniſſimi, vaſtata ſimul Orbis Acropoli, penſitationum gravamine tandem (quod non multo ſecius accidit) premerentur, conſilium imperii intra terminos (ut domi tutiores forent) coërcendi jam tandem inierunt. Quibus, ad tutelam inſulæ militarem remunerandam minime viſa ſunt Numiſmata impenſa, ſatis fuiſſe præmii. Sic iterum Romano.

——— *Diducta Britannia mundo.*

Claudian. in Panegyr. de conſ. Mall. Theodor.

LIBRI PRIMI FINIS.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Anglorum adventus. Dii fictitii: quibus Germanus, Lupuſque Epiſcopi, Britannos de Eccleſiaſtica diſciplina moribus imbuerunt.

QUantis jam affecti miſeriis Britanni? gaudio Scoti Pictique quanto? Qui plus ſolito jam irruere, murum complanare, agros depopulari, fines Britonum caſaſque cæde ſimul & ſanguine contaminare. Quippe ſuarum jam magis virium fiducia, Romanorumque præſidii militum diſceſſu freti. Et jam tandem qui ab Occidentis imperio ac Auſtri copias ſibi auxiliares minus impetrare potuerunt, maximum imo omne malum ab Aquilone huc ſenſerunt emanaſſe. Conquerebatur vulgus, Vortigerno Regi inſtabat, fidem ejus, opem implorabat. At ille ad illecebras carnis pronus, opes regni commeſſationibus Scortorumque lenociniis abliguriens, nec ſe (quod Regis eſt) Aſylum populi præbuit, ſed Patriæ, genti, ſibi ſuiſqe fuit exitio. Ubi enim (ut ait ille) pro labore deſidia, pro continentia & æquitate libido atque ſuperbia invaſere, fortuna ſimul cum moribus immutatur. Vortigernus autem ſpurciſſimis virtutem vitiis, fucatiſque ærarium Reipub. voluptatibus tamdiu poſtpoſuit, ut enervatæ Ro-

Saluſt. in conjur. Catil.

gni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

gni undiquaque vires ad ferendum hoſtium impetum haud fuerint ſatis idoneæ; Eoque devenit imbecillitatis, ut debilem & infirmum Ichneumonis effigie denotantes hieroglyphici ad iſtum tamen recte & apposite ſignificandum vix imaginem habuerint. Animalculum enim illud, ſi anguem inimicum (ut ſcribit Orus Apollo) videat, non ſtatim aggreditur, ſed prius alii è ſua ſpecie vocatis, firmior præſidio angui fit obviam. Vortigernus vero capit cum magnatibus conſilium, quo non ſubſidiarias communi Patriæ bello, ſed quaſi Prætorias cohortes, quibus ſolis tanquam corporis regnique cuſtodibus ſtipendiariis totum aciei Scotorum propulſandæ munus incumberet, blandis illiciendas pramiis evocandiſque Germania decrevit. Ad quartam ergo, de cæteris deſperantibus inſulaneis, plagam mundi legati deſtinantur. Qui citiſſime id quod non majori ipſi, quam Germani deſiderio amplectebantur, impetrabant. Triplici nomine Angli, Saxones, & Iutæ tribus longis navibus (* Ciutas vocabant) Britannicam oram appulerunt. Fultus virtute majori minor numerus. Ducibus Hengiſto & Horſa filiis VVetgiſti, cujus *pater Vecta, filius VVoden, filii Fredulf, filii Fin, filii Flocvvald, filii Ieta, quem filium dixerunt alicujus Dei, de quorum Stirpe multarum provinciarum genus Regium originem duxit.* Datur illis ſedes inſula Tanatos'; acceſſet pactum ut laborem militaremque induſtriam ſaluti Britannorum adverſus ſeptentrionales impendendo, ſtipendia mererentur. Quod eouſque tandem proceſſit, ut nihil magis Scoti, quam cum Anglis manus conſerere caverent. Invaſit autem Anglos dominandi libido; Verbo, ut firmior eſſet Britannorum ſalus, Re vero, ut magis ſubitum exi-

---

*Lib. 2. hieroglyph. An. à Chriſto 449. Ceolas * indeſcuten Bed. lib.* 1. *cap.* 15. *Huntinghd. lib.* 2.

tium,

ium, ad augendum Anglorum numerum Hengiſtus aliquos è ſuis miſit Germaniam, qui ſoli cœlique amœnitatem, Regis inertiam propalarent, ſocios ad inſulam invitarent, filiamque ejus venuſtam ſuccique pleniſſimam Ronicem ſimul adducerent. Quæ cum patrias primum ædes in Britannia ſalutaſſet, pulcherrima forma, Pincernæ munere, epulis Vortigerno ab Hengiſto paratis, uncta craterem vino coronatum Regi obtulit, flexiſque genibus, *Liever* (inquit) *king vvacht heil*, id eſt, Clariſſime Rex obſerva ſalutem. Quo per interpretem intellecto *Drinc heil* (inquit Rex) poculumque accipiens puellam oſculatus eſt. *Ab illo* (inquit Monumethenſis) *die uſque in hodiernum manſit conſuetudo illa in Britannia, quod in conviviis qui potat ad alium dicit VVacht heil, qui vero poſt ipſum recipit potum reſpondit, Drinc heil.* Aſt ille æſtum Circæi poculi jam ſenſit, cujus ardorem præterquam quod excitaverat, ſedare nullatenus quidpiam potuit. In uxorem ergo Chriſtianus Rex ethnicam puellam petit. Haud abnuit Hengiſtus, quippe qui ad Vortigernum pelliciendum ſe totus dicaverat. Τείχας autem ἀντ- είων commutavit fertilem Cancii provinciam, inſcio ejuſdem regulo Gorongo (omnes enim Britannici inſulæ reguli Vortigerni ſubfuerunt imperio) filialis, quaſi prœmium pulchritudinis accepit. Cujus auctæ vires, fœliciaque auſpicia ſeſe jam ulterius exerebant. Compellat blande Regem ut fratrem Octam alioſque ſui ſanguinis è Germania ad fines Deiram inter & Scotiam propugnandos ſibi liceret elicere, compos fit voti miſſiſque illico legatis Octa, Ebuſa & Cerdicius cum trecentis navibus armata manu repletis libentiſſime huc advehuntur. Gratiſſime à Vortigerno (quem

Galfr. lib. I. *cap.* I.

blan-

blanditiæ Ronicis , quaſi faſcino demulſerat) recepti. Interim autem Britannis religionem Chriſtianam Pelagiana hæreſi gentiumque erroribus labefactatam , ut reſtaurarent , aggreſſi ſunt inſulam Germanus Altiſiodorenſis, Lupuſque Trecenſis Epiſcopus. quorum doctrina *hæc , ut fertur , uſque in hodiernum* (inquit Sylveſter Giraldus Cambrenſis) *documenta tenuerunt, De quolibet pane appoſito primum fractionis angulum pauperibus donant. Terni quoque in Trinitatis memoriam ad prandium ſedent, viro cuilibet religioſo monacho, vel clerico, vel cuicunque habitum religionis præferenti ſtatim projectis armis cernuo capite benedictionem petunt. Epiſcopalem vero confirmationem & chriſmatis (qua gratia ſpiritus datur) inunctionem præ alia gente totus populus magnopere petit. Omnium quoque rerum quas poſſident, animalium, pecorum, & pecudum interdum decimas donant, quando videlicet vel uxores ſibi maritali copula jungunt, vel peregrinationis iter arripunt, aut quamlibet vitæ ſuæ, ecclcſiæ couſilio, correctionem aſſumunt. Hanc autem rerum ſuarum partitionem decimam magnam vocant, cujus duas partes eccleſiæ ſuæ baptiſmali, tertiam vero Epiſcopo Dioceſano dare ſolent. Præ omni autem peregrino labore Romam peregre libentius eundo devotis mentibus Apoſtolorum limina propenſius adorant. Eccleſiis autem & eccleſiaſticis viris, ſanctorum quoque reliquiis, & campanis bajulis, libris textis & cruci devotam reverentiam exhibere, longeque magis quam ullam gentem his omnibus honorem deferre videmus: unde eccleſiæ iſtorum longe majorem quam alibi pacem habent. Non etenim in cœmiteriis ſolum, verum etiam extra procul per metas & foſſas ulteriores ab epiſcopis cauſa pacis impoſitas & conſtitutas animalibus ad paſcua pax ſervatur. Eccleſiæ vero majores, quibus majorem antiquitas reverentiam exhi-*

Cambr. deſcript. cap. 18.

buit ,

…it, quatenus armenta mane ad paſcua exire & ve-…eri redire poſſunt, pacem præbent. Unde ſi cum …incipe capitales quis inimicitias incurrerit, ſi ece-…ſiæ refugium quæſierit, eadem ſibi & ſuis pace gau-…ebit: adeo ut hac immunitatis indemnitate, longe Ca-…num indulgentiam excedente (qui corpori ſolum & …embris tali in caſu ſalutem præſtant) multi abuten-…s, audacius ob hanc impunitatem hoſtiliter excedunt, … ab his etiam refugii locis tam patriam undique to-…m, quam principem ipſum graviter infeſtando mole-…tnt. Hæc ille. Suſpecta Britannis fuit Anglorum …dies creſcentis copiæ fides. Patriæ timent, li-…ertati; quorum propugnaculum erigitur Guor-…merus Vortigerni filius, qui bello fortiſſimus …men occubuit. Utrinque vis, maxime comitata …ede fraus Hengiſti interceſſit; Quæ Britannos …ndem in occidentalem inſulæ partem, Cam-…riam ſcilicet, montibus pene inviam detruſit, …uthoris autem, nempe Hengiſti; Cantianum reg-…um plurimis provinciis adauxit. Heredem Hen-…iſtus * Eiſum (à quo Reges Cantii ſunt * Eſingæ …cti) filium, qui Othamum, qui Ermericum, …ui Ethelbertum reliquit. Is Anglorum Regum …rimus nomen Chriſto fœliciter dediſſe fertur, …ec enim ſalutarem Chriſti cultum Britanni (quod …s maxime vertit Gildas vitio) adurnis aliquate-…us communicarant. Ex quo irruentium indies …axonum, Anglorum, Iutarum, Friſonum co-…ortes, quorum inter regulos diſpertitæ ſunt, …quod infra dicemus) provinciæ, non ſedes ſo-…m, ſed & ſacra ſua patria integre jam traducta, …ritanniam hic ſanciebant. Quæ quidem breviter …qua ſuppetunt auctores) attexam. *In commune* …nquit Tacitus) *Herthum, id eſt, Terram matrem*

…Ethelvv. lib. 2. cap. 2. Oiſcum & Oiſcingas Bed. … lib. 2. cap. 5, Bed. lib. 1. cap. 22. Tacit. lib. de … mor. Ger.

colunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

colunt eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Poëtarum antiquorum ipſiſſima opinio. Qui cœli, terræque amore mutuo (ut eſt apud Heſiodum & Plutarchum) univerſa fuiſſe voluerunt procreata. Sua habuerunt numina, nomine quidem varia. Iovem enim *Thor*, Mercurium, * *VVoden*, Venerem iudigitabant *Fream.* Deo item *Eoſter*, Aprili menſe, ſacrificabant. *VVoden* (inquit G. Malmesbarienſis) *Deum eſſe delirantes ei quartum diem ſeptimanæ & ſextum uxori ejus Freæ perpetuo ad hoc tempus conſecraverunt ſacrilegio.* Tertiam feriam Richardus Verſtiganus à Tuiſtoniis nomine, cum ehalcographicis fictitiorum quæ diximus numinum delineamentis, deduxit. *Celebrant* (ait Tacitus) *carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt) Tuiſtonem Deum terra editum, & filium Mannum otiginem gentis conditoreſque.* Decipulas autem iſtas, naſſaſque diabolicas, ſaluberior per Cantii regnum dilatata diſciplina, etſi non penitus confregerit, maxime tamen contudit.

CAP. II.

Anglorum Apoſtolus Auguſtinus; Primus Rex Chriſtianus, Archiepiſcopatus Primus, Regnique Cantiani (quod incœperat Hengiſtus) finis.

ETHelberto enim tanquam Iſagogice nnte Dei Optimi Max. nuptiis eſt conjuncta Chriſtianiſ-

Heſiod. in Theogon. Plutarch. Erotic. Al. Godan apud Langobardos Paul. VVarneſred. lib. 1. cap. 9. Lipſius autem vult VVonſtan, à lucro ſcilicet, cui praeſt Mer. in not. 33. ad Tacit. de Germ. Malmesb. lib. 1. de geſt. reg. cap. 1. Pontic. Virunn. hiſt. Brit. lib. 6. Verſtig. cap. 4. Lib. de morib. Germ.

ſima

ſima Berta Francorum Regis filia, pacto tamen ut ritus fidei religioniſque ſuæ cum Epiſcopo Luidhardo inviolatas ſibi ſervare liceret. Horum præſentia & contuberino Gens eatenus barbara ad eaſdem conſuetudines confœderata, ſylveſtres animos indies, exuere, & ad leniores mores declinare cæpit. Subſequenti paulo tempore, venalibus quibuſdam Anglorum Romam allatis, Gregorius Monachus Chriſtiani nominis amore propagandi excitus, gentiſque pulcherrima ſpecie commotus, ad divina ſemina noſtros inter ſerenda animum deſtinabat. Qui cum in Pontificatum poſtea fuerit evectus, piis perſeverando cœptis, monachum quendam Auguſtinum ad eccleſiam Chriſti Dei hic extruendam emiſit, cui, ut ad veræ cognitionem ab idololatria gentem averteret, auxiliaros in expeditione milites adjunxit. Qui cum Britanniam ſimul adveherentur in inſula Tanatos ad expectandum Ethelberti colloquium reſiderunt. *Caverat enim Rex, ne in aliquam domum ad ſe introirent, veteri uſus augurio, ne ſuperventu ſuo, ſi quid maleficæ artis habuiſſent eum ſuperando deciperent.* Vexillum autem illi ſacrum Argenteam nimirum crucem ferentes, iconemque D. Salvatoris in tabula depictam, fiunt obviam Regi. Cui cum verbum vitæ prædicaſſent, *Pulchra ſunt* (inquit) *quidem verba & promiſſa quæ aſſertis, ſed, quia nova ſunt & incerta, non his poſſum aſſenſum tribuere, relictis eis quæ tantopere cum omni gente Anglorum ſervavi.* Adverſarium tamen illatæ religioni ſe minime fore profeſſus eſt, quin quos poſſent parœnetico ſibi conſociare ſermone libere liceret. Sedem illis Dorobermiæ (quæ Metropolis erat ejus imperii, quod fluminis Humbri finibus terminabatur) victui item commeatus copiaſque

Malmesb. lib. 1. de regib. Angl. Beda lib. 1. cap. 25. Bod. lib. 21. cap. 3.

munificentiſſime contulit. Sacro tandem ablutus ipſe fonte, ne merces operariis æqua deeſſet, Auguſtinum ut Epiſcopum, cum ſynergis tanto operi, prædiis & poſſeſſionibus benigniſſime ditavit. Inſtauratæ fœliciter fauſtoq; eccleſiæ, ut diſciplinam Catholicam inſuper adderet, Auguſtinus Gregorium Pontificem de quibuſdam Chriſtianæ politiæ capitibus conſuluit. Primo de bonis eccleſiæ partibuſque eorum diſtribuendis. Cui Pontifex, quadripartitam illam Romana ſynodo, Conſtantino Imp. à Sylveſtro inter Epiſcopos, clericos, æditimos, & pauperes conſtitutam diviſionem perſtringens, *ſed*, inquit, *quia fraternitas tua monaſterii regulis erudita ſeorſim vivere non debet à clericis ſuis in eccleſia Anglorum, quæ authore Deo nuper adhuc ad fidem perducta eſt, hanc debet converſationem inſtituere, quæ initio naſcentis eccleſiæ fuit patribus noſtris, in quibus, nullus eorum ex his, quæ poſſidebant, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant eis omnia communia.* Porro quotos conjugium conſanguinitatis gradus peteretur? *Quædam* (inquit ille) *terrena lex in Romana republica permittit, ut ſive frater, & ſoror, ſeu duorum fratrum Germanorum, vel duarum ſororum filiis & filia* (ſic enim vult reſcriptum Arcadii & Honorii AA. Eutychiano *præf. præt. Codic. titul. de nuptiis & Iſtit.* Ubi tamen Theophilus habet οὐ δύνανται συνάπτεσθαι) *miſceantur. Sed experimento didicimus ex tali conjugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere. Et ſacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde neceſſe eſt, ut jam tertia vel quarta generatio fidelium licenter ſibi jungi debeat. Nam ſecunda quam diximus à ſe omni modo debet abſtinere.* Sed quartum ad uſque, (analogica humorum cum

---

Roman. ſynod. Can. 4. C. de nupt. lib. 19. celebrandis Inſtit. tit. eodem §. Duorum. Decret. tit. de conſ. & aff. c. ult. & penult. Cauſ. 35. quæſt. 3. & 4.

qua-

quatuor Phyſicorum elementis, ſed ridicula, ratione freti) gradum; juxta ſeſcuplas mundi ætates ad ſextum; quod jure civili in feudis ad ſeptimum uſque gradum protenditur hæredum ſucceſſio, aduſque ſeptimum etiam Pontificii Canones nuptias contrahi prohibuere. Quorum numeri, Solis acceſſu receſſuque aurei luminis, maximas (ut Angliæ, Franciæ, Hiſpaniarumque regna teſtantur) ſunt paſſi proſtaphæreſes. Recentiores autem ad quartum uſque eſſe abſtinendum conſtituerunt, quod & Scholaſtici enixe propugnarunt. Conſobrinorum vero nuptias jure naturæ, divino ac civili (pontificis enim nos ſoluti decretalibus) Albericus Gentilis I. C. Regius Oxoniæ Profeſſor legitimas eſſe nuperrime ſcriptis ſuis doctiſſimè conatus eſt demonſtrare. At gradu ſunt illi jure Canonico ad invicem ſecundo, civili licet quarto. Aliarum quarundam eccleſiaſticæ diſciplinæ quæſtionum nodos diſſolvit Gregorius; & epiſtola congratulatoria (cujus epigraphen *Servus Servorum Dei* primus iſte ſibi adſcivit) Regem Ethelbertum ob incœpta Fidei fundamenta ſumme collaudavit. Crevit enim & jam pullulavit inter Anglos Chriſtiana fides; Couſtitutæ ſimul & Epiſcopales ſedes. Roffenſi Iuſtus, Londinenſi Mellitus donantur. Auguſtinus ipſe Cantuarienſis *contra quam* (inquit Camdenus) *Gregorius Papa juſſerat, Archiepiſcopatus inſignia & Metropolitanam ſedem Londino Cantuariam tranſtulit.* At Polydorus. *Apud Gregorium ita egit, ut ſedes Archiepiſcopi, quæ jam inde ab initio pietatis Chriſtianæ, Lucio Rege, receptæ, Londini fuerat Dorovernіam (hæc hodie Cantuaria eſt) tranſlata ſit.* Cui, ne

---

Decret. de conſ. & aff. c. pen. Concil Mogunt. cap. 54. Numer. cap. 36. Alb. Gentil. de Nuptiis lib. 5. cap 11. *Sigon. de regn. Ital. lib.* 1. *Camd. in Trineb. Polyd. lib. 4. hiſt. Angl.*

tranſlationis Epiſcoporum jus Papæ, antiqua juxta exempla, deeſſet, Richardus Vitus Pontificius adſtipulatur. Honorarius autem hujuſce rei ſit Malmesburienſis arbiter. *Cantuariæ* (ſcribit ille) *ſedit primus Auguſtinus Gregorii magni diſcipulus. Pallium autem & privilegium Archiepiſcopatus idem Gregorius Auguſtino ad Londoniam conceſſit, quia ſcilicet ad id tempus alterius obſcuræ urbis notitia Romanos non attigiſſet. Verum tamen quia primus doctor ſedulitate Regis, hoſpitis, & civium charitate captus Cantuariæ incolatum vivens annis * quindecim, & mortuus tumulo fovit, omnis eo in poſterum honor tranſlatus.* Libera per me ſit hujus ſententiæ cuique interpretatio. Naturæ legibus ceſſit Ethelbertus, *qui genti ſuæ decreta judiciorum juxta exempla Romanorum cum conſilio ſapientum conſtituit. Quæ conſcripta Anglorum ſermone hactenus* (ait Beda) *habentur & obſervantur ab ea. In quibus primitus poſuit, qualiter is emendare deberet, qui aliquid rerum vel Eccleſiæ vel Epiſcopi, vel reliquorum ordinum furto auferret, volens ſcilicet tuitionem eis, quos & quorum doctrinam ſuſceperat, præſtare.* Ethelbertum excepit Edbaldus, quem Ercombertus. Cantuarienſem autem primatum jam tenuit Honorius, qui Angliam primus in Parochias diſtribuere cœpit. Subſecutus eſt in regno Egbertus, hunc autem Lotharius; Cum Cantuarienſi, tanquam maximo Curioni Theodoro (cujus opera & induſtria Aſtrorum nobiliſſima ſcientia, cum binis ejuſdem tenuiſſimis alis Geometria, & Arithmetica, maxime floruerunt) omnis Anglorum Eccleſia manus dare conſentiret. Illo enim præſidente, *una cum eo ſedentibus cæteris Epiſcopis Britanniæ inſulæ,*

Vit. hiſt. lib. 9 not. II. *Vide Bedam lib.* I. *cap.* 29 *Malmesb lib* 1. *de geſt. Pont.* XVI. *al. Bed. lib.* 2. *cap.* 5. *An. Chriſti* DCXXXVI *Ex hiſtor. Cant. apud G. Camd. in Brit. diviſ. Bed. l.* 4. *c.* 2.

viris

viris venerabilibus, præpoſitis ſacroſanctis Evangeliis in loco qui Saxonico vocabulo Hatfeild nominatur, Orthodoxam de myſtica divinæ Trinitatis Omouſia fidem, aliaque Catholicæ Theologiæ capitula ſynodus eſt amplexa; Quatuor item generalia cum aliis apud Græcos habita concilia, *ſuſcipimus* (ut hiſtoriis ſuis Beda ſimul & Huntindonienſis inſeruere) *ſanctas & univerſales quinque ſynodos beatorum & Deo acceptibilium patrum, id eſt, qui in Nicæa* (Conſtantino A.) *congregati fuerunt* 318. *contra Arrium impuriſſimum, & ejuſdem dogmata; & in Conſtantinopoli* (Gratiano & Theodoſio AA.) 150. *contra Veſaniam Macedoni, & Eudoxi, & eorum dogmata; & in Epheſo primo* (Theodoſio A.) 200. *contra Neſtorium nequiſſimum, & ejus dogmata; & in Chalcedone* (Martiniano A.) 430. *contra Eutychen & Neſtorium & eorum dogmata. Et iterum in Conſtantinopoli quinto congregati ſunt concilio in tempore Iuſtiniani minoris, contra Theodorum, & Theodoreti & Iba Epiſtolas, & eorum dogmata contra Grillium. Et ſynodum, quæ facta eſt in urbe Roma, in tempore Martini Papæ beatiſſimi indict.* 1. *Imp. Conſtantino piiſſimo, anno nono, ſuſcepimus.* Unanimi hac Eccleſiæ harmonia fœlicem Lotharium excepit Edricus, quem VVithredus, Edbertus, Ethelbertus, & Alricus qui regnum Cantii ſtrenue ac fortiter adminiſtrarunt. Secuti ſunt Edbertus, & Cuthredus. Huic ſucceſſit Baldredus; quo Egberti Occidentalium Saxonum Regis impetum haud ferente, Eſingarum imperium fata minime ulterius diſtulerunt.

Bed. lib. 4. *cap.* 17. *It. Huntind lib.* 4.

CAP. III.

Heptarchiæ cæteræ ſex Reginæ; eorum etiam faſtigium & converſio; adjunctis Inæ legibus.

QVod Europæos ſub principatu Caurei trigoni ſecreto Iovis ac Saturni moderamine coërciti, impatientes regni amanteſque libertatis, eſſe, ſcribit Ptolomæus, Anglorum jam Polyarchia (cujus ſæpius Anarchia pediſſequa à vero minus alienum fuiſſe oſtendit. Nec enim unus illis Princeps, non unus Rex; ſed fines inter Heptarchas diviſi; Qui vicinorum potentia, ſuorum contumacia indies perculſi veritatem illius Plautiani dicti, *Di nos quaſi pilas homines habent*, graviſſime ſenſerunt. Quantum Anglo-ſaxones occuparunt, in ſeptem regna diſpertitum eſt Cantium ſcilicet, Southſexiam, Eaſt-angliam, VVeſtſexiam Northumbriam, Eaſt-ſexiam & Merciam. De Cantio ſatis ſuperius, Southſexiæ vero, altero ſupra trigeſimum ab adventu primo Anglorum anno, regnum inchoavit Ælla; hunc ſecutus eſt Ciſſa; (cujus nomen urbs Ciceſtria, Saxonice *Ciſſeanceſter*, & mons *Ciſsbury* adhuc olent.) Excepit illum Adilvvalchius qui primus hujus provinciæ Rex è ſacro fonte ſuſceptus eſt. Brentius inde; ſed Aldvvinum ultimum Southſexiæ Regem Inas VVeſt-ſaxiæ vita ſimul & regno ſpoliavit. Eaſtangliam (eadem cum Nerfolcienſi, Suffolcienſi, & Cantabrigienſi agro) regni nomine primus Vffa (cujus inde poſteri Uffingæ dicti) donavit. Quam excepit Titilus,

Lib. 2. quadrip. cap. 2. In Captivit. Camden. Huntid. lib. 2. Eaſtanglia. Bed. lib. 2. cap. 15. Huntingd. lib. 2.

hunc

hunc autem Redualdus ab VVodeno decimus; Eorpwaldus Redwaldi filius Chriſtianæ primus hic militiæ nomen dedit. Sed miſtum pietate nefas. Altaria ſimul eodem loco ad ſalutis ſacramenta, & dæmoniacas victimas deſtinata conſecravit. Secutus eſt Sigebertus, cujus literarum amor Muſarum (regio digniſſimum opus nomine, Rempubl. maxime promovendo conſpiciebatur. Egricus deinde, Anna, Ethelerius, Adeluldus, Beorna, Ethelredus, Ethelbirthus, Edmundus illic regnarunt. Danica tandem incurſione vaſtata provincia, annis prope quinquaginta intermiſſis, in Edwardi VVeſtſaxonum Regis imperium eſt redacta. Cantii vero Regibus clientelari jure obſtrictos ſuos habuit Northumbria Duces ad ſexageſimum uſque poſt Hengiſti mortem annũ, unum regnum primus ſibi Rex Ida nomen in hac provincia adſciſceret. Quem ſecuri ſunt Ælla, Ethelricus Ethelfridus Edvinus, qui bello tam fortis, ut non ſolum Britanniæ gentes, Angli, Scoti, Picti, *ſed & inſulæ Orchadum & Mevaniarum, quas nunc Angleſei, id eſt, Anglorum inſulas dicimus, & arma ejus metuerent, & poteſtatem adorarent.* Tanta vero pacem juſtitia fovit, ut nullus tunc prædo publicus, nullus latro domeſticus; inſidiator conjugalis pudoris procul fuerit, expilator alienæ hereditatis exul. Chriſtianam autem religionem Paulinus (qui Pallium ab Honorio PP. & Metropolitanam Eboraci ſedem receperat) huic Regum Northũbriæ primo annunciavit Ex quo quidem ad divinum veri Numinis cultum ſanciendum, ſaluberrima inter Anglos inſtituta quotidie ſuccreſcebant. Firmabat pacem juſtitia Regis religione ſuffulta, ſed quaſi

Malmeſb. lib. 1. de geſt. reg. cap. 6. Northumbria. Malmesb. lib. 1. cap. 3. Bed, lib. 2. cap. 5. Malmesb. lib. 1. cap. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Monſtrabant terris hunc tantum fata nec ultra
Eſſe ſinebant ——————————

Præmatura enim tanti Principis morte, fœlicitatis inter Anglos iſta germina prorſus exaruerunt. Succeſſit Oſwaldus, Oſwius, Egfridus; (quorum Oſwius *Pictorum quoque; ac Scotorum gentes maxima ex parte perdomuit, ac tributarias fecit.*) Subſecutus eſt Alfridus, Oſredus, Cenredus, Oſricus, Celulphus, cujus aſcripta eſt nomini Venerabilis Bedæ eccleſiaſtica hiſtoria. Regnavit inde Egbertus, eo autem fœlicius quod Alcuinum viderit omni (qua ætas illa tulerit) literarum genere doctiſſimum, cujus quidem opera in Pariſienſi Academia inſtituenda Carolus Magnus uſus eſt. Excepit iſtum Oſulphus filius, hunc autem Aleredus; Ethelbertus, Celwoldus, Oſredus, Athelredus, quem infeſtiſſimæ Danorum irruptiones, & per provinciam depopulationes triginta tres annos uſque ad VVeſtſaxonum imperium ſubſequebantur. Nec ſui defuerunt Eſtſexiæ Reges *per ſucceſſionem multi, ſed aliis regibus & maxime Merciis ſubjecti.* Quorum primus Erchenwinus, Sledam heredem reliquit; Sledæ filius Sebertus à Mellito Londoniæ Epiſcopo ſanctæ meſſis operario fidem Chriſtianam ſuſcepit. Secuti ſunt Sexcedus & Sewardus, qui Mellitum finibus ſuis exterminarunt, fœliciter tandem regni ſubiit adminiſtrationem Sigebertus, quippe qui Orthodoxæ fidei præcepta, quæ cum Mellito fuerint exilio damnata, rediviva poſtliminio recepit. Hinc ejuſdem frater Switelmus, Sigherius & Sebba, Sigehardus & Senfredus, Offa, Selredus, Swithedus cujus qualemcunque, tametſi Orientalem, gloriam, Occidentalis

Virgil. Æn. lib. 6. Bed. lib. 2. cap. 5. Eſtſexia. Malmesb. lib. 1. c. ult.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Egberti impetus ac vis prorſus extinxit. Merciorum primus fuit Penda Rex ab VVodenio decimus; qui magnis undiquaque implicatus bellis VVedæ filio regnum reliquit, is autem Chriſtiani nominis gemma regium ſuum diadema primum inſignivit. Demortui VVedæ vices frater egit VVlpherus, cujus induſtria VVectha inſula ritus adhuc anhelans ſacrilegos, fidem ſacroſanctam eſt amplexa. Sed graviſſima quidem aſperſus eſt macula, quod primus regum Anglorum ſacrum Epiſcopatum Londoniæ VVinæ ambitioſo venditarit. Imperavit inde frater ejus Ethelredus, qui tametſi ex uxore Ceolredum filium ſuſceperat, heredem nihilominus Cenredum nepotem inſtituit. Cenredus autem poſtquam pietate in Deum ſimul ac patriam perinſigni quinquennio regnum adminiſtraſſet, Romam peregrinatus terrena cœleſtibus domicilia commutavit. Secundum quem Ceolredus, recipit iſtum Ethelbaldus, qui, cum fœdiſſima Anglorum ſtupra & adulteria Bonifacii Moguntiaci Epiſcopi literæ graviter coarguerent, ut coinquinatam purgaret rempublicam, Cuthberti Archiepiſcopi Cantuarienſis auxilio ſacrorum antiſtitum indixit ſynodum; Cujus inter decretos maxime de clericorum caſtitate canones, decimum hunc Malmesburienſis fuiſſe teſtatur *ut dominicam orationem & ſymbolum Anglice diſcant & doceant.* Succeſſit Offa. Hic Cantianos tanto proſecutus eſt odio, ut, tranſacta cum Adriano I. Pontifice Romæ, Archipræſulatum Cantuaria (cujus Epiſcopo Londinenſis, Vintonienſis, Roffenſis & Seleſcienſis diœceſium ſupremam juriſdictionem tantum reliquit) Lichfeldiam in Merciorum provinciam tranſtulerit. Paternam autem hanc conſtitutionem reſcide-

Mercia. Ann. Dom. DCXXVI. *Malmesb. lib.* 1. *cap.* 4. *Malmesb. ubi ſupr. & lib.* 2. *de geſt. Pontif. fol.* 134. *Malmesb. de geſt. Pontif. l.* 1. *fol.* 112.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

rat Egfertus filius, niſi, quod conatus eſt, præmatura mors anticipaſſet. Sedulo Rex proximus Kenulphus & Athelardus Archiepiſcopus de Cantuarienſi prærogativa reſtituenda Leonem III. P.R. conſuluerunt. Ad Regem reſcripſit Pontifex, collataque primum Apoſtolica Benedictione *Nos*, inquit, *per omnia enucleatius trutinantes, in ſacro ſcrinio noſtro reperimus, ſanctum Gregorium prædeceſſorem noſtrum in integro ipſam parochiam numero duodecim beato Auguſtino ſincello ſuo Archiepiſcopo tradidiſſe & confirmaſſe Epiſcopos conſecrandi. Unde & nos (veritate ipſa reperta) ordinationes ſeu confirmationes noſtra Apoſtolica authoritate illi in integro, ſicut antiquitus fuerunt, conſtituentes reddidimus; & privilegium confirmationis, ſecundum ſacrorum Canonum cenſuram eccleſiæ ſuæ obſervandum tradidimus.* Fortitudinis, pietatis & religionis exempla poſteris Kenulphus reliquit; Kenelmo, nempe Ceolulpho, Bernulpho, VVithlafio, Ludecanio, Berthulpho, Burhredo; quorum fines Dani primum infeſtarunt, ſuoque tandem imperio Alfredus VVeſtſaxiæ Rex viribus pollens coercuit. Condidit autem VVeſtſaxiæ regnum primus (ab VVodeno decimus) Cerdicius, quem excepit Cenricus, Ceaulinus, Celticus, Cinegiſtus, qui, quadrageſimo poſt Auguſtini adventum anno, ſuum in Chriſtianorum album nomen retulit. Heredem reliquit Kenwalchium, qui, poſtquam alterum & trigeſimum regnarat annum, fatis abreptus, Sexburgæ uxore regni arbitrium delegavit. Quam ſecutus eſt Eſcuinus, & Genuinus, Hunc autem Cedwalla. Hic ſe totus Marti devoverat, & è ſacro licet fonte minime fuerit adhuc ſuſceptus, Manubiarum tamen, quas prædatorio tantum jure ſibi acquiſiverat, decumam (quod de veteribus Ro-

---

VVeſtſaxonia. Ann. Dom. 495.

manis

manis Camillo & Lucullo, de Lacedæmoniis Agide & Ageſilao ſcribunt hiſtorici) Deo, licet ignoto, donabat. Poſtea vero peregrinato Cedwalla ſacrum, ut reciperet baptiſma Romam, gubernacula regni Inas ſuſiinuit, qui prona in mala, & in luxuriam fluenti ſæculo graves nec ſeveras ſatis leges impoſuit. Quarum hic nonnulla capitula habes attexta.

Cap. 4. *Primitiæ ſeminum* (quas * Cypicpcearrap Saxonice dixerunt) *ad celebre divi Martini feſtum redduntor (ex eo vero quiſque ſolvat domicilio in quo media hyeme commoratur) qui tum non ſolverit* 40. * *ſolidis mulctator, & ipſas prxterea primitias duodecies perſolvito.*

Cap. 5. *Si quis rei capitalis reus ad templum confugerit, vita potitor, & ſecundum jus faſque compenſato. Si quis verbera promeritus fani ſuffugium implorarit, ei verbera remittuntor.*

Cap. 6. *Si quis in Regia pugnarit, rebus ſuis omnibus mulctator, & ſit ne morte etiam plectendus Regis arbitrium & jus eſto. Qui in templo pugnaverit* 120 *ſolidis noxiam ſarcito. Qui in domo* * *ſenatoris aut alterius ſapientis honorati pugnam dederit* 60. *ſolidis mulctator. Si quis in tecto villici cenſum pendentis annuum aut coloni cujuſcunque pugnarit* 30. *ſolidorum pœna eſto, & villico ſolidos ſenos numerato, ſi quis in campo dimicarit patenti* 120. *ſolidis mulctator, ſi inter convivas rixatum fuerit, & eorum alii convicia patienter ſuſtinuerint, alii* 30. *ſolidis mulctantur.*

Cap. 7. *Si quis clam uxore & liberis quid clepſerit* 60. *ſolidis mulctator, ſin furetur conſcia omni fa-*

Liv. l.5. Xenoph. l.3. Hellen. Plut. in Luc. * *c.4. & 5. Solidus æqualis nummis* 15. *jam Anglicanis denariis. V. Lamb. cujus pars quinta Saxonicus denarius. Solidorum* 48. *Libra Sax.* * Ealdopman. *Sax.*

milia ſua in ſervitutem dantur omnes. Puer decem annos natus furto fuiſſe conſcius coarguatur.

Cap. 13. * *Prædo ſi deprehendatur, vita privator aut vitæ æſtimatione ſe ipſe redimito. Prædones autem nominamus uſque ad numerum virorum ſeptem deinde (quouſque numerus ad 35. coaluerit) * turmam dicimus, ſi excreverit * exercitum vocamus.*

Cap. 16. *Si quis furi mortem obtulerit, jurejurando fidem aſtringat ſe illum tanquam criminis reum occidiſſe atque hoc pacto omni ſolutione liberatur.*

Cap. 18. * *Paganus ſæpius furti inſimulatus, ſi tandem deprehendatur, ei manus aut pes præciduntor.*

Cap. 20. * *Peregrinus aut alienus ſi devius per ſylvas vagetur, neque vero ore vociferarit, aut cornu inſonuerit, fur morti tradendus, aut pretio redimendus adjudicatur.*

Cap. 38. *Maritus, poſtquam ex uxore liberos ſuſceperit, ſi moriatur, proles matrem penes nutrienda maneto: dantorque ad victum ejus ſuppeditandum ſolidi ſeni, æſtate vacca, hyeme bos, Cognati vero primigenia pecuaria hæc (uſque dum proles adulta fuerit) cuſtodiunto.*

Cap. 47. *Si cui objiciatur furto ſurripuiſſe rem aliquam vel furtim ſubductam admiſiſſe, is pro ratione 60. hydarum ſe culpa liberato, ſi modo dignus qui juret habeatur. Anglus furti poſtulatus duplici ſe purget numero, VVallus majore juratorum numero non obſtringatur. Cuivis præterea integrum eſto, & furum admiſſionem, & perempti corporis (nomine capitalium inimicitiarum) æſtimationem jurejurando avertere, ſi modo poterit, atque id facere non verebitur.*

Cap. 58. *Maritus quidpiam deprædatus atque in locum ſecretiorem id ſubduxiſſe convictus furti conſcius habetor, uxor non item. Ea namque viro ſuperio-*

---

* Þeop. *Sax.* hlop. *Sax.* hepe, *Sax.* *Ceople.* *Þeop. gumanman.*

ri obtemperare debebit. Porro ſi jurejurando fidem aſtringere non verebitur uxor, ſe prædam hanc cum viro non participaſſe, tertia rerum parte donetur.

Impendendos etiam Romano annuatim Pontifici ſancti Petri denarios domeſticatim ſcilicet corrogandos conſtituiſſe memoratur; Quorum per provincias numerum, Apoſtolicum iſtud reſcriptum hiſtoriæ Ioannis Foxi eccleſiaſticæ inſertum ſigillatim teſtatur. *Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei; venerabilibus fratribus Cantuar. & Eboracens. Archiepiſcopis, & eorum ſuffraganeis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, eorumque officialibus, per Regnum Angliæ conſtitutis, ad quos literæ iſtæ pervenerint, ſalutem; & Apoſtolicam Benedictionem; Qualiter denarii Beati Petri, qui debentur Cameræ noſtræ colligantur in Anglia & in quibus Epiſcopatibus, & diæceſibus debeantur, ne ſuper hoc dubitari contingat, & præſentibus fecimus annotari ſicut in Regiſtro ſedis Apoſtolicæ continetur.*

De Cantuar. diœceſ. 7. l. 18. ſ. Sterling.

De London. 16. *l.* 10. ſ.	*De Exon.* 9. *l.* ſ. ſ.
De Roffenſ. ſ. *l.* 12 ſ.	*De VVigor.* 10. *l.* ſ. ſ.
De Norvvicenſ. 21. *l.* 10. ſ.	*De Hereſord.* 6. *l.* o. ſ.
De Elienſ. ſ. *l.* o. ſ.	*De Bathon.* 12. *l.* ſ. ſ.
De Lincoln. 42. *l.* o. ſ.	*De Sarisb.* 17. *l.* o. ſ.
De Ciſtrenſ. 8. *l.* o. ſ.	*De Covent.* 10. *l.* ſ. ſ.
De VVinton 17. *l.* 6. 7. 8. *d*	*De Ebora.* 11. *l.* 10. ſ.

Secutus eſt Inam Edelardus; hunc autem Cuthredus, deinde Sigebertus, Cenulphus, Brithricus qui conjugali ſibi vinculo Edburgam Offæ Regis Merciorum filiam infauſtis Hymenæis conjun-

Fox. lib. 4. pag. 371. in Ed. 2.

xit. Illius enim beneficium quod adoleſcentulo cuidam, Brithrici deliciis deſtinarat, Regem qui temere prægustabat, ex humanis infœliciter abripuit. *Gens itaque occidentalium Saxonum* (ſcribit Aſſerius Meneveniſis) *Reginam juxta Regem ſedere non patitur, nec etiam Reginam appellari, ſed Regis conjugem permittit, quam controverſiam imo infamiam de quadam pertinaci & malevola ejuſdem gentis Regina* (Edburga nimirum iſta quod itidem tradit * G. Malmesburienſis) *ortam fuiſſe majores illius terræ perhibent. Quæ omnia contraria ſeniori ſuo & populo omni ita peregit, ut non ſolum ſuum proprium odium mereretur, ut à reginali ſolio projiceretur, ſed etiam omnibus ſuis ſubſequatricibus eandem peſtiferam tabem poſt ſe ſubmitteret. Pro nimia namque illius Reginæ malitia omnes accolæ illius terræ conjuraverunt, ut nullum unquam Regem ſuper ſe in vita ſua regnare permitterent, qui Reginam in Reginali ſolio juxta ſe ſedere imperare vellet.* Brithricum tranſmirinis partibus exul in imperio tamen excepit Egbertus, qui cum Mercios, Cantianos, Auſtrales Saxones & Orientales VVeſtſaxiæ regno adjeciſſet, cæteraſque provincias ſpe devoraſſet, *ut quæ in unius* (Camdeni verba) *imperium deveniſſent, in unum item nomen coirent & ſuæ gentis memoriam conſervarent, Heptarchiam quam occuparunt Saxones, promulgato edicto* Enzlond *vocari juſſit, id eſt, Anglorum Terra. Unde latine* ANGLIA *dicta, ab Anglis facta appellatione, qui, ex tribus his populis, erant numeroſiſſimi & fortiſſimi.* Northumbria tandem imo tota (ut habet Malmesb.) Britannia potitus exterarum virum, Danorum ſci-

---

Aſſer. de Alfr. reb. geſt. * *Malmesb. lib. 2. de Reg. cap. 2. In Angloſax. Sed vide. Io. Carnotenſ. Policrat. lib. 6. cap. 17. Britannia ab adventu Saxonum in inſulam appellata eſt Anglia. Poſt Malmesb. lib. 1. cap. 6. Camd. in diviſ. Brit.*

licet,

licet, infeſtatione graviter perturbatus vitam finivit. Quas nam autem cujuſlibet Heptarchæ regnum provincias terminabat, ex iſta conſpicari licet tabella.

Cantii	Regnum continebat	*Cantium*
Suſſexiæ		*Suſſexiam*
		Surram
Eaſtangliæ		*Norfolciam*
		Suthfolciam
		Cantabrigiam
		Inſulam Ely
Weſtſaxiæ		*Cornewalliam*
		Devoniam
		Dorſetiam
		Somerſetiam
		Wittoniam
		Southanthoniam
		Bercheriam
Northumbriæ		*Lancaſtriam*
		Eboracum
		Dunelmiam
		Cumbriam
		Weſtmoriam
		Northumbriã & regiones Scotiæ uſque ad Edenburgi fretum

Eſtſexiæ	*Eſſexiam* *Middleſexiam* *Partem Hertfordiæ*
Merciæ	*Gloceſtriam* *Herefordiam* *Wigorniam* *Wawicum* *Leiceſtriam* *Rot elandiam* *Northantoniam* *Lincolniam* *Huntingdoniam* *Bedfordiam.* *Buchinghamiam* *Oxenfordiam* *Staffordiam* *Darbiam* *Salopiam* *Notthinghamiam* *Ceſtriæ Partemque Hertfordiæ alteram*

Con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Conſpicuum tamen in iſto ſeptenario plerumque fuit unitatis dominium ; & Hexarchæ ab ipſis Anglorum regni primordiis monarchæ imperio (quod jns provinciæ dictum) coercebantur. Tantis autem primum polluit viribus Ælla Suthſexiæ Rex *qui omnia* (ut habet Huntindonenſis) *jura Regni Anglorum ſcilicet Reges, & proceres, & tribunos in ditione ſua tenebat.* Secundo Ceaulin Rex Occiduorum Saxonum, Tertium Ethelbertus Cantii, Quarto Readualdus Orientalium Anglorum, Quiuto Eduinus Northanimbrorum, ſextum Oſwaldus, ſeptimo Oſwius, poſtremo tandem Egbertus, quorum unuſquiſque prærogativæ quaſi nota, titulo *Regis gentis Anglorum* inſigniebantur.

CAP. IV.

Tributum Danegelt. Ethelulphus erga eccleſiã Anglicanam & Romanam quam munificus.

JAM vero ingruebant Piraticæ Danorum vaſtationes, agrorumque per Angliam depopulationes, quas ad repellendas delecta militum manus conquiſita. Indictum item tributum, ex quo quæ mariti ſunt milites ſtipendia perſolverentur, Dangelt dictum. *Danegaldi redditio* (inter Edwardi leges habet *Rogerus de Hoveden) *propter piratas*

H. Hutind. l. 2. hiſt. * *R. de Hoved. Ann part. pr. fol. 344. Ethelred. primo exegiſſe S. vero Edvvard. remiſiſſe ſcribit ille Rog de Hoved. in vita S. Edvvardi. Huntind. lib. 6. Matth. Pariſ. hiſt. major. VValſingh hyp. Neuſt. Polyd. hiſt. l. 9. Concedo terræ partem ſeptem aratrorum, quæ Anglice dicitur ſeptem hydæ. in chart. Dunſt fact ann. Chriſt. 963. ex l. char. Arch. Cant. Fundi poſſeſſiones per aratrorum numerum æſtimatio antiqua, ſic tributa Marconi Archiepiſc. apud Krantz. VVand. l. 2. c. 31. & terram centum vertebat aratris Virg. Æneid. 7. Ingulph. hiſt. pag. 491.*

primi-

primitus ſtatuta eſt, patriam enim infeſtantes vaſtationi ejus pro poſſe ſuo inſiſtebant. Ad eorum quidem inſolentiam reprimendam ſtatutum eſt Danegaldum annuatim reddi, ſcilicet duodecim denarios de unaquaque hida (hidam autem, ut ſemel adnotem, tantum ajunt Henricus Huntindonienſis, Matthæus Pariſienſis, Thomas VValſinghamius eſſe terræ quantum unico per annum coli poſſit aratro, nec audiendus eſt Polydorus qui vicena jngera hidam eſſe ſcribit) *totius patriæ ad conducendos eos, qui piratarum eruptioni reſiſtendo obviarent. De hoc quoque Danegeldo omnis eccleſia libera eſt & quieta, & omnis terra, quæ in proprio dominio eccleſiæ erat, ubicunque jacebat nihil prorſus in tali redemptione perſolvens, quia magis in eccleſiæ confidebant orationibus, quam in armorum defenſionibus.* En quanta majores noſtri reverentia ſanctam eccleſiam obſervarunt! Sed en porro quanta maxime Ehberti ſucceſſor Ethelulphus, qui veræ fidei præmiorum nuncios ampliſſimis, ſua nimirum decimando, prædiis chirographo ſuo honeſtavit. *Regnante* (inquit) *Domino noſtro in perpetuum, dum in noſtris temporibus bellorum incendia, & direptiones opum noſtrarum, nec non & vaſtantium crudeliſſimas hoſtium depradationes barbararum paganarumque nationum, multiplices tribulationes ad affligendum nos pro peccatis noſtris uſque ad internecionem tempora cernimus incumbere periculoſa: Quamobrem ego Ethelulphus Rex VVeſtſaxonum cum conſilio Epiſcoporum ac principum meorum, conſilium ſalubre atque uniforme remedium affirmantes, conſenſimus, ut aliquam portionem ſive famulis & famulabus Dei Deo ſervientibus, ſive laicis miſeris ſemper decimam manſionem, ubi minimum ſit, tam decimam partem omnium bonorum in libertatem perpetuam donari ſanctæ Eccleſiæ dijudicavi, ut ſit tuta & munita ab omnibus ſecularibus ſervitutibus, imo regalibus tributis majoribus & minoribus ſive taxationibus, quæ nos dicimus* VVinterden, *ſitque*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

que libera omnium rerum pro remiſſione animarum, & peccatorum noſtrorum ad ſerviendum Deo ſoli, ſine expeditione, & pontis a *extructione, & arcis munitione* (Aliunde ſi quis *Forinſeci* (quod ajunt Juriſperiti noſtri) *ſervitii* quærat interprætationem, aut ille aut ego certe fallimur. Sæpiſſime enim Saxonicorum Regum diplomatis, quæ alias, cum feudorum donationibus, maximas immunitates in ſe continent, iſta (quaſi *ſalvo forinſeco ſervitio*) ſimul adnectuntur *b*; *exceptis iſtis tribus, expeditione, pontis, arcisve conſtructione.* Optimo vero privilegii jure, qui fundum triplici hoc omne liberum poſſidebant, fruebantur. Quo donati plerunque (ut videre eſt in lib. Chartarum Archiepiſcopatus Cantuarienſis) fuerunt Eccleſiaſtici; Quod eouſque tandem inter feudales ſervitutes eminebat, ut ſingulari nomine amanuenſibus innoteſceret. Cum enim Cedwalla Rex Occiduorum Saxonum villam ſuam de *Paganham* in Suſſexiæ (quam obtinuerat) provincia VValfrido Archiepiſcopo Cantuarienſi contulerit, inſtrumento ſimul iſtud intexuit. *Abſque trinoda neceſſitate totius Chriſtiani populi, id eſt, arcis munitione, pontis emendatione, exercitii congeſtione liberam perſtrinxi.*) *Acta ſunt hæc* (ad Ethelulphum redeo) *apud VVintoniam in eccleſia ſancti Petri anno, Dom. incar.* 855. *Indict.* 3. *Non. Nov. ante majus altare pro honore glorioſæ virginis, & Dei genetricis Mariæ,*

---

a *Adcas vero juris Anglicani ſtudioſus. Bract. lib* 2. *c.* 26. & 35. 12. *Ed.*1. *tit. Gard.* 152. 26. *aſſ. pl.* 66. &c. b *In charta Regis Ethelredi in præf. D.E. Coci ad. l.*6. *vide Matth. Pariſ. invit. Hen.*3 *pag.* 838. *Nec adeo libertati dederunt hujuſmodi poſſeſſiones quin tria ſibi reſervarent ſemper propter publicam regni utilitatem i. expeditionem pontis, & arcis reparationes, vel refectiones, ut per ea reſiſterent hoſtium incurſibus. In l. Chart. Arch. Can. A. D.* 680.

Sancti-

Sanctique Michaelis Archangeli, & beati Petri Apoſtolorum principis, nec non & beati patris noſtri Gregorii Papæ præſentibus & ſubſcribentibus Archiepiſcopis & Epiſcopis Angliæ univerſis, necnon Borredo Rege Merciæ, & Edmundo Eaſtanglorum Rege, Abbatum & Abbatiſſarum, Ducum, Comitum, procerumque totius terræ, aliorumque fidelium infinita multitudine, qui omnes regium chirographum laudaverunt, dignitates vero ſua nomina ſubſcripſerunt. Rex vero Ethelulphus pro firmitate ampliore obtulit hanc chartulam ſcriptam ſuper altare ſancti Petri Apoſtoli & Epiſcopi pro fide Dei illam acceperunt, & per omnes eccleſias poſtea tranſmiſerunt in parochiis ſuis publicandam. Aptiſſimum inveſtituræ locum dicatum Deo domicilium elegerunt, nec quidpiam fere, ne inter laicos quidem, integre tranſigebatur, niſi Divino ſacrata quadam numini interceſſiſſent. Quid enim de ſuſcipiendo militiæ ordine ſcribit Ingulphus Abbas Croylandenſis? *Anglorum* (inquit ille) *erat conſuetudo, quod, qui militiæ legitime conſecrandus eſſet, veſpere præcedente diem ſuæ conſecrationis ad Epiſcopum, vel Abbatem vel Monachum, vel ſacerdotem aliquem contritus & compunctus de omnibus ſuis peccatis confeſſionem faceret, & abſolutus orationibus & devotionibus, & afflictionibus deditus in eccleſia pernoctaret, in craſtino quoque miſſam auditurus, gladium ſuper altare offerret, & poſt Euangelium ſacerdos benedictum gladium collo militis cum benedictione imponeret, & communicatus ad eandem miſſam ſacris Chriſti myſteriis denuo miles legitimus permaneret.* Sed & de ſyngrapharum compoſitione. *Quæ uſque ad Edvvardi Confeſſoris tempora fidelium præſentium ſubſcriptionibus cum crucibus aureis aliiſque ſacris ſignaculis firmæ fuerunt.* De ſummo crucis honore illud Sibyllæ ſatis ſit teſtimonii.

Ingulph. hiſt. fol. 512. b. & Io. Saliburienſis. l. 6. c. 10. de nugis curialium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Ω Ξύλον ὦ μακαριστὸν ἐφ' ᾧ Θεὸς ἐξετανύσθη.

Emendatius enim ſic reddidit Ioannes Obſopæus quod claudicante numero in hiſtoria tripartita Sozomenus retulerat. Nec temere forte ſacratiſſimi illius ligni forma, quibus prædiorum dominia adinuicem transferebantur inſtrumenta chirographica conſignabant; cum ſtaurophoros globulos ut ſupremi teſtimonia juris Principis & Orbis terrarum domini geſtare ſolerent, ſic enim de Juſtiniano Suidas. *Siniſtra manu fert globum cruce in eo infixa, ſignificante quod per fidem in crucem terræ dominus ſit factus.* Alia vero atque alia ſine ſcriptis fuit apud eoſdem dominii acquiſitio. *Conferebantur enim* (ait Ingulphus) *multa prædia nudo verbo abſque ſcripto, vel charta, tantum cum domini gladio, vel galea, vel cornu, vel cratera: & plurima tenementa cum calcari, cum ſtrigili, cum arcu, & nonnullo cum ſagitta.* Nec deeſt quidem exemplum, quod antiquiſſimæ fere convenit etiam nunc temporis per Angliam conſuetudini, qua (juxta priſcum illum Perſarum Regum, quem in Terpſichore meminit Herodotus, morem, qui terram & aquam tanquam vera dominii inſignia, ab iis, quos in deditionem acceperant, ſolebant exigere (ceſpitis aut ramuſculi traditionis, in venundandis acquirendiſque prædiis ceremonia neceſſario intercedit. (ſtrictiſſime enim majores noſtri illud Calliſtrati, (*ſi ager ex emptionis cauſa ad aliquem pertineat, non recte rei vindicatione agi poterit, antequam traditus ſit ager, tuncque poſſeſſio amiſſa ſit*) retinuerunt) Haud tamen ſine ſacris iſtud etiam exemplum. *Ad cumulum autem*(legitur

Libr. 6. Oracul. Sibyllin. Sozom. libr. 2. hiſt. trip. cap. 18. Suid. in Iuſtin. Herodot. libr. 5. Lib. 50. π. de rei vindicat.

in Diplomatis Cedwallæ Regis, quo Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis Chriſtianæ militiæ commeatus aucti ſunt, apographo, *confirmationis, ego Cedvvalla ceſpitem prædictæ terræ ſuper ſanctum altare ſalvatoris poſui, & propria manu pro ignorantia literrarum ſignum ſanctæ crucis expreſſi & ſubſcripſi.* Feudorum, an harum authoritate nixi ſint conſuetudinum judices illi Recuperatores, neſcio, qui ducentis circiter abhinc annis in parlamentariis Angliæ comitiis reſponderunt, ſi vaſallus domino tradiderit annulum, manicam, aut hujuſmodi quidpiam inveſtituræ quaſi nomine, plenum utilis dominii jus ad dominum (pace tua, Anglici juris Perite, dixerint Archiva) tranſferri, primamque inveſtituram diſſolvi.

Æthelulphus autem ut pontificia ſalutaret limina Romam iter perrexit, (Alfredo filio concomitante, quem Leo IV. *oppido ordinans* (inquit Aſſer, Menevenſis) *unxit in regem & in filium adoptionis ſibimet accipens confirmavit.*) Per Gallias domum reverſus Iuditham Francorum Regis Caroli Calvi filiam uxorem ſibi duxit, & contra quam inſtitutum illud, quod diximus, occiduorum Saxonum permittebat, regio juxta ſe ſolio collocavit. Excepit hos Hymenæos in feſta Æthelbaldi Regis filii, Alſtani Epiſcopi Schirburnenſis, & Enulphi Somerſetenſis pagi Comitis conjuratio ſed diviſo cum filio paterno imperio (monſtrum natura!) ſopita. Regni exinde hæredes filios duos ſeniores, privatæ autem hereditatis

---

Ex lib. Char. Arch Can. vide Malmesb. de geſt. reg. lib. 2. cap. 8. in chart. Reg. Egdari Monaſterio Galſconienſ. Dicitur in veſtitura quando haſta vel aliud corporeum quidlibet porrigitur à domino feudi ſe inveſtituram facere dicente lib. 2. de feud. tit. 3. §. 1. Parlam. ann. 1. Rich. 2. n. 30. Aſſer. de rebus geſt. Alfred.

utri-

utriuſque ſexus prolem teſtamento inſtituit. *Pro utilitate autem animæ ſuæ* (Aſſerium Menevenſem audis) *quam à primævo juventutis ſuæ flore in omnibus procurare ſtuduit*, *per omnem hereditariam terram ſuam ſemper in X. manentibus unum pauperem, aut indigenam, aut peregrinum cibo potu & veſtimento ſucceſſoribus ſuis uſque ad ultimum diem judicii poſt ſe paſcere præcepit: ita tamen ſi illa terra hominibus & pecoribus habitaretur, & deſerta non eſſet. Romæ quoque omni anno magnam pro anima ſua pecuniam, id eſt CCC. mancuſſas* (Malmesburienſis marcas, Rogerus de Hoveden manculas appellant) *portare præcepit, quæ taliter dividerentur: ſcilicet C. mancuſſas in honorem ſancti Petri, ſpecialiter ad emendum oleum, quo impleantur omnia luminaria illius apoſtolicæ eccleſiæ in veſpera Paſchæ: & æqualiter in Galli cantu; & C. mancuſſas in honorem ſancti Pauli eadem conditione ad comparandum oleum in eccleſia ſancti Pauli Apoſtoli ad implenda luminaria in veſpera Paſchæ & in Galli cantu; C. quoque mancuſſas univerſali Papæ Apoſtolico.* Auxit ille pleniuſque confirmavit, quod Inas & Offa ſuperius alio nomine contuliſſent. En vero auctum ſecundo. *Omnis* (ſic inter Edwardi leges habetur, *qui habuerit* 30. *denariatus vivæ pecuniæ in domo ſua de ſuo proprio Anglorum lege dabit denarium S. Petro & lege Danorum dimidiam marcam. Iſte vero denarius debet ſummoniri in ſolennitate Apoſtolorum Petri & Pauli & colligi ad feſtivitatem, quæ dicitur ad vincula, ita ut ultra illum diem non detineatur, ſi quiſpiam detinuerit, ad juſtitiam Regis clàmor deferatur, quoniam denarius hic Regis Eleemoſyna eſt. Iuſtitia vero faciat denarium reddere, & foris facturam Epiſcopi & Regis: quod ſi quis plures domos habuerit, de illa, ubi reſidens fue-*

Malmesb. lib. 2. de geſtis reg. cap. 2. Hoved. par. pr. fol. 232. Leg. Ed. cap. 10.

rit in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli denarium reddat. De ſuo autem tempore Polydorus ille. *Omnis Anglia hoc tempore iſtud vectigal pietatis & religionis cauſa Romano Pontifici pendit domeſticatim collatum, & nummi illi argentei vocantur vulgo Denarii Divi Petri quos Pontificius quæſtor, quem non inſcienter collectorem nuncupant, exigit. Nos hanc olim quæſturam aliquot per annos geſſimus, ejusque muneris obeundi cauſa primum in Angliam venimus.* Cumque ab Inæ tempore ad hanc (inquit J. Sleidanus) ætatem uſque Britannia Romanis Epiſcopis eam pecuniam dependiſſet, Henricus (ſcilicet VIII.) omnium primus inhibuit eam amplius perſolvi. Demortuo tandem Æthelulpho heredes teſtamento inſtituti ſucceſſere Ethelbaldus & Ethelbertus, quos ſecutus Ethelredus tertius filius Danorum bellis fatigatus, Merciorum Northumbrorumque defectione deterritus, Alfredo fratri imperium Anglicæ gentis fatis abreptus dereliquit.

CAP. V.

Civium per Angliam ab Alfredo ordinatio per centurias & decurias: Edwardi, Æthelſtani, cujus item latiſſimum imperium.

ARmata hoſtium vi, amicorumque Alfredi perfidia fotus, jam Martis furor ſanguineo tinxit Anglorum oras colore, quas etiam ſecundo Danorum maxima ſtrages obduxit. Ad unum omnes vel cæſi; vel in deditionem accepti, quorum Regem Gurmundum Alfredus ſacro fonte ſuſcepit, provinciiſque Eſtanglia & Northumbria

Polid. lib. 4. hiſt, Sleid. Comment. lib. 9.

(ut

(ut eas clientelari teneret jure) donavit. Nec vero defuerunt dulciſſimi Iovis & Mercurii bene poſitorum influxus ; nec Muſæ (Rex enim , fœlix ſeculum ! vere philoſophatur) nec leges inter arma ſilebant. Conſortio Danorum , in latrocinia, rapinas , publicæque pacis graviſſimam perturbationem incolæ propenſi. Illabentis autem quaſi vitiorum fluminis ut obſtrueret oſtium, *totius Angliæ pagos* (Ingulphum legis) *& provincias in comitatus primus omnium commutavit ; comitatus in centurias , id eſt , hundredas & in decimas , id eſt , in trithingas diviſit ; ut omnis indigena legalis in aliqua centuria & decima exiſteret , & ſi quis ſuſpectus de aliquo latrocinio , per ſuam centuriam , vel decuriam vel condemnatus , vel * invadiatus pœnam demeritam , vel incurreret , vel vitaret. Præfectos vero provinciarum (qui antea vicedomini) in duo officia diviſit , id eſt , in judices , quos nunc juſticiarios vocamus , & in vicecomites , qui adhuc idem nomen retinent. Horum cura & induſtria tanta pax in brevi per totam terram effloruit , ut ſi viator quantumcunque ſummam pecuniæ in campis & publicis compitis veſpere dimiſiſſet , mane vel poſt menſem rediens integram & intactam indubie inveniret.* Secundum propria vero provinciarum idiomata alia atque alia fuerunt partium hujus diviſionis nomina ; Quæ , cum civium per Angliam ordinatione iſtis innixa inſtitutis , ut facilius electori innoteſcant , habe quæ legibus Edwardi Confeſſoris de eiſdem interſeruntur.. *Cum quis accipiebat præfecturam VVapentachii die ſtatuto in loco ubi conſueverant congregari omnes majores natu contra eum conveniebant & deſcendente eo de equo ſuo omnes*

Ingulph. hiſt. fol. 495. *Malmesb. lib.* 2. *de geſtis Reg. cap.* 4. *Moſis & Auguſti Caſ. mimeſis quod Vide Exod* 18. 21. *& Sueton. in Oct. cap.* 30. *& ſeqq.* * al. abſolutus.

aſſurgebant ei. Ipſe vero erecta lancea ſua ab omnibus, ſecundum morem, fœdus accipiebat. Omnes enim, quotquot veniſſent cum lanceis ſuis ipſius haſtam tangebant, & ita ſe confirmabant per contactum armorum pace palam conceſſa. Anglice enim arma vocantur wæpun *& tactare, confirmare, quaſi armorum confirmatio; vel ut magis expreſſe ſecundum linguam Anglicam dicamus* wæpentac *armorum tactus eſt. Erant etiam aliæ poteſtates ſuper VVapentachia, quas vocabant* opihmzap, *quod erat tertia pars provinciæ. Qui vero ſuper eos dominabantur, vocabantur* opihmzepepap; *ad hos deferebantur cauſæ, quæ non poterant definiri in VVapentachiis, ſicque quod Angli vocant hundredum, iſti vvapentachium, & quod Anglice vocabant 3. vel. 4. hundreda, iſti vocabant* opihmza *in quibuſdam vero provinciis Anglice vocabantur* lep *quod iſti dicunt* Trihinge. *quod autem in* ppihmze *definiri non poterat ferebatur in ſcyram.* Greve *quoque nomen poteſtatis eſt latinorum lingua nihil expreſſius ſonat quam præfectura, quoniam hoc vocabulum adeo multipliciter extenditur quod de ſcyra, de VVapentachiis (quemadmodum etiam eſt* lep *) de hundredis de burgis, etiam de villis Greve vocetur.* Et paulo poſt. *Aldermannos apud Saxones, quos ſenatores dixerunt Romani, fuiſſe traditur. Habent Aldrumanni in civitatibus regni hujus in ballivis ſuis, & in burgis clauſis muro & vallatis, & in caſtellis eandem dignitatem & poteſtatem & modum, qualem habent præpoſiti hundredorum, & vvapentachiorum in ballivis ſuis, ſub vicecomite Regis per univerſum regnum.* Sed de centuriis ac decuriis fuſius & explicatius. *De omnibus villis totius regni ſub decennali fidejuſſione debebant eſſe univerſi, ita quod ſi unus ex decem forisfecerit novem ad rectum eum haberent; quod ſi aufugeret, daretur lege ei terminus* XXXI. *dierum, quæſitus interim & inventus ad juſtitiam regis adduceretur. Et de ſuo illico reſtauraret damnum quod fecerat.*

cerat. Et ſi ad hoc foriſſaceret de corpore ſuo juſtitia fieret. Sed ſi infra prædictum terminum inveniri non poßit, quia in omni friborgo unus erat capitalis, quem vocabant ppebopzepheopod, *ipſe capitalis ſumeret duos de melioribus ſui friborgi & de tribus friborgis ſibi propinquioribus acciperet de uniquoque capitalem, & duos de melioribus uniuſcujuſque friborgi ſi poſſet habere, & ita, ſe duodecimo exiſtente, expurgaret ſe & friborgum ſuum (ſi facere poßit) deforiffacto & fuga ſupradicti malefactoris. Quod ſi facere non poſſet, ipſe cum friborgo ſuo damnum reſtauraret de proprio maleſactoris quamdiu duraret, quo deficiente, de ſuo & friborgi ſui perficeret, & erga juſtitiam emendaret, ſecundum quod legaliter judicatum fuiſſet. Tandem vero ſacramentum quod non potuerunt adimplere per tres friborgos viciniores per ſeipſos jurarent, ſeſe nullatenus fore culpabiles & ſi quando poſſent eum recuperare adducerent ad juſtitiam aut juſtitiæ dicerent ubi eſſet.* * *De Baronibus vero qui ſuas habent curias & conſuetudines ſic ſtatutum eſt: Archiepiſcopi, Epiſcopi Comites, Barones, & omnes qui habuerint ſacam, & ſocam, tol, theam, & infangthefe etiam milites ſuos & proprios ſervientes, ſcilicet, dapiferos, pincernas, camerarios, piſtores & coquos ſub ſuo friborgo habeant. Et item iſti ſuos armigeros vel alios ſibi ſervientes ſub ſuo friborgo. Quod ſi cui foriffacerent & clamor vicinorum de eis aſſurgeret, ipſi tenerent eos rectitudini in curia ſua, &c.* Antiquam nobis hinc habemus Centuriarum originem, nec tamen Saxonicæ genti (quippe quæ

* *Quatenus iſta poſteritas eſt amplexa luculenter tibi (Angle) juris noſtri municipalis libri patefacient, conſulas ideo Bract. lib. 3. tract. de corona cap. 10. An. 3. Ed. 3. Itinere Nor. tit. Coron. 293. 4. Ed. 3. fol. 12. a. 7. Ed 3. fol 15. b. 41. Ed. 3. fol. 26. b. 45. Ed. 3. fol. 26. b Tacit. de morib. Germ. ubi vide annot. I. Lipſ.*

Germanica) novam; quod ſatis indicat Cornelius Tacitus, *Centeni*, inquit, *ex ſingulis pagis ſunt; idque ipſum inter ſuos vocantur, & quod primo numerus fuit jam nomen & honor eſt.* De antiquis loquitur Germanis. Alfredus autem ut non ſolum politica, ſed etiam œconomica præſtare videretur diſciplina, familiam propriam tripartito ſeu (ut habet Ingulphus) *in tres turmas diviſit*; turmæ cuilibet principem ſeu præfectum conſtituit; Ordinavit porro, ut unaquæque turma tertio menſe Regii palatii periodice adminiſtrationi incumberet, ſua autem ac propria intermiſſis duobus menſibus libere curaret. *Erat in capella* (quod poſt Aſſerium Meneven ſem breviter ſcribit Malmesburienſis) *ejus candela vigintiquatuor partium; adiutuſque, cui hac delegabatur provincia, ut per combuſtionem candelæ Regem de ſingulis admoneret officiis. Dimidiam portionem omnium cenſuum juſte duntaxat acquiſitorum monaſteriis delegavit; cunctos præterea reditus in æquas duas partes dividebat. Rurſusque primam in tres, quarum primam miniſtris ſuis curialibus, ſecundam operatoribus, quos jugiter in novarum ædium extructionibus mirabili & ignoto Anglis modo habebat, tertiam advenis: ſecunda pars redditúum ita dividebatur ut prima portio daretur pauperibus regionis ſuæ, ſecunda monaſteriis, tertia Scholaſticis, quarta tranſmarinis eccleſiis. Iudiciorum à ſuis hominibus factorum inquiſitor, perperam actor aſperrimus corrector.* Legum autem, quas tulit, aliarum notatu digniſſima quædam capitula ſubjungam.

Cap. 1. *Si quis neceſſitate coactus juraverit, pignusque poſuerit, quo is ad inſidias domino ſuo parandas, vel ad opem injuſte cujus adferendam aſtringatur, reſiliat potius quam cœpto inſiſtat ſuademus.*

Ingulph. hiſtor. fol. 495. *Aſſer. Menev. in vit Alfred. Malmesb. libr* 2. *cap.* 4.

At ſi ſpoponderit quod juſte & legitime præſtare poterit, neque præſtiterit, arma fortunaſque ſuas omnes amicorum fidei concredito, ipſe in cuſtodiam regiam xl. *dies mittitor, ſubituris id ſupplicii, quod ei Epiſcopus impoſuerit, &c.*

Cap. 2. *Criminis cujuſcunque noxius (ſi quidem id villam regis aut familiam honoratam aliquam non attingat) ſi ad fanum confugerit, tres noctes quibus ſaluti ſuæ proſpiciat (ni interim in gratiam redierit) ibi maneto. Ac ſi quis eum per id temporis plagarum, vinclorum aut vulnerum metu profligarit, mulcta, vel ipſa capitis æſtimatione, prout ejus gentis fuerit conſuetudo, noxiam omnem ſarcito; fani porro æditui* CXX. *ſolidorum numeratione pacis eccleſiæ violatæ pœnas luito.*

Cap. 4. Vita ſimul ac fortunis privandum cenſuit qui Regi vel domino ſuo ſtruxerit inſidias.

Cap. 5. *Unicunque porro templo religioſe ab Epiſcopo conſecrato hanc pacem concedimus. Si quis alteri inimicatur, iſque templi ſuffugium implorarit, per ſeptem dies à nemine abſtrahitor, ſi quidem præ fame vivere poſſit & viam vi non aperuerit, &c.*

Cap. 6. Abſcindantur ſacrilegorum manus, ſtatuit; At vero *qui die dominico, feſto nativitatis domini aut paſchatis, ſacroſancto Iovis die aut diebus luſtrationis furtum admiſerit, perinde ac ſi tempore quadrageſimæ id flagitii perpetraſſet, duplo noxiam ſarcito.*

Cap. 7. *Qui in Regia dimicarit, ferrumve diſtrinxerit capitor, & regem penes arbitrium vitæ neciſque ejus eſto.*

Cap. 8. *Mulcta* CXX. *ſolidorum (Regem inter & Epiſcopum diſpertienda) iis qui ſanctimonialem è cœnobio rapuerit irrogator.*

Cap. 9. *Qui fœminam fœtu formato uterum ge-*

Stamf. in les pl. del. cor. lib. 1. *capit.* 13. *Sed vide Bract, libr.* 3. *tract.* 2. *cap.* 4.

ſtantem occiderit integram capitis ejus æſtimationem pendito, fœtuſque pernicies dimidia paternæ prolis æſtimatione compenſator. Cum tamen juris noſtri municipalis Periti nullum, obformati in utero fœtus (quippe quod vivuſne an mortuus fuerit incertum eſſe prorſus ajunt) cædem capitale ſupplicium eſſe irrogandum reſponderint.

Cap. 11. *Qui mamillas uxoris viri cujuſque pagani manu tractarit petulanti fœminæ ſolidos ſex numerato. Eam ſi is humi proſtrarit, nec tamen cum illa rem habuerit* x. *ſolidos pendito. Sin cum ea coierit,* lx. *ſolidorum pœna eſto: Et ſi quis alius eam prius adulteratus eſt* XXX. *tamen ſolidis noxiam ſarcito; is porro ſi propterea in jus vocetur, aut pro ratione* lx *hydarum criminationem diluito, aut mulctæ partem dimidiam pendito. Illud ipſum ſi mulieri illuſtriori familia oriunda contigerit, mulcta (prout ejus fuerit capitis æſtimatio) augetor. In duplum autem augetur pœna ſi monialem quis illiuſmodi contrectarit.*

Cap. 18. 15. & 34. Gravi coercentur pecuniaria pœna, qui coram Archiepiſcopo, Epiſcopo, ſive Senatore tumultuaria dimicaverit, ferrumve diſtrinxerit.

Cap. 25. 28. *Servus ſi ſervulam ſtuprarit, virga virilis ei præciditor.*

Cap. 31. *Qui falſi rumoris in vulgus ſparſi author fuiſſe deprehendetur, leviori aliqua pœna non mulctator, verum lingua ei præciditor, ni is eam integra capitis ſui æſtimationi data redemerit.*

Nec impune quiſpiam immerentis pagani capillos aut barbam abraſerit aut totonderit.

Cap. 37. *Qui terram habuerit per* * *ſcripturæ ſeriem ſibi à majoribus relictam, ab heredibus ad alios alienandi poteſtas ei non eſto, ſiquidem præſentibus cognatis coram rege, aut epiſcopo, ſcriptura aut teſtimonio probetur, omni alienatione ei interdixiſſe illum*

* bocland.

qui

qui prius conceſsit, talemque ei impoſuiſſe legem cum primo dederit. En Iuriſperiti, feudum (quod dicitis) *talliatum,* Edwardi I. decimo ſupra tertium anno hic multo antiquius habetis.

Cap. 40. Argenteis diverſimode damantur pœnis qui corporis cujuſpiam membra vel artus abſciderit.

Compeſcuit his ille legibus Angliam, gravioribus autem illum natura, quippe quæ ut ultimum ac ſupremum exigeret debitum, Regem licet, bipertito (nec XII. jure tabularum adiuta) in corpus nimirum & animam diſſecuerit. Succenturialem autem Alfredi filium, Edwardum multarum palmis victoriarum virtus & fortuna ſimul nobilitarunt. Martis enim, magis quam Muſarum, alumnus *primum* (ut, aſtipulante Rogero de Hoveden, ſcriptum reliquit G. Malmesburienſis) *Mercios omnes, mox Occidentales & Orientales Anglos & Northanimbros qui cum Danis jam in unam gentem coaluerant & Scotos qui Aquilonalem inſulæ partem inhabitant; Britones omnes, quos nos VVallenſes dicimus, bellis profligatos ſuæ ditioni ſubegit, nec unquam in aliqua pugna humiliorem manum habuit.* Major ut addatur fides, habeo item Ingulphum authorem; *Northſolciam, Northumbriam, Scotiam, VValliam bellando ſubegit, & paganos de omnibus urbibus & caſtellis muratis ejiciens Chriſtianos introduxit.* Invictiſſimum autem gladio Regem terruerunt D. Petri claves tinnuli; ſeptennio enim totam VVeſtſaxonicam provinciam Epiſcopis orbatam fuiſſe, nec, qui luporum rapinas in ovilia propelleret paſtorem conſtitutum, maxime indignatus Formoſus Papa excommunicationis fulmina in Edwardum & univerſos Angliæ cives ejacu-

---

Malmesb. libr. 2. *de geſt. Reg. cap.* 5. *Rog. de Hoveden part. pr. fol.* 241. *Ingulph. hiſt.* 495.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

latus eſt. Tantum ut placarent numen Rex & Epiſcopi convocata Senatorum Synodo (præſidente Pleymundo Cantuarienſi Archiepiſcopo) *elegerunt & conſtituerunt ſingulos Epiſcopos ſingulis provinciis Geviſorum* (i. VVeſtſaxonum) *& quod olim duo habuerunt, in quinque diviſerunt.* Circumferuntur etiam Edwardi quæ magnatum conſilio promulgabantur inſtituta, quorum nonnulla ac præcipua attexenda duximus.

Si quis jusjurandum violarit, falſumve dixerit teſtimonium fides ei in poſterum non habetor, verum is in Ordalium adjudicator.

Nemo cum ſceleris damnato pacem habeto neve eum ſciens volenſque hoſpitio excipito, qui contra fecerit adeoque jusjurandum violarit, fidemque à ſe & univerſa datam plebe feſellerit, id mulctæ quod in judiciali libro deſcribitur, ſubito, &c.

Cap. 11. * *Præpoſitus quiſque ad quartam circiter quamque ſeptimanam frequentem populi concionem celebrato, cuique jus dicito æquabile liteſque ſingulas, cum dies condicti advenerint, dirimito.*

Cap. 4. *In fœdere autem Edvvardi & Guthruni Regem ſapientibus viſum eſt, ut qui fœdo ſe polluerint inceſtu, eorum, qui fuerit ſuperior Rex habeat, inferiorem Epiſcopus, ni citius cumulate Deo & hominibus compenſarint, & quod fuerit eis ab Epiſcopo indictum, confecerint.*

Cap. 9. *Feſtis diebus omnibus, & legitimis jejuniis, ordalium nullus ingreditor, neque ad jusjurandum addicitor.*

Cap. 10. *Si cui membrum corporis ſceleris admiſſi cauſa præcidatur, iſque tres noctes ſuperſtes fuerit quiſque deinceps impune (impetrata tamen ab Epiſcopo venia) aut ejus vulneri medicinam aut animo conſolationem adhibeat.*

Cap. 11. *Sagæ, ariolantes mulierculæ, perjurio-*

Malmesb. lib. 2. cap. 5. * Zepepa.

ſæ, peſtiferæ, & meretrices fœdæ ac flagitioſæ ſicubi deprahendantur, à finibus regni (ut pura & integra plebs ſit) relegantor, aut in regno (ni ab illa mente deſtiterint) accumulatius compenſarint, male pereunto. Fatorum autem decreta refigere non potuit, ſed morte correptus illis ceſſit. Nec regni ſolum, ſed etiam militaris heredem virtutis Athelſtanum è concubina natum reliquit, cujus eximiæ fortitudinis tota, quam in ſuum redegit imperium, Britanniæ inſula præbuit teſtimonium. Eouſque enim Britonum regulos belli minis adegit, ut ei nomine annui vectigalis xx. libras auri, trecentas argenti penderent, boves xxv. annumerarent, nec utiliati ſolum, ſed etiam, canes venaticos & accipitres penſitando, Regis voluptati inſervirent. E Scotorum finibus Deos etiam (ut ajunt) evocavit tutelares, qui provinciam citiſſime deſeruerunt. Conſtantinum enim devicit Regem Scotiæ, ut ſuperius Ludwalum Principem VValliæ, quos tamen non multo poſt *miſeratione infractus in antiquum ſtatum ſub ſe regnaturos conſtituit, glorioſius eſſe pronuncians regem facere, quam regem eſſe.* Æſtuantem jam audio Georgium Buchananum ſcotum injuriarum actione Anglorum petentem hiſtoricos, quod Athelſtanum totius Britanniæ unicum fuiſſe Regem, cæteros, qui regium nomen uſurparunt, precario regnaſſe, ac beneficiarios Athelſtani fuiſſe, eique ſacramentum ceu ſupremo domino ſolitos præſtitiſſe tradiderint. Quos iſta porro arguit imperitiæ formula. *Quid* (inquit) *quod ne ſuos quidem ſcriptores (quippe homines magna ex parte ineruditi) ſatis alicubi intelligunt, nec animadvertunt apud Bedam, G. Malmesburienſem & Galfredum Monumethenſem Britanniam plerunque vocari*

Malmesb. lib. 2. de geſtis reg. cap. 6. Buchan. Rex Scotic. lib. 6. in reg. 75.

eam partem cui Britones imperarunt, hoc eſt, quæ eſt infra vallum Adriani; aut cum longius ejus fines protendunt infra vallum Severi, Scotos vero & Pictos ſæpe extra Britanniam cenſeri & interim tranſmarinos populos dici. Quod igitur apud illos eſt, Anglos toti Britanniæ imperaſſe aliquando, id iſti ita accipiunt, ac ſi dicerent totam Brittanniam: id eſt, Albium ſive Albionem cum illi brevioribus finibus plerumque, uti dixi; Britanniam circumſcribant. O quam firmis, Buchanane reſciſſoria hæc tua actio rationibus nitatur! Ignorent Anglici ſcriptores (quod tamen minus crediderim) quid ſibi velit ille hiſtoricorum Triumviratus, cum Britanniæ nomen proferatur. Norunt tamen victoriæ in Conſtantinum teſtes Ingulphum Croylandenſem Abbatem, Henricum Huntindonienſem, & Rogerium de Hoveden. Norunt Athelſtanum (author Malmesburienſis) Scotorum regem ſub ſe regnaturum conſtituiſſe. Antiquiſſimus etiam quod reliquit ſcriptum Ethelwerdus norunt, ut noſcant omnes, ſubtexam. *Colla ſubdunt* (de Athelſtani bellis loquitur) *Scoti pariterque Picti, uno ſolidantur Britannidis arva.* Legis ergo violatæ hiſtoriarum damnandus iſte, qui in binas illas abhinc diu à Cicerone præſcriptas tam libenter committere auſus eſt. Ne quid falſi dicere audeat; ne quid veri non audeat. Infracta ſæpe veritas libidine aſſentandi, vel adverſus dominantes odio. Adulationi autem fœdum crimen ſervitutis, malignitati (ut ait ille) falſa ſpecies libertatis ineſt. Utrorumque nos cauſas procul habemus. Athelſtani nomine, hiſtoriæ ſuæ figit columnas Monumethenſis, primumque inter Saxones *diadema*

Ingulph. hiſt. fol 495. Huntind. lib. 5. Hoved. par. pr. ſol. 242. Malmesb. lib. 2. cap. 6. Ethelvver. lib. 2. cap. 5. Lib. 2. de Orat. Tacit. hiſtor. l. 1. Monumeth. lib. 9. cap. ult

portaſſe eundem affirmavit. Iamque illud inter Merlini prophetias *Coronabitur Germanicus vermis & aneus Princeps humabitur*, ſi unquam alias prodiit quidem veriſſimum. Nec in augendis imperii finibus totus fuit, ſed etiam ut parta ſalutaribus tutaretur legibus operam maximam dedit.

Mando (inquit) *& pracipio, ut pra cateris juſtas ex meo ipſius proprio ac debitas pendant, tam vivorum animalium, quam annuorum terra proventuum decimas, &c.*

Cap. 1. *Nemo cuiquam in furto manifeſte deprehenſo, adeoque in * manu quod clepſerit habenti, ignoſcito, ſi modo is annos* XII. *natus quod* VIII. *denariis carius aſtimetur clepſerit.*

Ut quilibet ſe in famulatum alicujus addicant, vagi ſcilicet & errones, conſtituit.

Cap. 2. & 3. *Si quis domino ſuo ſtruxerit inſidias, neque id legitime poterit inficiari, quin ipſo triplicis Ordalii ſententia ſceleris fuiſſe conſcius coarguatur, capitale eſto.*

Cap. 10, *Omnis bonorum permutatio praſente prapoſito, ſacerdote, Quaſtore, fundi domino aut alio denique homine fideli, fiat, ſi quis ſecus fecerit* XXX. *ſolidis mulctator ac rem permutatam qui eſt fundi dominus habeto.*

Cap 14. *Praterea ſtatuimus, ut unus per omnem ditionem noſtram atque idem ſit nummus eumque nemo extra oppidum cudito. Atqui ſi monetariorum quiſquam nummos corruperit, ei manus ſcelere violita praciditor, atque nummaria conſpicienda fabricia affigitor.* (Eandem ſupplicii formam iis qui adulterinum percuterent nummum, addito inſuper, ut eorum abſcinderentur pudenda, reſuſcitavit Henricus Primus.) *Sin nummi adulterati poſtulatus ali-*

* hæbbendpe hand. *Vide H. de Bract. l.* 3. *tract.* 2. *cap.* 32. *Malmesb. lib.* 5. *de geſt. reg. Huntind. hiſt. libr.* 7. *fol.* 219.

quis criminis ſuſpicionem diluere voluerit candentis ferri quæſtione manum ſceleris puram atque immunem oſtendito. Quin ſi ipſa Ordalii ſententia reus extiterit ita, uti antea à nobis dictum eſt, fiat.

*Cantuariæ * monetarii ſeptem ſunto, quorum quidem quatuor regi, duo præſuli, & unus Cœnobiarchæ deſeruito.*

In civitate Roffenſi III. ſint: Regis duo, tertius Epiſcopi.

Londini	*ſint monetarii*	VII.
Wintoniæ		VI.
In Lewes		II.
In Haſtinge		I.
Diceſtriæ		I.
Hamtoniæ		II.
Werhamiæ		II.
Exceſtriæ		II.
Shaſtsburiæ		II.

*Ad aliud quodque * oppidum monetarius unus eſto.*

Cap. 16 *Pro ſingulo aratro binos alat quiſque ornatos, atque inſtructos equites.*

Cap. 23. *Qui ſe Ordalii quæſtione examinandum obtulerit triduo quam id ſit aggreſſurus ſacerdotem (ut is ſacra de more peragat) adito atque interim pane, ſale, aqua & oleribus tantum modo veſcitor, miſſæ præterea illis ipſis intereſto, munuſque ſuum offerto, ſub ipſo autem quo eſt Ordalium ingreſſurus die, panem Euchariſticum ſumito, ac jurejurando ſe illius de quo appellatur ſceleris purum minimeque conſcium jurato: Tum ſi aqua gelida faciunda eſt quæſtio ad ſeſquiulnam funis in aquam mergitor ſin ferro fiat can-*

* Mynedeper. * Bupzum.

denti,

denti, per coutinuum triduum obſignanda non reſignetur manus. Accuſato autem (quemadmodum de accuſato antea à nobis dictum eſt) jurejurando interpoſito criminationem perſequitor, uterque etiam juſſu Dei ac ſacerdotis jejunato, nec pluribus quam duodecem alteruter ſtipatus advenito: Quin ſi accuſatus pluribus eo comitatus acceſſerit, perinde ſit (ni illi diſcedant) atque is in judicio cecidiſſet.

Cap. 24. *Die Dominico nemo mercaturam facito: Id quod ſi quis egerit, & ipſa merce & XXX. praterea ſolidis mulctator.*

Cap. 26. *Si quis juſſa ac ſcita hac noſtra contempſerit pendito primo libras quinque, ſecundo proprii capitis æſtimationem dato, tertio ſi deliquerit, fortunis ſuis omnibus mulctatus noſtri omnium amicitia privator.*

Cum vero graviſſimas inter illas (quas quidem ſolas ad omnia cohibenda facinora adhibuerunt) pecuniarias mulctas, primum merito ſit ea numeranda, quæ (pepe Saxonice dicta) Lambardo ſonat corporis & capitis æſtimatio, eaque exinde cognitu digniſſima; haud abs re fuerit, uniuſcujuſque à ſummo ad infimum capite, quatenus commixta quædam legibus Athelſtani ſuppetunt, precium ſeu æſtimationem recenſere.

*Regii capitis * æſtimatio jure Anglorum* XXX. * *Thrymſarum conſtat quorum* XV. *capitis æſtimationis reliqua regni nomine debentur: hæc ad gentem, illa ad cognatos pertinent.*

*Archiepiſcopus, aut * Satrapa* XV. *Thrymſarum æſtimator.*

*Epiſcopus, aut * Senator Thrymſarum* VIII. *Belli imperator aut ſummus præfectus* IV. *Thrymſarum.*

Sacris initiatus aut Thanus II. *Thrymſarum æſtimator.*

Pepzylo. * Opimpa. * Eople, * Ealdopmann.

** Taga-*

** Paganum Dani* XXVI. *Thrymſis æſtimant.*

VVallus ſi in eas opes creverit, ut familiam alat, fundum poſſideat annumque regi cenſum pendat CCXX. *ſolidis valeto, atque ſi dimidiatum tantum modo terræ hydam poſſideat* lxxx. *ſolidis æſtimator: qui ſi terram prorſus nullam habuerit, capitis tamen æſtimatio (ſiquidem is fuerit ingenuus)* lxx. *ſolidorum eſto. Paganus ſi adeo affluentibus ditetur bonis, ut terræ hydas quinque poſſederit, ejus vitæ pretium (ſi occidatur (duobus Thrymſarum millibus æſtimator: ſin præterea loricam, galeam enſemque habuerit auratum pro cuſtode pagano (etſi fundum non poſſederit) habetor: Atque ſi filii & nepotes ejus eo divitiarum creverint, ut terræ hydas* V. *poſſideant, eorum poſteri omnes eodem atque præpoſitus paganus loco numerantor, ac ſinguli duo thrymſarum millia valento.*

Paganum Mertii CC. *ſolidis æſtimant, Thanum* MCC. *unicam Mertii ac ſimplicem regii capitis æſtimationem cum Thanorum millibus ſex æquare ſolent, id eſt* XXX. ** Scatis. Tanti eſt etenim regii capitis æſtimatio, tantundum etiam ad compenſandum mortem ſolvi oportet. Atque capitis æſtimatio cognatis regiis debetur, ipſa autem mortis compenſatio Populi eſt propria.*

Tanti ejus, qui MCC. *ſolidis æſtimatur, valeto juſiurandum, quanti Paganorum* VI. *Etenim ſi ejus repetendæ eſſent occiſi pœnæ, ſatis ſuperque darent pœnarum pagani ſeni, quapropter illius atque eorum omnium æſtimatio una atque eadem eſto. Angli * ſacerdotem æque ac Thanum æſtimant, nos etiam ſeptem divinorum officiorum gratia ad quæ Dei beneficio tanquam gradibus effertur, Thani eum in loco numeremus.* Saturnia fere, ſi quo premimur gravi noſtro componantur ævo, merentur hæc regna dici, & aurea, ſaltem certe argentea. Adjeciſſe ſancticoni nihil ultra, quam *improbe factum*, apud antiquiſſi-

* Ceoplep. * pcearrap. * Meppeppeoprep.

mos

mos Romanos, qui tum pudor hominum erat) Valerio illi clariſſimo viſum eſt vinculum ſatis validum legis. Majores autem hi noſtri (quorum deterior eo, quo poſterior ætas) pecuniariis tantum pœnis crudelitate, libidine, ac impietate pleniſſima facinora cenſuerunt plectenda. Sed damnoſa, ut ait ille, quid non imminuit dies? Tempora & nos jam tantum mutamur, ut non ſolum cædes & parricidia, (quod quidem talionis lege par eſt) ſed etiam furta ac latrocinia, quibus ad ſublevandam ſæpius egeſtatem pecunia corraditur, non pecuniario ſed ultimo (renitente Thomæ Mori diſputatione Utopienſi) * ſupplicio nunc temporis ubique fere terrarum compenſentur. Ab æqualitate illi procul fuerunt Stoica, procul à Manlionis imperiis. Quæ tamen cum in Athelſtanum ſoluta mulctarum mors legibus exercuiſſet, in regnum defuncti jus Edmundus frater ſucceſſit.

CAP. VI.

Edmundi, Ethelredi, & (poſt Danicam vaſtationem) Canuti imperia & leges.

FOEderatorum autem Edmundus perfidiam & Aquilonarium defectionem fœlici ac aperto Marte ulciſcendo ſategit; Quod cum fauſto proceſſiſſet, Cumbriæ provinciam, quam graviſſime depopularat, eo Malcolmo Scotorum Rege jure donavit, *ut auxilio ſibi foret terra & mari.* Nec Marti ſolum ſed Themidis numini litavit, cui eorum, quæ porricit, hic inſeram paucula, ac præcipua.

---

*Liu. lib. 10. dec. 1. Horat. lib. 3. carm. Mor. lib. 1. de Rep. Vtop. * Vel furto deprehenſi patibulo ſuſpenderentur ſtatuit. Henricus I. Roger. Hoved. part. 2. fol. 270. H. Huntindonenſ. l. 5. pag. 303.*

Cap. 2.

Cap. 2. *Chriſtianus quiſque decimas, ſeminum primitas, * nummumque eleemoſynarium illum religioſe pendito, qui non ſolverit, anathema eſto.*

Cap. 4. *Si quis monialem ſtuprarit, aut inſtar homicidæ compenſato, aut ſacra ſepultura prohibetor. Idem juris eſto, ſi quis adulteri commiſſo conjugium violarit.*

* *Si quis alium poſthac interfecerit, ſolus cum interfecti cognatis inimicitias capitales ſuſcipito, in integram ejus æſtimationem (cujuſcunque is fuerit conditionis) amicorum ope fretus intra XII. menſes perſolverit. Sin eum cognati ejus pro derelicto habuerint, neque vero quicquam pendere voluerint, ipſe inimicitias ſubito ſolas ac illi pro inimicis non habentor. Ei tamen iterim cognati ejus victum ne ſuppeditanto neve cum eo pacem habento, id quod ſi quis eorum fecerit, fortunis ſuis omnibus Regi mulctator, & qui prius cognatum ſuum pro derelicto habuit, is jam cognatis interfecti pro inimico habetor. Atque ſi alium quemcunque præter interfectorem ipſum cognatorum quiſquam ultus, perſecutusque fuerit, is fortunis ſuis omnibus mulctatus, Regi & omnibus amore eum proſequentibus pro inimico putandus eſt.*

Cap. 3. *Nulla pugnæ, aut homicidii nomine irrogata remittitor mulcta.*

Cap. 4. *Clare autem ſignifico non fore ei qui ſanguinem humanum effuderit ſuffugio domum meam ni prius Deo ac cæſi cognatis cumulate ſatisfecerit, & præterea impleverit quodcunque ei fuerit ab Epiſcopo (in cujus id diœceſi acciderit) imperatum.*

Cap. 6. *Si quis pacem violarit, aliumve domo ſua manentem oppugnarit, rebus ſuis omnibus mulctator, & Regem penes vitæ neciſque ejus arbirrium eſto.*

Præceptum autem immatura morte Edmundum

---

* ælmeppeoh. * *Cap. 1. in ſecunda claſſe.* Pizrpire manbore.

exce-

excepit ejuſdem frater Edredus, qui majorum, ſuis, haud dedegener, virtutes exæquavit. *Illi enim Northymbrii* (author eſt Æthelwerdus) *ſubjiciuntur cuncti, nec non Scoti juſjuranda confirmant, immutabilemque fidem.* Cujus item paulo fuſius Malmesburienſem habemus teſtem. *Northanimbros*, inquit ille, *& Scotos ad ſacramentum ſuæ fidelitatis adactos & mox fœdifragos quodam Iricio Rege ſuper ſe ſtatuto, pene ex hominibus delevit, tota provincia fama ferroque fœdata.* Idem uno ore Huntindonenſis, & Rogerus de Hoveden ſcriptis ſuis protulerunt. Subſecutus eſt hunc Edwius Edmundi, quem ſupra diximus, filius (qui eximiam formæ pulchritudinem *Pancali* nomen eſt ſortitus.) Sed Aſerteriorum cœnobiorumque rapinis aliquatenus incumbens maxima, aſſenſu populi, regni patre mutilatus, vitam poſt quadriennium finivit. Cujus, honor ille ac deliciæ Anglorum frater Eadgarus demortui vices egit, quem cum Elgiva mater eniteretur, audita eſt Dunſtando vox : *Pax Anglia quamdiu puer iſte regnaverit, & Dunſtanus noſter vixerit.* Nec fefellit omen futuræ fœlicitatis. Edoctus enim Rex quaſi encyclicis imperii diſciplinis rem eccleſiaſticam, domeſticamque publicam eouſque promovit, ut nullus illius regni annus, quo non publicum ederet patriæ aliquod emolumentum, numeraretur. Dilapſa reſtauravit inſuper monaſteria, maxime vero Glaſconienſe, cui ſummas (quarum ut author etiam fieret Iohannes XII. Romanus Pontifex chirographo facillime impetravit) diplomate contulit immunitates. Tam inſigni vero regio ſplendore dilatataque claruit potentia, ut cum Septentrionalibus inſulæ partibus circumnavigatis ad Legionum urbem appuliſſet, haud mi-

Æthelvv. lib. 4. cap 7. Malmesb. lib. 2. de geſtis reg. cap. 8. Huntind. lib. 5. Hoved. par. I. fol. 243.

nor

nor octonario ſubregulorum numerus & occur-
reret. *Kimadius ſcilicet Scotorum, Malcolmus
Cumbrorum, * Maccus plurimarum Rex inſularum,
Britannorumque Cambrorum Reges Duſnalus, Giſre-
thus, Huvaldus, Iacobus, & Inchillus*; Quorum
ſinguli quod Edgaro *fideles & terra marique co-
operatores eſſe vellent*, juraverunt. *Ludvvalo etiam
Regi* (ut habet Malmesburienſis, *VVallenſium
edictum impoſuit, ut ſibi quotannis tributum* CCC.
*luporum penſitaret, quod cum tribus annis feciſſet,
quarto deſtitit, nullum ſe ulterius poſſe invenire pro-
feſſus. Tanto clariſſimo imperio Magnæ Britanniæ*
ſeu *totius Albionis Baſileos* fama adjacentium terra-
rum incolas catervatim huc convocavit. Quorum
certe contubernio in Anglorum animos civilibus
jam indutos moribus, peſſima quædam irrepſerunt
vitia; inconditam enim à Saxonibus animorum
ferociam, à Flandris enervem mollitiem, à Danis
affluentibus ἐπισκυθίζειν diſcebant. Pullulantium
autem malorum ut arreſceret germina ſaluberri-
mas Reipubl. optimus Rex leges ſancivit. Ut
thyrſi lambente tecti hedera furorem conprime-
ret, *clavos argenteos vel aureos* (*ſic* Malmesburien-
ſis) *vaſis affigi juſſit, ut dum metam ſuam quiſque
cognoſceret, non plus ſubſerviente verecundia, vel
ipſe appeteret, vel alium appetere cogeret.*

Cap. 4. *Denarius in domos ſingulas impoſitus ante
feſtum D. Petri redditor, qui tum non ſolverit dena-
rium illum ac alios præterea* XXX. *Romam com-
portato, certaque literarum teſtificatione domum re-
diens ſe eo detuliſſe confirmato, ac Regi denique* CXX.
ſolidos numerato; ſi quis ſecundo non dederit denarium

---

* *al. Malcutius. Roger. de Hoved. par.* 1. *fol.* 244.
Malmesb. lib. 2. *de geſtis reg. cap.* 8. *Iſtis nomi-
nibus in chartis Monaſt. Croyland. Egdarus inſig-
nitur in hiſt. Ingulphi.*

illum ac praterea XXX. *Romam deferat, Regique poſtquam redierit* CC. *ſolidos dependito, ſin tertio deliquerit rebus ſuis omnibus exuitor.*

Cap. 5. *Dies Sabbathi ab ipſa diei Saturni hora pomeridiana tertia uſque in lunaris diei diluculum feſtus agitator, &c.*

Cap. 2. *Nemo in lite Regem appellato, niſi quidem domi juſtitiam conſequi aut impetrare non poterit, ſin ſummo jure domi urgeatur, ad Regem ut is onus aliqua ex parte allevet, provocato. Atque ſi culpæ pecuniaria irroganda eſt mulcta ea non unquam capitis æſtimationem ſuperato.*

Cap. 4. *Si quis alium rumoribus diſſipatis improba voce lacerarit, quamobrem aut corpori ejus damnum inferatur, aut de fortunis imminuatur aliquid, tum ſi alter auditiones tanquam falſas refellere, & coarguere poterit, aut is linguam data capitis æſtimatione redimito, aut ei lingua præciditor.*

Centuriæ comitiis quiſque intereſto: oppidana ter quotannis habentor comitia: Celeberrimus autem ex omni ſatrapia bis quotannis conventus agitor; cui quidem illius diœceſis Epiſcopus & Senator interſunto, quorum alter jura divina, alter humana populum doceto.

Qui fuerit in furto manifeſto, aut perfida domini proditione deprehenſus quicquid tandem orarit, ut vita & communi ſpiritu fruatur non exorato..

Hoc imperio, his majeſtatis juribus tota Magnæ Britanniæ inſula jam gubernabatur? Quæ tamen ſola quaſi nimis coarctata tanti poteſtati Regis haud ſatisfecit. Antiqua enim charta ab Edgaro, annum circa, ſexageſimum quartum ſupra nongenteſimum ab humanæ ſalutis reſtauratione, promulgata (quam inter ſuos de juridicis prudentum reſponſis libros Dominus Edwardus Cokus, partim etiam in Hibernia Gulielmus Camdenus

In 2. *claſſe. Cok. in præfat. ad lib.* 4. *Camden. in Hib.*

de-

deſcripſit (de ampliſſimis imperii Anglicani ter-minis ſic ore loquitur regio. *Mihi conceßit propitia divinitas cum Anglorum imperio omnia regna inſularum Oceani cum ſuis ferocißimis regibus uſque Norvegiam, maximamque partem Hiberniæ cum ſua nobilißima civitate de Dublinia ſubjugare, quos etiam omnes meis imperiis colla ſubderet Dei favente gratia coegi &c. Facta ſunt hæc Anno Dom. 964. Indict. 8. Regni vero Edgari Anglorum Regis 6. &c.* † *Ego Edgarus Baſileus Anglorum & imperator Regum gentium, &c. ſigno crucis corroboravi.* † *Ego Alfrije Regina &c.* Anglos etiam exinde colligere licet diu ante Henrici II. tempora Hiberniæ inſulæ quadamtenus præfuiſſe; cum tamen raro aut tepide eam ab ullo unquam expugnatam fuiſſe & ſubactam, nunquam externæ ſubjacuiſſe ditioni uſque ad annum ab incarnato Verbo M C. L X X I. nempe X V I I I. Regni Henr. II. Gulielmus Nubrigenſis ſcriptis affirmarit. Illuſtriſſimum vero Regem, cui totus hic alter non ſuffecerat orbis X V I. imperii anno parvus (ſic rerum humanarum circulus) excepit tumulus. Obiit dein imperandi munus Edwardus filius optimæ ſpei juvenis regni ſimul ac morum heres. Infeſtabant illius maxime imperium Clericos inter & Monachos de ſacerdotum cælibatu ſchiſma; Exterminatis enim monaſticæ vitæ cultoribus (à quibus tamen Edwardus ſtetit) in monaſteria ſacerdotes introducuntur. Tantum autem ad dirimendam controverſiam coacta eſt frequens Calnæ in agro jã V Viltonienſi ſynodus; (aberat vero ætate minor Rex.) Ubi conciliabuli diſſoluta contabulatione, plurimis, qui interfuerunt, obrutis, dirutiſque trabibus percuſſis, ſolus Archiepiſcopus Cantuarienſis Dunſtanus, qui non ſolum Synodo, ſed etiam monaſticæ rei præſedit, illæſus evaſit. Quod mi-

Nubrugh. lib. 2. Rer. Anglic. cap. 26.

raculo

raculum (ſic enim habuit ætas illa) *monaſticum inſtitutum imprimis* (ait Camdenus) *confirmaſſe creditur*. Ingruebant iſtis graviora; invaſit Alfledæ (quam ſecundus ſibi Edgarus aſciverat nuptiis) animum dominandi libido; regnandi gratia violandum jus cenſuit. Senſit autem Edwardus novercalis odii virus, quippe cui Alfleda ſtructis inſidiis, præcuſſores immiſit, qui ſceleratiſſima cæde Regem interemerunt. In Regium autem evexit illa ſolium (quo ſibi quidem, quod optabat, imperandum viam munivit) filium ſuum Ethelredum; cujus ab ipſa luce prima, nutantis jam ac dilabentis Anglorum imperii omnia totus vitæ curſus oſtendit. Cum enim infans primum ſacro admotus eſſet fonti, alimoniæ excremento babtiſterium (unde Conſtantinum etiam peſſimum Imperatorem Copronymum dictum fuiſſe ſcribunt) fœde inquinavit, exclamavit exinde ſubito Dunſtans, *Per ſanctam Mariam puer iſte ignavus homo erit.* Inauguratus autem cum eſſet Kingſtoniæ Rex, Dunſtanus (qui Alfleda ſcelera reſcindere non potuit, arguere tamen auſus eſt) in terminando, *Quia aſcendiſti*, inquit, *ad thronum tuum per mortem fratris tui, quem occidit mater tua, propterea audi verbum Domini, hoc dicit Dominus; Non deficiet gladius de domo tua ſæviens in te omnibus vitæ tuæ diebus, & interficiens de ſemine tuo, & de gente tua, uſque dum regnum tuum transferatur in regnum alienum, cujus ritum & linguam gens tua non novit.* Procul nimis ab impoſtura, veritati quidem proximam tota perſenſit Anglia fuiſſe illius hariolationem, Vaſtabant enim jam frequenter irrumpentium Danorum agros tumultus, qui Regis inertia præfectique militaris Elfrici defe-

Camden. in Belgis. Ignat. de Rom. Princ. libr. 2. Ingulph. hiſtor. fol. 506. Malmesburienſ. libr. 2. cap. 9. Hoved. & Hunting.

ctione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

ctione freti eouſque Anglos imminentis terrore Martis adegerunt, ut magna quotannis pecunia, nunc x librarum, nunc x v i. poſt x x i v. ac xxx. prædonum more graſſantium expleta cupiditate, pacem redimere cogerentur, ſed ne in tantis reipublicæ periculis, oſcitanti, quid miſeriarum deeſſet, Regi; incolarum quibus Danicum pepercerat ferrum, interemit Anglica famis. Tanto tamen lituorum ſtrepitu, miſerrimique eiulatu populi, harmonia non prorſus ſiluit politica, ſed leges quædam non contemnendæ exaudiebantur.

Cap. 1. *Herus omnis propriam ipſius familiam in ſe recipito, ejuſque ſiſtendæ fidejuſſor eſto: Atque ſi famulorum quiſquam in crimen vocatus, ſeſe in fugam dederit capitis ejus æſtimationem Dominus Regi numerato. Quin ſi domina crimini detur eo autore & conſiliario fugam agitaſſe famulum, aſcitis ſibi Thanis quinque crimen eluito, id quod ſi non fecerit, capitis æſtimationem Regi quidem dependito, famulis omni juris patrocinio excludatur.*

Cap. 3. *Servus ſi ipſa Ordalii ſententia in reos referatur, primo inuſtus compungitor. Sin ſecundo Ordalii quæſtione examinatus, culpæ reus fiat, alia quam capitis pœna non eſto.*

Cap. 4. *Bonorum (ſine fidejuſſione & teſtimonio) emptio non fiat aut permutatio, ſi quæ ſecus fiat, tum qui eſt fundi Dominus rem illam quouſque cujus fuerit compertum habeat.*

Cap. 2. *Mercatorum navigia, vel inimicorum quidem quæcunque ex alto (nullis jactata tempeſtatibus) in portum aliquem invehentur, tranquilla pace fruuntor. Quin etiam ſi maris acta fluctibus ad domicilium aliquod illuſtre, pacis beneficio donatum navis appulerit inimica, atque iſtuc nautæ confugerint, ipſi ac res illorum omnes auguſta pace potiuntor.*

Cap. 5. *Liberæ conditionis Anglus Dacum inge-*

In 2. claſſe.

um ſi interfecer.t , dependito eo nomine XXV.
*. ni ſe ultro dederit homicida. Idem juris eſto ſi
nglo Dacus mortem obtulerit Servilis conditionis
acum Anglus ſi morte affecerit integram ſolvito
ram ; Dacus è diverſo ſi Anglum interfecerit,
xia pœna par eſto. Si quando viri occidantur octo,
dus læſum cenſetor, ſive id in oppida ſive extra
idem fiat : ſin fuerit occiſorum numerus octonario
inor ; pro eo ac fuerit ſingulorum æſtimatio, com-
nſatio ſequitor.*

Quin etiam illius celeberrimi (quod tamen Nor-
annos induxiſſe falſo ſcripſerit ille Polydorus)
uo nunc utimur, duodecem viralis judicii anti-
uiſſima hic habemus veſtigia. *In ſingulis* (Le-
em illius audis) *Centuriis comitia ſunto, atque li-
ræ conditionis viri duodeni, ætate ſuperiores, una
m præpoſito ſacra tenentes juranto, ſe adeo virum
iquem innocentem haud damnaturos, ſontemve ab-
luturos.* En porro, quod nos (* medietatem
nguæ) jam dicimus, habuerunt & illi. *Viri duo-
ni* in Senatuſconſulto de Monticulis VValliæ
gitur) *jureconſulti, Angli ſex, VVallique toti-
m, Anglis ac VVallis jus dicunto : Qui ſi ex æquo
bono non judicarint, fortunis ſuis omnibus mul-
antor, niſi quidem juris ignoratione ſe excuſave-
nt.* Arriſit inſtitutum poſteritati; Ut enim cujus-
bet actionis, accuſationis, ſive inquiſitionis
quæ ex dominio, contractu, maleficio vel quaſi
ompetunt) quæſtiones, de facto, inquam, non
e jure, è conteſtatione litis emergentes juxta ve-
tatem dirimantur, Duodeni nec infimi in cen-
hali tabula viri fide digni è provincia, qua con-
overſiæ ſemina ſunt exorta, ad tribunal reſcripto

---

*Polyd. Virg. lib 9. hiſt. Leg. Ethelred. in explic.
verb. Lamb. Inſtit. perſtat. 27. & 28. Ed. 3.
prius ignota lex ut reſponderunt judices An. 3. &
4. Ph. & Mar. Dyer fol. 145. a. Scnatuſcon. c. 3.*

Regis

Regis evocantur, qui oſtenſis utrinque inſtrumentis, auditiſque juramento onuſtis de jure præfectus Curiæ cum aſſeſſoribus ſuis libere reſpondent) diſceptatione ſeorſim inter ſe adhibita, conſtiterit (ſed obſtricti primum juriſiurandi religione) pronunciant. Sin vero de Capitali quovis crimine quiſquam PARIUM REGNI inquiſitione quam nos *Inditement* dicimus (nec enim de accuſatione, quod *Appeale* Anglice ſonat, contra quam Juſtiniarum noſtratium quidam nuper ridicule propalavit iſtud intelligendum) in judicio ſiſtat, duodenarius, major etiam aliquando, nunquam minor ad diſquirendum ille numerus è Baronibus, quos ajunt Parlamentariis ſive PARIBVS REGNI (qui non juramento, ſed verbo nobilitatis ac honoris ad veri pronunciationem aſtringuntur) debet conflari.

Qui vero aliis legem, ſibi nullam ſtatuit; quippe cujus moribus nec ullos terminos modeſtia. Admixtis ſocordiæ fæcibus Baccho & Veneri obſtruebantur influentiæ Palladis canales. Rutilantem Martis effigiem haud ſimulare potuit Rex petulantia eneruis, à quo tam indecoris majeſtati aſperſo maculis Ordinum defecerunt nonnulli; ludibrio alii, alii odio Regem habuerunt. Fatalis exitii imminentis iſta fuerunt prodromi; Quæ per omnium, imo exterorum ora volitantia, adjectis de agrorum opima fertilitate ſummus laudibus, Swanum Danorum Regem ad erigendam in Anglos victoriæ ſpem pellexerunt. Conſcripto igitur numeroſo exercitu inſulam aggreditur; efferatoque immaniter animo graſſabatur uſque dum Ethelredum Normanniam fugaſſet, Regnumque Angliæ invaſiſſet. Quo brevi potitus, cum vita ſimul eſſet exutus, regiam eamque paternam adiit hereditatem Canutus, quem inter & Edmundum

Stanford. in les pl. de cor. libr. 3. cap. 1.

cogno-

cognomine *Ferreum latus* Ethelredi mortui filium (tentarunt t men inprimis variam utrinque fortunam belli. & de ſingulari inter ipſos certamine, ut, quæ Plurimorum effuſo ſanguine non potuit, ancipiti duorum pugna res finiretur, conſuluerant) imperium diſpertiebatur. Edmundo VVeſtſaxoniæ, Canuto Mercia è pacto contigit. Hanc autem ſubito inopinata mors divſionem reſcidit. Extinctoque; (carnifice quo dubium adhuc erat) Edmundo, Anglorum Rex ampliſſimo, quaſi jure Canutus ſalutabatur. VVeſtſaxoniæ autem ſibi adminiſtrationem, Merciæ Edrico, Angliæ Orientalis Turkillo, Northumbriæ Iricio deſignavit; haud vero diu ſtetit iſta tetrarchiæ forma. Edricus enim inter letales Edmundi percuſſores, (qui ingentis ſpe præmii ultro illecti, tantum Regi facinus profiteri non erubeſcebant) quod emeruit, ultimo affectus eſt ſupplicio. Eliniatis tandem cæteris in Daniam, unius imperio, fœliciſſime, tametſi exteræ gentis viri, tota Anglia adminiſtrabatur. *Ingenti enim* (ut habet G. Malmesburienſis) *ſtudio Anglos ſibi conciliare, æquum illis jus cum Danis ſuis in conſeſſu, in conſilio, in prælio concedere: qua de re, ut prædixi, uxorem ſuperioris Regis Emmam ſibi è Normannia accerſiit, ut, dum conſuetæ dominæ deferrent obſequium, minus Danorum ſuſpirarent imperium.* Monaſteriorum eccleſiarumque laudatiſſimus inſtaurator. Sed ampliorum potentiæ terminorum cupidus, ad Suevos ſubigendos copias militares traduxit, quod cum non omnino fœliciter proceſſiſſet, domum rediens Noricorum Regem Olavum ſibi bello ſubjugavit, Cum vero decimus quintus ageretur illius regni annus ad devotiſſime ſalutanda Apoſtolorum limina Romam profectus eſt; honor fice ab Imp. Conrado I. & Pontifice R. Iohanne XXII.

Malmesb. lib. de geſt. reg. cap. 11.

exceptus; quibuſcum quanam de re ageret, quo etiam animo in eccleſiam fuerit Romanam, imo in totam Angliam, è lecta, quam Angliam detulit à Rege Roma abituriente Livingus Abbas Taviſtocienſis, epiſtola faciliime conſtabit. Cujus primum ſic habet frontiſpicium. *Canutus Rex totius Danmarchiæ & Angliæ, & Norvvegiæ partis Suevorum Egelnotho Metropolitano, & Alfrico Eboracenſi Archiepiſcopo omnibusque Epiſcopis & Primatibus, & toti genti Anglorum tam nobilibus quam plebeis ſalutem.* Narrata dein humanitate, qua erga illum uſi ſunt Papa & Imperator; *Locutus ſum*, inquit, *cum domino Imperatore & domino Papa & Principibus, qui ibi erant de neceßitatibus totius populi mei, tam Angli, quam Dani, ut eis concederetur lex æquior & pax ſecurior in via Rōmam adeundi, & ne tot clauſtris per viam arceantur, & propter injuſtum telonium fatigentur. Annuitque poſtulatis Imperator & Robertus* (in exemplari Malmesburienſis, *Rodulphus*) *rex, qui maxime ipſarum clauſurarum dominator, cunctique principes edictis firmaverunt, ut homines mei tam mercatores, quam alii orandi cauſa viatores, abſque omni angaria clauſurarum ac teloniorum cum firma pace, & juſta lege ſecuri Romam adeant & redeant. Conqueſtus ſum iterum coram D. P. P. & valde mihi diſplicere cauſabar, quod mei Archiepiſcopi in tanta angariabantur immenſitate pecuniarum, quæ ab iis expetebantur, dum pro pallio accipiendo ſecundum morem Apoſtolicam ſedem expeterent: decretumque eſt, ne id deinceps fiat.* Et paulo poſt. *Obteſtor & præcipio meis conſiliariis, quibus regni conſilia credidi, ne ullo modo aut propter timorem meum; aut alicujus potentis perſonæ favorem, aliquam injuſtitiam à modo conſentiant vel faciant pullulare in omni regno meo. Præcipio etiam omnibus vicecomitibus & præpoſitis univerſi regni mei, ſicut meam volunt habere amicitiam, aut ſalutem, ut nulli homini nec diviti,*

nec

nec pauperi, vim injuſtam inferant, ſed omnibus tam nobilibus quam ignobilibus ſit fas juſta lege potiundi, à qua nec propter favorem regium, nec propter alicujus potentis perſonam, nec propter mihi congerendam pecuniam, ullo modo devient, quia nulla mihi neceſſitas eſt, ut iniqua exactione pecunia mihi congeratur. Intermiſſis deinde paucis, *Nunc igitur obteſtor omnes Epiſcopos meos & regni mei præpoſitos per fidem, quam mihi debetis & Deo, quatenus faciatis ut antequam Angliam veniam omnium debita, quæ ſecundum legem antiquam debemus, ſint perſoluta; ſcilicet eleemoſyna pro aratris* (Saxonice ſulhælmapp, quam penſionem fuiſſe unius in ſingula aratra denarii (vetuſtiſſimo quodam Ethelredi legũ libello teſte) impoſiti Gulielmus Lambardus autumavit) *& decima animalium ipſo anno procreatorum, & denarii, quos Romam ad ſanctum Petrum debetis, ſive ex urbibus, ſive ex villis, & mediante Auguſto decimæ frugum, & in feſtivitate Sancti Martini primitiæ ſeminum ad eccleſiam ſub cujus parochia quiſque degit, quæ Anglice Kirkſet* (ſed Malmesburienſis habet * *Curcſet*) *nominatur. Hæc & alia, ſi cum venero, non erunt perſoluta, regia vis ſecundum leges, in quem culpa cadit, diſtricte abſque venia vindicabit. Omnes*, Angliam reverſus, *leges ab antiquis regibus & maxime ab Ethelredo latas ſub interminatione regiæ* (ſic Malmesburienſis) *mulctæ perpetuo obſervari præcepit.* Quarum, quæ illius inſcriptæ nomine circumferuntur, præcipuas iſtic annectam. Maximis primo circumſcribuntur immunitatibus Templa, & ſacerdotes, quorum crimina, quo diluantur modo ſubjicit.

Cap. 5. *Si quis ſacerdotem ad certam aliquam religionis normam viventem in crimen vocarit, atque is nullius ſibi ſceleris conſcius fuerit, Miſſam (ſi modo*

* *al. Chireſith.*

id facere non vereatur) celebrato, & Euchariſtiæ perceptione unius calumniam omnem ſolus contundito: ſin trium fuerit accuſatio, percepta (ſi modo auſus fuerit) Euchariſtia atque adjunctis ſibi aliis ejuſdem ordinis duobus, omnem cogitati ſceleris ſuſpicionem diluito. Diaconum ad certam religionis formulam viventem, ſi quis ſingulari calumnia criminis reum fecerit, aſſumptis ordinis ejuſdem duobus aliis, Diaconus ſe crimine liberato. Criminatio ſin fuerit tripla, admotis ordinis ejuſdem viris ſenis ſe culpa exoluito. Plebeium ſacerdotem, qui ſe ad nullam certam religionis regulam aſtrinxit, ſi quis inſimularit, perinde ut diaconus ex præſcripto vivens is crimen purgato, ſi eorum, qui Aræ deſervierint, aliquis, amicis orbatus, adeoque qui ſecum una pariter jurent non habens, criminis fuerit poſtulatus panem execratione devotum comeſto, atque de eo fiat prout divina feret voluntas, niſi quidem licitum fuerit Euchariſtiæ perceptione ſe culpa liberare, &c.

Cap. 7 Nuptias intra ſextum cognationis gradum contrahi vetuit.

Cap. 8. *Quiſque orationis eleemoſynam ad decimum quintum à paſchate diem pendito, fœtuum decimas ad pentecoſten ſolvito, terræ denique fructuum decimas reddito ad feſtum omnium ſanctorum celebre. Verumenimuero ſi decumas ad eum, quem diximus, modum (ex decima nimirum orationis ſacra) dare noluerit, præpoſitus regius,* Epiſcopus, *fundi dominus, fanique ſacerdos conveniunto, atque eo vel invito, decimam eccleſiæ (cui quidem debetur) partem, nona ei relicta, reddunto: Quod ad reſiduas octo partes attinet, quatuor qui eſt fundi dominus, reliquas illius diœceſis Epiſcopus habeto.*

Cap. 12. *Ter quotannis ad lucernas pecunia conferatur, feſto quidem Paſchatu in ſingulas terræ hydas ceræ obolus impenitor, ad feſtum omnium Sanctorum*

Idem in leg. Edgar. cap. 3.

cele-

celebre tantundem redditor, ſimiliter fiat ad feſtum Purificationis Divæ Mariæ.

Cap. 16. *Ad ſingulos Divæ Mariæ atque Apoſtolorum omnium dies feſtos (excepto unico Philippi & Iacobi, quo Paſchatis gratia cibo non temperatur) jejunia ſunto Singulo quoque Veneris die (niſi quidem feſtus agatur) jejunium eſto. A Paſchate vero uſque ad Pentecoſten, atque ab ipſo Natali Ieſu Chriſti die ad octavam uſque ab Epiphania lucem jujunia nemo obſervato, niſi quidem judicio ac voluntate fecerit ſua, aut id ei fuerit à ſacerdote imperatum.*

Cap. 17. *Porro feſtis diebus omnibus, quatuor temporum jejuniis, quadrageſima, cæteriſque omnibus quibus rite fuerit indictum jejunium diebus Ordalii omnis, ac jurisjurandi juriſdictio intermittitor. Ab anniverſario item adventus Domini die feſto ad octavum uſque ab Epiphania diem atque à ſeptuageſima ad decimam quintam à Paſchate lucem juſtitium edicimus.*

Cap. 19. *Præcipimus ut liberæ conditionis quiſque in centuriam ac decemvirale aliquod collegium ſe conjiciat, ſi modo, qui ſe purget atque ab alio capitis æſtimationem petat, ſe dignum haberi cupiverit, neque enim aliter annum ætate duodenum pogreſſus (cum forte injuria afficiatur) pari cum ingenuo jure fruatur.* Reſuſcitate hic, quæ fuit etiam Alfredi, cura, ne quis civium, quod ait Neſtor Homericus, ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος eſſet; ultra adjectum habes, duodecimum quicunque attigerit annum in centuriam ſive decuriam eſſe cooptandum. Quo quidem reſpexiſſe videtur Henricus de Bracton, cum hoc ipſum Edwardi Confeſſoris lege fieri deberi ſcriptum reliquerit. Hæc enim iſta Canuti pſephiſmata etiam Edwardi, poſt Normannicam converſionem; dicta ſunt, non quod

In claſſe ſecunda. Homer. Illia. θ. H. de Bracton. de conſ. Angl. lib. 3. tract. 2. cap. 10.

ille ſtatuerit, ſed quod (ſi Malmesburienſi fides) obſervaverit.

Cap. 40. *Si quis ſacris inauguratus rei capitalis obnoxius extiterit, comprehenditor, atque, ut tandem Epiſcopo criminis admiſſi pœnas dependat, aſſervator.*

Cap. 49. *Qui viduam per vim ſtupravit proprii capitis æſtimatione compenſato; nec mitiori conditione ſit qui virgini vim intulerit.*

Cap. 50. *Uxor ſi marito ſuperſtite cum alio quocunque corpus miſcuiſſe convincatur, dedecus atque inſignem omni in poſterum ætate infamiam ſubito, maritus res ejus omnes habeto, mulieri vero tum naſus, tum auriculæ præciduntor.*

En leges

—— *ipſis Veneri Martique timendas.*

quibus ſi pluſquam Laconica jam per Angliam adulterorum licentia coerceretur, quot, Dii boni, Pandoræ Venereis donatæ ceſtis à Cianarum (quas meminit Plutarchus) moribus prorſus alienæ, obſita ſqualore facie ſorderent! Ex quo etiam multo certius quam Cumæorum Onobates omnibus innoteſcerent. Nec quenquam, qui, ne Vulcano ipſo procudendis deſudante armis, geniali interim excipiatur Mars domi thoro, antitheſi quadam fluctuantium affectuum reformidat, conquerentem audiremus aut

Clamantem toties ubi nunc lex Iulia dormis?

Quæ vero de homicidio & læſæ majeſtatis crimine ſtatuerit, iſta ſequuntur.

Cap. 53. *Si quis alium præmeditatus trucidarit palam perempti cognatorum in poteſtatem dator. Sin cædis inſimuletur tantummodo atque in excuſatione afferenda ceciderit Epiſcopum penes eſto illius rei judicium.*

Plut. lib. de vit. Mulier. & in quæſt. Græc. 2.
Iuvenal. Satyr. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Cap. 54. *Si quis ſaluti Regis aut domini ſui inſidias tetenderit vita & rebus ſuis omnibus plectitor, niſi quidem triplicis Ordalii quæſtione crimen diluerit.*

Cap. 67 *Præfectis meis omnibus etiam mando, ut ex prædiis meis propriis quæ mihi fuerint ad victum neceſſaria ſuppeditent, neque alius quiſquam victui noſtro adjumenta præſtare invitus cogatur, &c.*

Cap. 68. *Sive quis incuria ſive morte repentina fuerit inteſtato mortuus, dominus tamen nullam rerum ſuarum partem (præter eam quæ jure debetur hereoti nomine (ſibi aſſumito. Verum eas judicio ſuo uxori, liberis & cognatione proximis, juſte (pro ſuo cuique jure) diſtribuito.*

Cap. 69. *Hereotum vero cujuſque ſit dignitati conſentaneum. Satrapæ,* (Saxonice Eople) *ut quidem par fuerit, equi octo, quorum IIII. ephippiati, IIII. nudati ephippiis, galeæ IIII. Loricæ IIII. haſtæ VIII. Scutorum VIII. enſes IIII. aurique mancuſæ CC. Thani regii qui loco fuerit primario ſint hereotum IIII. equi ephippiati II. totidem ephippiis vacui, gladii II. haſtæ IIII. Scutorum IIII. galea I. lorica I. aurique mancuſæ L. Inferioris Thani, equus una cum ornamentis, & telum, aut in occiduis Saxonibus ea, quæ eſt loco colli obſtricti penſio, in Merciis & Orientalibus Anglis libræ II. In Dacis, Thani regii (quæ liberam habuerit juriſdictionem) ſint hereotum libræ IIII. atque ſi is regi fuerit familiarior ſint hereotum equi II. unus ephippiatus, nudus alter, gladius, haſtæ II. Scuta II. atque auri L. mancuſæ Infimæ denique conditionis Thani ſint hereotum libræ II.* Avita quidem Germanorum conſuetudo & Italorum; ut lex illa Conradi I. Imp. Roncaliis lata de beneficiis teſtatur. Ad filios enim beneficia, morte militum, deferenda

Carol. Sig. hiſt. de reg. Ital. lib. 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

cum cenſuiſſet, *ſervato* (inquit) *uſu majorum Valvaſorum in dandis equis & armis ſenioribus.*

Ne qua deinde mulier ſecundis, niſi ſupra decimum (quod ad muliebrem illum in novas Thalaſſio accendendas imparis numeri faces pruritum cohibendum ſancivit Romanis Numa Pompilius) menſem binis etiam poſt obitum viri exactis, ſeſe nuptiis immiſceat, illius lege cautum eſt; adjecta inſuper graviori, quam vaccæ mactatio prægnantis, pœna.

Cap. 71. *Dote*, ſcilicet, *mulctata fortunis omnibus à priore marito relictis privator: eaque omnia cognatione Proximus habeto. Maritus proprii capitis æſtimationem regi (ſive cui rex cunque dederit alteri) dependito,*

Cap. 74 *Si quis rem furto ſurreptam in tectum introduxiſſe ſuum convincatur, æquam ei tribui furti mercedem par eſt. Conjunx vero (niſi quidem rem illam ſera clauſam tenuerit) furti non tenetor. Has vero fœmina claves cuſtodire debebit, penarii, ciſtæ veſtiariæ, & ſcrinii ſui, atque ſi in his rem tenuerit occluſam, habetor furti conſcia. Non poterat autem prohibere fœmina, quin conjunx, quid velit in domum introferat ſuam. Mos erat, hiante hominum avaritia, parvulum in cunabulis (qui nondum cibum guſtarat) dormientem, huic facinori perinde putare conſcium atque ſi is recte ſaperet. Id ego aliaque nonnulla Deo moleſta & odioſa planiſſime veto.* Undenam, niſi ex iſto fronte, rivulos illos apud Henricum de Bracton, alioſque Angliæ Iuriſconſultos, de uxore furti conſcia emanaſſe quis affirmavit?

Cap. 75. *Si quis terreſtri ſive navali pugna dominum aut commilitonem ſuum per ignaviam & pigritiam deſeruerit, vita & rebus ſuis omnibus mulctator, ejusque res omnes, & quem illi prius de-*

Plutarch. in vit. Nu.

derat

derat fundum, dominus recipito. Sin, quæ ex ſcripto prædia poſſederit, ea regi ſunto. Verum enimuero ſi quis in exercitu, ſive in regno, ſive extra quidem pugnans coram domino mortem oppetierit, ipſum condonator ac remittitor hereotum: atque in bona prædiaque paterna hæredes ejus ſuccedunto, eaque ſecundum jus faſque dividunto.

Cap. 77. *Præterea autem concedo ut in propriis ipſius prædiis, quisque, tam in agris quam in ſylvis excitet, agitetque feras. meas autem ne venetur (iis præſertim in locis, quos privilegio circumſcripſi meo) cum pœna præcipio.*

Cap 79. *Sive quis ad comitia proficiſcatur ſive revertatur ab eisdem, placidiſſima pace (niſi quidem furti fuerit manifeſtus) fruitor.*

Firmato inſuper ſibi regno, Daniamque (quod refert Henricus de Bracton) dimiſſo exercitu, publicam Nobiles Angliæ interpoſuerunt fidem, ut tranquilla quotque ſecum Rex retineret pace undequaque gauderent. Quorum ſi quem Anglus quiſpiam occideret, nec Ordalii judicio examinatus ſeſe purgaret, emeritas lueret pœnas. *Sin vero fugam fecerit, nec prehendi poterit, ſolverentur pro eo* LXVI. *marcæ, & colligebantur in villa, ubi quis eſſet interfectus, & ideo quia interfectorem non habuerunt, &, ſi in tali villa pro paupertate colligi non poſſent, colligerentur in hundredo, in theſauro Regis deponenda.* Ipſam hic, quo nunc utimur juris, repreſentationis imaginem habemus depictam. Plurima quidem alia inter leges Canuti referuntur, quorum pleraque cum tantum per modum anacephalæoſeos ſuperiorum (quæ diximus) ab aliis regibus latorum interſerantur, conſulto prætermiſimus. Quinetiam poſteritati tam gratæ

Bract. lib. 3. tract. de coron. cap. 15. & Leg. Ed. C. cap. 10. Leg. Ed. C. cap. 15. Stanford. in lib. 1. Peſplees de coron. cap. 31.

ſuerunt, ſibique tam ſalutares Angli ſemper duxerunt, ut ad eas firmiter obſervandas ſub nomine Edwardi Regis (non quod ille, ut è Malmesburienſi ſuperius diximus, ſtatuerit, ſed quod obſervaverit) Principes regio inaugurandos ſolio ſæpius obſtrinxerint juramento.

Ordinata jam prudentum conſiliis meridionali Britanniæ parte, armis aggreditur ſeptentrionalem. Rebelles Scotos Regemque eorum Malcolmum parvo ſubegit negotio. Elapſo tandem poſt auſpicatum regnum viceſimo anno, *Dominus totius Daciæ*, (Sic Huntindonienſis) *totius Angliæ, totius Norvvegiæ ſimul & Scotiæ* mortis nihilominus vaſallus non potuit Libitinam vitare.

CAP. VII.

Hardecanutus & Haroldus, Edwardus Confeſſor, ejuſque ſucceſſor Haroldus, quem Guilielmus Normannus vicit, & Anglia potitus eſt.

DE paterno diſceptabant imperio Canuti filii, Hardecanutus ex Emma, quæ fuit Ethelredi uxor, Haroldus ex Elfgina Northantonienſi furtiva Venere ſuſceptus, & parum aberat, quin ad dubias Martis incerti vices res rediiſſet. Hunc enim Dani & Londinenſes, illum, (quod ex Emma natus) vel potius è filiis Ethelredi Normannia agentibus aliquem, Angli ſibi regem optabant. Ne ſuorum autem inſula irrigaretur ſanguine tranſactum eſt, ut Thameſis fluvius fratribus regni fines herciſceretur. Septentrionalis à Thameſi pars Haroldo, Auſtralis Hardecanuto obtigit. Qui cum Dan-

---

Malmesb. lib. 2. cap. 11. Huntindon. lib. 6. hiſt. fol. 208. Ingulph. hiſt. Reg. de Hoveden. part. pr. mar-

marchiam rediiſſet, Haroldus totius Angliæ Rex acclamatur. Poſt quadriennium mortuo ſucceſſit Hardecanutus ab Anglis ſimul & Dacis in regem electus. Quorum nempe qui naturalem legitimo filio antepoſuerant, injurias ut ulciſceretur, graviſſima tributa extorſit. Claſſiariis enim ac exercitui ſuo XXI. LXXXIX. libras, iterumque XI. XLVIII. ſecundo (qui & ultimus) regni anno corraſit. Superſtites adhuc erant in Normannia Ethelredi ex Emma filii Alfredus & Edwardus. Illum, è Danorum emerſi Proceres imperio, ad regnandi munus ſub eundum accerſiverunt. Verſuto autem Godwini officiarii Comitis Cantii callide perſuaſi ingenio, hunc, licet natu minorem, diademate coronarunt, virum magis devotum Deo, quam imperio idoneum. Cui tamen placidiſſimæ potius quieti, quam caſtrametationi dedito, Comites quidam non defuerunt, qui belligerando ſtrenue operam navarunt. Quorum Siwardus Northumbrorum Comes *ejus juſſu* (ut ſcribit Malmesburienſis) *cum Scottorum rege Macbetha congreſſus vita regnoque ſpoliavit, ibidemque Malcolmum filium Regis Cumbrorum regem inſtituit.* VVeſtſaxoniæ autem Haroldus Godwini filius rebelles compeſcuit Cambro-britannos, quorum Rex Griffinus (Ingulpho teſte) *à ſuis occiditur & caput ejus cum roſtro navis ipſius Haroldo deſtinatur, cujus fratribus Blethgento & Ruthio Rex Edvvardus dedit, & fidelitate jurata pro ſervitio regno Angliæ debito ſingulis annis præſto perſoluendo VValliam tenendam ſibi & ſuis poſteris pacifice conceſſit.* Quod ad civilem regni adminiſtrationem attinet, alienus fere ab Anglicis, quippe tamdiu Normannia educatus moribus totus, quaſi Gallicisſabat. *Fol.* 509. *Cæpit ergo terra* (Ingulph. audis) *tota ſub Rege & ſub aliis Normannis*

Huntind. lib. hiſt. 6. *fol.* 209. *Malmesb. lib.* 2. *de geſt. reg. cap.* 13. *Ingulph. hiſt. fol.* 511.

 intro-

introductis Anglicos ritus dimittere, & Francorum mores in multis imitari, Gallicum idioma omnes magnates in ſuis curiis, tanquam magnum gentilium, loqui, chartas & chirographa ſua more Francorum conficere, & propriam conſuetudinem in his & in aliis multis erubeſcere. Quinimo Galliam (cum uxore Egitha Godwini filia perpetuo Venerem aſpernatus, ſibi amaſiam duxit eligendam, nec aliunde quidem regni heredem ſuſcipiendum, ſuperba nimirum ingruente Godwinianæ familiæ potentia, deſtinavit Guillielmum igitur Ducem ſeu (ut ſcribunt aliqui) Comitem Normanniæ heredem ac ſucceſſorem in Anglorum regno (ſi Ingulpho, Malmesburienſi, & Chartæ, quam ipſe confecerit, ſit habenda fides) inſtituit. Cui refragetur licet Hiſtoria Cadomenſis, qua extremum dum exhalaret ſpiritum, ſe neminem Anglici regni conſtituiſſe heredem, ſed æterno conditori commendaſſe, nec tantum decus jure hereditario poſſediſſe; ſed diro inflictu, illum dixiſſe perhibetur; elevat tamen hiſtoriæ hujuſce fidem, quod à Rogero de Hoveden, & Matthæo Pariſienſi ſcriptum relinquitur, Gulielmum ſcilicet in extremis agentem teſtamentum eatenus condidiſſe, ut Normanniam, Robertus, Gulielmus Angliam, libras autem V. Henricus filius legatorum nomine acciperent. Haroldus interim, piſcatorio, juxta viculum *Boſeham*, conſcenſo navigio fluctibus vi ventorem agitatis, Normannica (caſu an conſilio dubium) ad littora appulſus eſt. Prehenſus primo & Duce coram ab accolis adductus maximam cum Guilielmo brevi iniit gratiam. Quam ut citius ſibi conciliaret, regiæ illius adoptionis nuntium ſe præbuit;

Char. Conq. apud Camden. in Nor. Hiſtor. Caldomenſ. inter editas à G. Camdeno hiſt. Hoved. par. poſt fol. 264. M. Pariſ. in vit. H. I. pagin. 84.

(quo

(quo tamen munere legatus, ut ajuut, à latere Edwardi Regis Robertus Cantuarienſis antiſtes erat functus.) filiam Guilielmi adhuc immaturam libentiſſime à patre deſponſatam ſe uxorem poſtea ducturum, Angliæ autem imperium Duci firmo confirmaturum præſidio, ſi emortualis, dum ipſe vixerit, Edwardi dies accideret ſacroſanctis tactis Evangeliis eſt aſtipulatus. Eo igitur, quo decuit, exceptus hoſpitio haud ita multum poſt ad Patriam remeavit. Cum vero regii in vicem throni ſandapila Edwardus fulciretur, & de ſubſtituendo Rege Proceres ancipiti cura diſtraherentur, Haroldus, ut ille perfidus olim Spartanus, taxillis pueros, viros jurejurando decipiendos eſſe cenſens, regnum, quod Normanno, Divino teſte ac invocato numine tanquam fiduciarius heres reſtituere ſe adſtrinxerat, omiſſis illis (quæ deceſſores ejus ſemper adhibere erant ſoliti) divinis, nec perjuro idoneis, auſpiciis, ſibi ipſi arripuit. Infenſos exinde habuit Pontificios, ipſumque Maximum Pontificem Alexandrum II. Qui Guilielmo (poſtquam Haroldus adactum ſe vi, illectuque circumventum doloſo in Normannia juraſſe, nec imperium Anglicum promiſſis deferri potuiſſe ſine populi aſſenſu, quo ſe jam electum eſſe Regem, legatis, qui ſponſionis ac jurisjurandi admonebant, aſpere reſpondiſſet) apertum denuncianti bellum, ſacratum, in victoriæ omen ac regni, vexillum petenti donavit. Fretus igitur his Normannus, ac Edwardi inſuper affinitate (filius nimirum Roberti Ducis, filii Richardi, fratris Emmæ, matris Edwardi; cujus tametſi è fratre Edmundo nepos Edgarus Etheling ſuperſtes, regnó tamen parum idoneus fuerit) numeroſo coacto exercitu, Neptuno placatis & Æolo, ad Pevenſeiæ littora inter Auſtrales Saxones appulit.

Lyſand. in Plut. Ingulphus. Matth. Pariſienſ.

Na-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Navibus autem, ut ſociis ſpem fugæ præriperet ignem injecit; Progreſſus inde paulo in planicie juxta *Haſtings* caſtra metatus eſt. Cum interea Haroldus, habito militum delectu fatigatus, è quibus nuperrime emerſerat, Norwegiſtrum bellis, copias tamen eduxerit, forti ac infracto prorſus, ut videtur, animo, inflectere nihilominus conatur Normannus. Internnncio Monacho, conditiones illi iſtas propoſuit; Aut exueret ſe regno; aut clientelari, ſub Normanno, jure idem obſtrictum retineret; Monomachiæ, vel Pontificis Romani judicio cauſa dirimeretur. Aſpernatur Anglus; à gentium, in legato violando jure, vix abſtinuit, quod flammis Normannorum addidit oleum. Ad craſtinam inde utrinque pugnam paratur. Comeſſationibus & cantibus Angli noctem conſumunt; mane ebrii ad arma conclamant; impenetrabili adverſus hoſtes cuneo Pedites cum bipennibus, conſerta ante ſe ſcutorum teſtudine progrediuntur. Normanni vero (qui tota nocte peccatorum confeſſioni vacarant, communicata mane ſingulis Euchariſtia,) claſſicum canunt, frontem aciei ſagittariis muniunt; Initum utrinque acriter prælium, ſtataria quaſi pugna; ſed utrinque etiam æquæ Leoninæ pelles; vulpinam ergo Gulielmus induit, ſimulataque fuga receptui canit. Angli quaſi certo jam & explorata victoria ſeſe potitos rati, hoſteſque metu dediſſe terga exiſtimantes, diſſipatis ordinibus tumultuario palantes Normannis inſtant; Cum ex improviſo reductis illi agminibus incompoſitos adoriuntur, maximamque gregariorum, perforato ad mortem ſagittæ ictu Haroldi cerebro, militum circumfuſi edunt ſtragem; ultimaque de Saxonico imperio ſic anno ab incarnato Verbo

A. Chriſto An. 166. *Malmesb. lib.* 3. *de geſt. reg. cap.* 1. *Matth. Pariſ. in vit. Haroldi.*

CIↃLXVI. Prid. Id. Octobris, jacta eſt alea. Gulielmus, cum maritimas oras pervagatus eſſet, Londinum ab VVallingfordia protinus advolat, ubi (ſimultatibus primo Procerum, quorum alii Edgarum Etheling, Edwinus autem & Morcardus ſeipſos in imperium evehendi conſilium, ſed fruſtra injerant, remorantibus) feſtis acclamationibus & lætiſſimis exceptus Rex Angliæ ſalutatur. Rerum autem ſic alibi per Angliam potitus, caſtrum verſus Dorovernienſe, ut Cantianos etjam ſubjugaret, promovit exrcitum, Cantiani Stigando Archiepiſcopo Cantuarienſi & Egelſino Auguſtinenſi (ut author eſt ejuſdem cœnobii monachus * Thomas Spottus) archimandrita Ducibus, *die dicto universi apud Svvaneſcomb. conveniunt, latitantes in ſylvis adventum Ducis expectant, ſtatuunt ramos arborum in manibus portantes precludere undique vias duci & circumvenire. Guillielmus cum ſe quaſi mobili nemore videret circumdatum ſubito conſternatur, magis autem cum abjectis Cantiani ramis arma præferunt. Tentata res legatione, qua Præſules illi iidemque Duces functi iſtam coram Normanno habuerunt brevem, ſed ad libertatem Patriæ accommodatam orationem. Ecce Domine Dux Populus Cantii tibi obviam procedit, te tanquam ligeum Dominum recepturi, ea conditione, ut populus univerſus Cantianus in perpetuum avita gaudeat libertate avitiſque fruatur legibus, alioqui tibi è veſtigio bellum indicunt, parati hic potius omnes occumbere quam ſervitutis jugum pati & ab avitis legibus recedere.* Fœdere potius quam vi cætero adjungendam Cantiam regno ratus Dux petita illa non tam libenter quam prudenter in arcto poſitus conceſſit. Annectunt hujuſce rei fidem illa ex antiquo conſuetudinum libro à Camdeno eruta. *Dicit Cantii Co-*

Th. Spottus. Lamb. & antiq. eccl. Brit. fol. 108. *Camden. in Cant.*

mitatus, quod in iſto Comitatu de jure debet de ejuſmodi gravamine eſſe liber, quia dicit, quod Comitatus iſte, ut reſiduum Angliæ, nunquam fuit conqueſtus, ſed per pacem factam ſe reddidit conqueſtoris dominatui, ſalvis ſibi omnibus libertatibut ſuis & liberis conſuetudinibus primo habitis & uſitatis. Illæſas hinc patrias retinuerunt conſuetudines illamque inprimis, quod leges Anglorum municipales *Gavelkind* nominant, quæ in toto regno, ante Ducis adventum, frequens & uſitata fuit, poſtea cæteris adempta (ſed privatis quorundam locorum conſuetudinib. alibi poſtea regerminans) Cantianis ſolum ex hac Stigandi & Egelſini armata interceſſione integra & inviolata remanſit. Subacto igitur ſeu potius conciliato Cantio Natalis Chriſti ad inaugurationem Reg s deſtinatus dies appropinquat. Qui cum diluxiſſet, ab Aldredo Eboracenſi præſule (nec tanto præeſſe volebat Stihandum muneri qui dotentiſſimo Mammonis numine Archiepiſcopatum Cantuarienſem invaſerat) ſolennibus adhibitis ſacris, diademate indutus eſt. Homagii & fidelitatis vinculo Primores regni ſibi firmavit. Suos autem ut dignis victoriæ præmiis remuneraret ſuſpectamque Anglorum potentiam diminueret, *Comitatus, & Baronias, Epiſcopatus, & prælatias totius terræ Normannis diſtribuit & vix aliquem Anglicum ad honoris ſtatum vel alicujus dominii principatum aſcendere permiſit.* Directum prædiorum (quæ Normannis pleraque conferebantur) dominium ſibi omnium reſervavit, nec abinde quiſpiam hucuſque Anglorum, præter ipſum Regem fundum allodii inire poſſedit. *Ne vero libera* (ut habet apud Camdenum & Lambardum) Gervaſius Tilburienſis) *de cætero*

Antiq. eccleſ. Brit. fol. 109. *Ingulph. hiſtor. fol.* 512. *Malmesb. lib.* 3. *de geſt. Reg. Gervaſ. Tilbur.*

dare-

daretur erroris facultas, decrevit ſubjectum ſibi populum juriſcripto legibuſque ſubjicere. Propoſitis igitur legibus Anglicanis ſecundum tripartitam earum diſtinctionem, id eſt, Merchenlage, Danelage, VVeſtſaxenlage, *quaſdam reprobavit, quaſdam autem approbans, transmarinas Neuſtriæ leges, quæ ad regni pacem tuendam efficaciſſimæ videbantur, adjecit.* Cum autem Danum ſe origine fuiſſe animo meditatus eſſet, majorumque generoſi eſſe premere veſtigia, Danorum maxime etiam dignas, quibus nova ordinaretur Reſpubl. leges cenſuit. Ex quo Angli jam fremere, conclamare, ſeque, ſi non ſolum hereditariis prædiis, ſed etiam legibus defraudarentur, vaſto nimis miſeriarum gurgite abſorptos fore conqueri. Gravibus exorant precibus, ut Edwardi Confeſſoris, ad inſtaurandam politiam, leges, amplexaretur. Inflexus igitur ſancivit XII. è quolibet eligendos evocandoſque comitatu Viros, qui jurisjurandi fide Conſuetudines nuperrimas patefacerent, eaſque ex integro explorarent, qui iſtas inprimis, quas ſubſcripſimus, recenſuere.

Cap. 2. *Omnis Clericus & etiam ſcholares & omnes eorum res & poſſeſſiones, ubicunque fuerint, pacem Dei & ſanctæ eccleſiæ habeant.*

Cap. 4. *Ubicunque Regis juſtitia vel cujuſcunque ſit placita tenuerit, ſi miſſus Epiſcopi illuc veniens cauſam aperuerit ſanctæ eccleſiæ ipſa primitus terminetur. Iuſtum eſt enim, ut ubique Deus præ cæteris honoretur.*

Cap. 5. *Quicunque de eccleſia aliquid tenuerit, vel in fundo eccleſiæ manſionem habuerit, extra curiam eccleſiaſticam coactus non placitabit, quamvis foriſfecerit, niſi (quod abſit) in curia eccleſiaſtica de recto defecerit.*

Cap. 6. *Quicunque reus vel noxius ad eccleſiam*

Rog. de. Hoved. part. poſt. fol. 346. & ſeq.

cauſa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

cauſa præſidii confugerit, ex quo atrium eccleſiæ tenuerit, à nemine inſequente nullatenus apprehendatur, niſi per pontificem aut miniſtrum ejus. Quod ſi fugiendo domum ſacerdotis vel curiam ejus intraverit, eandem ſecuritatem habeat quam & apud eccleſiam, dum tamen ſacerdotis domus & curiæ ejus in eccleſiæ * *fundo conſiſtant Hic ſi latro vel raptor eſt, quod male cepit, ſi ad manum habet, reddat, & ſi illud penitus extirpaverit, & ſi ſuum proprium unde reddat habuerit, integrum, cui damnum intulit, reſtituat, & ſi more ſolito latro taliter egerit, & ſi forte fortuito ad eccleſias, vel ad ſacerdotis domus frequenter evaſerit, ablatione reſtituta, provinciam foriſjuret, nec redeat: & ſi forte reditum fecerit, nullus eum hoſpitari præſumat, niſi à rege data licentia.*

Cap. 7. *Pacis ſanctæ eccleſiæ violator Epiſcopo coram ſiſtat judicio, ſi diffugerit, Regi poſt* XL. *dies criminis, deferatur. Quod ſi infra* XXXI. *dies ſive per amicos & notos ſive per juſtitiam Regis inveniri non poterit, utlagabit eum Rex verbo oris ſui, ſi vero poſtea repertus fuerit, & retineri poßit vivus Regi reddatur vel caput ejus ſi ſe defenderit, Lupinum enim gerit caput quod Anglice* Wulpepheopod *dicitur & hæc eſt lex communis & generalis de omnibus utlagatis.*

Cap. 1. *De annona, pullis, vitulis, caſeo, butyro, porcellis, apibus, prato, aquis, molendinis, parcis vivariis, piſcariis, virgultis, hortis & negotiatioibus & omnibus rebus, quas dederit dominus decima pars ei reddenda eſt, qui novem partes ſimul cum decima largitur. Qui eam ditinuerit per juſtitiam Epiſcopi & regis (ſi neceſſe fuerit) ad redditionem arguatur.*

Cap. 6. *Die illo, quo judicium ferri vel aque fieri debet veniat illuc miniſter Epiſcopi cum clericis ſuis, & ſimiliter juſtitia regis cum legalibus hominibus*

* *Al. feudo.*

provin-

provinciæ illius qui videant & audiant ut æque omnia fiant, & quos Dominus per miſericordiam ſuam, non per merita ſalvare voluerit, quieti ſint & liberi recedant, & quos iniquitas culpæ non dominus damnaverit, juſtitia regis de ipſis juſtitiam faciat. Barones vero qui ſuam habent curiam de ſuis hominibus videant, ut ſic de eis agant, quatenus erga Deum reatum non incurrant, & regem non offendant. Et ſi placitum de hominibus aliorum Baronum oritur in curiis ſuis, adſit ad placitum regis juſtitia, quoniam abſque ea placitum finiri non licet, ſi quis Baronum juſtitiam non habet, in hundredo, ubi placitum habitum fuerit, ad propinquiorem eccleſiam, ubi judicium Regis erit determinandum eſt, ſalvo jure Baronum illorum.

Cap. 10. 11. Denarios meminerunt (quod ſupra retulimus) D. Petri; & Danegeldum à quo *libera & quieta erat omnis eccleſia, & etiam omnis terra, quæ in proprio Domino Eccleſiæ erat, ubicunque jacebat, nihil prorſus in tali redditione perſolvens quia magis in eccleſiæ confidebant orationibus, quam in armorum defenſionibus.*

Cap. 14. *Theſauri de terra Domini Regis ſunt, niſi in eccleſia vel in cœmiterio inveniantur & licet ibi inveniantur, aurum regis eſt & medietas argenti & medietas eccleſiæ ubi inventum fuerit, quæcunque ipſa fuerit vel dives vel pauper.*

Cap. 18. Ignoſcere poteſt ei Rex, qui mortem promeruit, modo illi, cui damno fraudive fuerit emendetur.

Cap. 19. *Habet Rex alteriuſmodi poteſtatem ſuper captivos. Ubicunque enim venerit in civitatem vel burgum vel caſtellum, vel villam, vel etiam in via ſi captivus fuerit, poteſt eum ſolo verbo ſolvere à captione. Solutus tamen ſatisfaciat cui forisfecit Mundrator vero vel traditor, vel hujuſmodi criminoſus, quamvis rex ei condonaverit vitam & membra ſecundum legem, nullatenus in patria remanebunt, ſed ſtatim jurabunt ſe ituros ad mare infra terminum*

à juſti-

à juſtitia eis conſtitutum , & mox transfretaturos quam cito habuerint navem & ventum. Quod ſi perjuri poſtea in terra remanſerint , quiſquis eos invenire poterit, faciat de eis ſine judicio juſtitiam , & ſi quis eos gratis detinuerit pro una nocte ſola majori lege Anglorum vel Danorum emendabit , pro ſecunda duplici , pro tertia nocte ſocius ejus & compar malefactorum judicabitur. Siquidem tales habuerint uxores ſuas in patria ſubſiſtentes & dixerit aliquis parentum murdrati eas nequitiæ fuiſſe participes, expurgent ſe judicio Dei , quas ſi clementia Dei & innocentia ſua ſervaverit , remaneant legales cum dotibus ſuis & maritagiis. Pueri vero, qui ante malefactum fuerint nati vel generati , non exeunt exleges pro malefacto poſt generationes eorum peracto , nec perdant hereditatem.

Cap. 27. *Si quis hoſpitaverit privatum vel alienum , qui Anglice* cupcup uncup *dicuntur , poterit eum noctibus habere duabus tanquam hoſpitem Qui ſi forisfecerit non incurrat dominus damnum pro hoſpite , veruntamen ſi cui damnum illatum fuerit , & ad juſtitiam de eo clamorem fecerit , quod ipſius conſilio malum factum fuerit cum duobus legalibus vicinis ſuis purgabit ſe ſacramento de conſilio & de facto : quos niſi habuerit , damnum emendet & foris facturam , quem ſi tertia nocte hoſpitatus fuerit & is alicui forisfecerit , habeat eum ad rectum tanquam de propria familia quod Anglice dicitur* rpa nizhr zepe opid nizhr azen hine *quem niſi poterit ad rectum habere , habebit terminum prædictum menſis & unius diei. Etſi poterit inveniri malefactor , reſtauret damnum quod fecerat & emendationem , ſi poterit & de corpore ſi adjudicatum fuerit ei. Si vero malefactor non poterit damnum reſtaurare quod fecerat hoſpes ſuus reſtaurabit & forisfacturam , & ſi juſtitia habet eum ſuſpectum , purgabit ſe judicio hundredi vel ſcyræ.*

Cap. 28. *Si quis adduxerit animal in villam vel appor-*

portaverit pecuniam & dixerit, ſe inveniſſe, priusquam in domum introducat ſuam vel etjam alterius ante eccleſiam ducat & coram ſacerdote eccleſiæ & præpoſito villæ & melioribus hominibus totum oſtendat inventum, quicquid ſit. Præfectus villæ mox mittat ad quatuor villas propinquiores pro ſacerdotibus & præpoſitis villarum, qui adducant ſecum tres vel quatuor de melioribus hominibus de unaquaque villa, quibus congregatis oſtendatur totum inventum. Poſtea vero teſtimonio ipſorum præpoſitus (de cujus dominio inventor eſt) cuſtodiat inventum uſque in diem craſtinum. Die autem craſtino cum aliquantis vicinorum ſuorum qui viderunt inventum ad hundredi eat præfectum, in quo hundredo ſua villa eſt & ipſi oſtendat totum. Et ſi homo alicujus Domini ſit, in cujus terra inventum eſt hoc, & Dominus in cujus terra inventum eſt, non habet conſuetudines ſuas, ſcilicet ſake & ſoke, *omnia tradat præfecto hundredi (ſi habere voluerit) eum bonis teſtibus. Sed ſi Dominus habuerit conſuetudines in curia domini teneatur.*

Cap. 31. *Conſul* (Comitem autem indigitant) *tertium habebat denarium de forisfacturis.*

Cap. 37. *Vſurarios quoque defendit Rex Edvvardus, ne remaneret aliquis in toto regno ſuo. Et ſi quis inde convictus eſſet, quod fœnus exigeret, omni ſubſtantia propria careret & poſtea pro exlege haberetur.* Has cum aliis quibuſdam, quas de friborgis, decuriis & centuriis inter Alfredi leges ſupra inſeruimus, ſubmiſſo obteſtantibus Anglis animo reſtituere non moratur Normannus. Magis tamen, quod ad civilem erant adminiſtrationem aptiſſimæ, quam miſerorum precibus annuendo. Nec enim expulſis detruſiſque Anglis, omnique donatis munificentia Normannis (ut Normannica fuerit Anglia tota quod jam colonia) ad firmandum victo-

Hoved. & exemplar. in Lamb. *Machiavel. in com. ad Liv. lib. 1. cap. 26.*

ris

ris imperium neceſſe fuit, ut forma omnimodo (quod Politici decantant) nova reipubl. inſtitueretur, ſed ut antiqua novis miſcendo ſe virum Dominum (quod ei par viſum eſt) ab omnibus agnoſci efficeret, omniaque, etſi haud prorſus immutarentur, Normanniam tamen & Normam redolerent. Quamobrem & ſui ipſius quædam intertexuit decreta, quorum, quæ digniſſima, hæc iſta.

Si Francigena appellaverit Anglicum de perjurio, aut murdro, furto, homicidio, aut Ran quod dicunt apertam rapinam, quod negari non poteſt, Anglicus ſe defendit per quod melius voluerit aut judicio Ferri aut Duello. Si autem Anglus infirmus fuerit, inveniat alium qui pro eo faciat. Si quis eorum victus fuerit, emendet regi XL *ſolidos. Si autem Anglus Francigenam appellaverit, & probare voluerit aut Duello, volo tamen Francigenam purgare ſe ſacramento non ferro.* Habes hic illius incunabula apud Anglos formæ purgationis, Longobardis antiquiſſimæ, quam dummodo internecina plurimorum bella in paucorum exinde, (cujus exempla Judaicæ, Græcæ, Romanæ, omniumque fere gentium hiſtoriæ prodiderunt) fortunas contrahantur, cum non interſit quo numero adverſus hoſtes decernatur, haud alienam eſſe nec à vere humano aut divino jure Alciatus, Bodinus, Delrius, Friſius, aliique ſcriptores claſſici diſceptant: armatum autem illud judicium ad civiles dirimendas lites, privataſque cauſas definiendas antiquitus uſurpatum, (quam quod nihil tam juri inimicum,) damnandum prorſus, abhorrendum, & è Chriſtiana penitus exterminandum republica dijudicant. Quod itidem

---

Roger. de Hoved. in vit. Hen. 2.

Dano-

Danorum Sueno (*a*) Longobardorum Rhotaris, Francorum D. Ludovicus, Phillippus Bellus, Henricus II. & IIII. Reges, Imperatoria & Pontificia multis abhinc annis decreta, noviſſimaque illa generalis Tridentina Synodus interdixeruut. Majores autem noſtri (an quod avitas religioſiſſime colendas conſuetudines, an quod iſtam haud tam immanem, ut quæ abrogari meruit, duxerint, neſcio) tam procul ab illius ſemper fuerunt antiquatione, ut, non ſolum in quibuſdam, de fundis & prædiis, inſtitutis actionibus, criminumque capitalium accuſationibus, ad hunc uſque diem in prætoriis noſtris ad Martem provocare ſit litigantibus liberum, verum etiam in Archivis ſchediſque antiquis Parlamentariis ne ſemel quidem (quod memini) rogatam, ut aboleretur, fuiſſe ordinum ſententiam legatur. At vero cauſæ & lites, quas ſe Duello rei defenſuros reſponderunt, toties regiis intercedentibus literis ſunt ampliatæ, aut à Prætore & aſſeſſoribus ejus ſopitæ, ut, (licet in arenam certaturi Perduelles cum Patrimis ſolenniter ſæpe deſcenderint) de ſingulari illiuſmodi victoria rariſſime tamen quiſquam triumpharit, imo vel pugnam inierit. Ad civiles (*b*) quod

(a) *Saxo Grammat. lib.* 16. *hiſt. Dan. Leg, Longobard. Bod.n. lib.* 4. *de repub. cap.* 7. *Victor. hiſt. de la paix. lib.* 5. *C. de glad. pen. toll. Cauſ.* 2. *queſt.* 4. *c. monomachiam. Concil. Trident. ſeſſ.* 9. *cap.* 19.

(b) *Solennia quibus ineunt monomachiam litigantes diſcas, Angle, ex An.* 4. *Ed.* 3. *fol.* 41. 29. *Ed.* 3. *fol.* 12. 30. *Ed.* 3. *fol.* 20. 1. *Henr.* 6. *fol.* 7. 13. *Elizab. Dyer. fol.* 301. *Ranulph. de Glanuil. lib.* 2. *cap.* 3. *in cauſis publicis Bract. lib.* 3. *tract. de corona cap.* 21. *Brit. lib.* 1. *cap.* 22. *An.* 17. *Ed.* 3. *fol.* 2. *lib. aſſ. pl.* 1. 3. *Rich.* 2. *VValſingh. fol,* 237. & 311.

atti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

attinet & privatas cauſas, vix unum quidem initæ monomachiæ exemplum (nec indictæ multa) turgeſcentia juris noſtri municipalis volumina præbuerunt; De (*c*) publicis & criminalibus pauca; illaque antiquitus ſub VVillielmi Rufi, Edwardi II. Ed. III. & Henrici VI. temporibus. Unum item & alterum impoſita reo criminis læſæ majeſtatis nota, Thomas VValſinghamius in vita Richardi II. oſtenſis inſuper quibuſdam, quæ in libris noſtris juridicis deſiderantur, fuſius deſcripſit. Sed latas à Guilielmo reliquas audiamus leges.

Omnis homo qui voluerit ſe teneri pro libero ſit in plegio, ut plegius eum habeat ad juſtitiam ſi quid offenderit, & ſi quiſquam evaſerit talium, videant plegii ut ſolvant quod calumniatum eſt, & purgent ſe quia in evaſo nullam fraudem noverint. Requiratur hundredus & comitatus ſicut anteceſſores ſtatuerunt, & qui juſte venire debent & noluerint, ſummoneantur ſemel, & ſi ſecundo non venerint, accipiatur bos unus, & ſi tertio aliusbos, & ſi quarto reddatur de rebus hujus hominis quod calumniatum eſt quod dicitur ceapzild *& inſuper Regi foriſfactura.*

Et prohibeo, ut nullus vendat hominem extra patriam, ſi quis enim velit ſervum ſuum liberum facere, tradat eum vicocomiti per manum dextram in pleno comitatu & quietum illum clamare debet à jugo ſervitutis ſuæ per manumiſſionem & oſtendat ei liberas portas & vias & tradat illi libera arma, ſcilicet lanceam & gladium deinde liber homo efficitur. Interdico etiam, ne quis occidatur vel ſuſpendatur pro aliqua culpa, ſed eruantur oculi & abſcindantur teſti-

(c) *In lib. Annal. juris noſtri exempla habes* 1. *Ed.* 2. *Iudgunt.* 225. 19. *Hen.* 6. *fol.* 53. 7. *Ed.*3. *Fol.* 12. 4. *Ed.* 3. *fol.* 41. *VVillielmus de Hou. ſub. VVillirt. Ruf. læſa majeſtatis poſtulatus, duello victus, oculis & teſticulis mutiliatur.* 4. *de geſt. regum. fol.* 70. *Al.* odzylp *Hoved. Schapvveld.*

culi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

culi, vel pedes vel manus, ita quod truncus vivus remaneat in ſignum proditionis & nequitiæ ſuæ, ſecundam enim quantitatem delicti debet pœna malefi-cis infligi. Et iſta præcepta & ſtatuta non ſint violata ſuper foris facturam noſtram plenam.

Ut Cantium (G. Camdenum legis) *quæ tanquam Angliæ clavis habetur, ſibi firmius retineret Conneſtabilem Caſtro Doverenſi, eundemque Limenarcham ex veteri Romanorum inſtituto præfecit. Hi ſunt Haſtings Dover, Hith, Rumney, & Sandvvich, quibus VVinchelſey & Rie ut præcipua, & alia oppidula, ut membra, adjunguntur. Quæ quia bello maritimo operam navare tenentur, immunitatibus gaudent multis & magnis; ipſe Limenarcha, qui ſemper aliquis eſt è proceribus noſtris fidei ſpectatiſſimæ, in ſua jurisdictione Admiralli authoritatem in plurimis, aliaque jura habet.* Sedulus ſic ille in militaribus, domeſticis ordinandis, regnoque ſibi ſtabiliendo. Læti proculdubio Angli jam licet victi, quod à tale victore à quo

Firmatur ſenium juris, priſcamque re-
ſumunt
Canitiem leges, emendanturque vetuſtæ?
Acceduntque novæ ——

Haud tamen undiquaque placuit illud Acroſtichon, Graviſſimis enim tributis oblationibuſque indictis, non ſolum homines, ſed etiam Deus ipſe prædiis & ſacratis exutus domiciliis paſſim per inſulam exulat, &, ut detur voluptatibus liberior locus, deportatur. Fortem etiam ut ſi præberet venatorem, dirutis eraſiſque in agro jam Hamtſcyrenſi XXXVI. ei dicatis numini ædibus, illis,

Cam. in Cant. Claudian. in Paneg. de 4. conſ. Honor. Neroforreſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

complanatis, fotiſque, quæ ad ferarum luſtra competunt, frutetis & plantariis, agros circumjacentes in ſaltum feris deſtinatum demutavit. Quibus quam hominibus æquor, ut qui cervum vel capreolum ceperit illi oculi eruerentur ſancivit, *nec fuit* (inquit Matthias Paris) *qui his ſe opponeret legibus.* Irrepſerant porro mores Normannici, qui Saxonicos quoſdam ſubito abſorpſerunt. *Chirographa* (inquit Ingulphus *chartas vocabant, & chartarum firmitatem cum cerea impreſſione per uniuſcujuſque ſpeciale ſigillum ſub inſtillatione trium vel quatuor teſtium aſtantium conficere conſtituebant.* Oſtendimus ſupra, quonam militiæ modo Saxones honore dignabantur. * *Hanc autem* (idem Ingulphus) *conſecrandi militis conſuetudinem Normanni abominantes non militem legitimum talem tenebant, ſed ſocordem equitem & Quiritem degenerem deputabant. Ipſum etiam idioma tantum abhorrebant, quod leges terræ ſtatutaque Anglicorum Regum lingua* (quod è re victoris maxime fuiſſe notavit Johannes Boterus) *Gallica tractarentur; & pueris etiam in ſcholis principia literarum grammatica Gallice ac non Anglice traderentur, modus etiam ſcribendi Anglicus omitteretur & modus Gallicus in chartis & in libris omnibus admitteretur.* Nec, linguæ imperitum eſſe Gallicæ, minima inter crimina collocabant, quam quoniam haud calleret Ulſtanus Epiſcopus VVigornienſis, in Synodo VVeſtmonaſterii Lanfraneo præſide, inſimulatus paſtorali baculo & an-

*Camd. in Belg. Huntingdon. lib. 9. fol. 212. Matt. Pariſ. fol. 15. Ingulp. hiſt. fol. 512. * Nec tamen ſub Henrico II. prorſus obſoleta fuit, quod vide apud Carnotenſem in Polycrat. lib. 6 cap. 10. Boter. lib. 5. de Ragion di Stato nella capit. De ſudditi d' acquiſto come S' habbino à trattare. Matth. Paris in vit. VVill. II. fol. 27. Ingulph. hiſtor. fol. 509.*

nulo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

nulo (*à multis namque annis retroactis nulla (author* eſt Ingulphus) *electio prælatorum erat libera mere & canonica, ſed omnes dignitates tam Epiſcoporum quam Abbatum per annulum & baculum regis curia pro ſua complacentia conferebat*) orbatus dignitatem renunciare eccleſiaſticam cogebatur.

Pacatius autem,ut in victos jugum ſtabiliret & tumultuariis caventiculis victorique periculoſis facilius obſtaret, *omnibus arma*, (ut habet Polydorus) *ademit, ſtatuitque,ut quiſque paterfamilias veſperi circiter horam octavam poſt meridiem, tecto cineribus igne, dormitum iret, & ad id ſignum vicatim dari voluit per campanas, id quod etiam nunc ſervatur, & Normannice dicitur Coverſeu.* Anne vero cui militaris virtus totius Angliæ principatum pepererat, regimenque nobiliſſimæ gentis erat largita, qui ex animo leges tulit, reſcidit, immutavit, tam anguſtis imperium ſuum circumſcribi terminis æque pati potuit? potuit Angliam ſubjugare, Scotiam non potuit? Imo & eam ſibi ſubjecit & *Maltonium Regem* (Malcolmum habent alii) *ejus ſibi hominium facere & fidelitatem jurare apud Albenithi coegit.* Conſilium inde Auguſti Cæſaris, qui quot claſſes regna, provincias, tributa, vectigalia, neceſſitates & largitiones habuerat ſua manu (ut author eſt Tacitus) perſcripſerat, ineundum ſibi, à Scotis reverſus exiſtimat. *Quocirca Londini hominiũ ſibi facere & contra omnes homines fidelitatem jurare omnem Angliæ incolam imperans totam terram deſcripſit, nec erat hyda in tota Anglia, quin valorem ejus & poſſeſſorem ſuum ſcivit, nec lacus, nec locus aliquis, quin in regis rotulo extitit deſcriptus, ac ejus reditus & proventus ipſa poſſeſſio & ejus poſſeſſor regiæ notitiæ manifeſtatus juxta taxatorum fidem, qui electi de qualibet patria territorium*

Polyd. libr. 9. *hiſtor. Angl. Ingulph. hiſt. fol.* 516. *Tacit. ann. l. b.* 1. *Ingulph. fol.* 516.

deſcribebant. Iſte rotulus vocatus eſt rotulus VVintoniæ, & ab Anglicis pro ſua generalitate omnia tenementa totius terræ integre continente Domeſday *cognominatur. Talem rotulum & multum ſimilem ediderat quondam rex Alfredus, in quo totam terram Angliæ per comitatus, centurias & decurias deſcripſerat, ſicuti prænotatur, qui quidem rotulus VVintoniæ vocatus eſt, quia deponebatur apud VVintoniam conſervandus, quæ civitas caput VVeſtſaxonici regni ſibi hereditarii porro tunc inter omnia regna Angliæ particularia nobiliſſimi & præclari. In illo vero rotulo VVintoniæ, ſic maxime vocato eo quod ad illius rotuli exemplum editus erat, deſcripti ſunt non tantum totius terræ comitatus centuriæ, & decuriæ ſylvæ, ſaltus, & villæ univerſæ: ſed in omni territorio, quot carucatæ terræ, quot iugera, & quot acræ. quæ paſcua, & paludes, quæ tenementa, & tenentes continebantur,* Hactenus Ingulphus. Paulo vero recentiores Rogerus de Hoveden & Matthæus Paris, *quot feudales milites quot animalia imo quantum vivæ pecuinæ quiſque haberet in regno. quot agri vel jugera terræ uni aratro ſufficerent per annum in ſingulis, villis, & quot animalia, poſſent ſufficere ad unius hydæ culturam*, in tabulas illas fuiſſe relatum memoriæ tradiderunt. Conſarcinatis hucuſque iis, quæ ad profana maxime ſpectant, paulo ad ſacra divertam. Quæ ad farciendum licet ærarium auri quidem cupidiſſimus Rex graviter expilaſſe memoretur, oneraſſe ſervitute, & intercedentes clericos fugaſſe. Haud tamen immemor curæ, cui eccleſiæ antiſtites ac protomiſtæ, ut ornetur Chriſti Dei ſponſa & fœcunda reddatur, incumbere jure divino obſtringuntur, nec æquum eſſe ſentiens ut Epiſcoporum canonica juriſdictio laico-

R. de Hoveden part. 1. *fol.* 263. M. *Paris in VVil.* 1. *fol.* 14.

rum inquiſitionibus & judiciis immiſceretur, eccleſiaſtica à civilibus (ut quæ duo in eodem non bene convenirent) judicia cenſuit dividenda Quod tibi fuſius ipſum Guilielmi diploma ex Archivis deſcriptum demonſtrabit. (a) *VVilliel-mus Dei gratia Rex Anglorum Comitibus Vicecomitibus & omnibus Francigenis & Anglis, qui in Epiſcopatu Remigii (Darcaceſtrenſi ſcilicet) Epiſcopi terras habent, ſalutem. Sciatis vos omnes cæteri mei fideles, qui in Anglia manent, quod Epiſcopales leges, quæ non bene nec ſecundum ſanctorum canonum præcepta uſque ad mea tempora in regno Anglorum fuerunt, communi conſilio Archiepiſcoporum meorum & Epiſcoporum cæterorum & Abbatum & omnium Principum Regni mei, emendandas judicavi. Propterea mando & regni authoritate præcipio, ut nullus Epiſcopus vel Archidiaconus de legibus epiſcopalibus amplius in hundredo placita teneant, nec cauſas, quæ ad regimen animarum pertinent, ad judicium ſecularium hominum adducant, ſed quicunque ſecundum epiſcopales leges de quacunque cauſa vel culpa interpellatus fuerit, ad locum, quem ad hoc Epiſcopus elegerit & nominaverit, veniat, ibique de cauſa ſua reſpondeat, & non ſecundum hundredum, ſed ſecundum canones & epiſcopales leges rectum Deo & Epiſcopo ſuo faciat. Si vero aliquis per ſuperbiam elatus ad juſtitiam epiſcopalem venire noluerit, vocetur ſemel & ſecundo & tertio, quod ſi nec ſic ad emendationem venerit, excommunicetur, &, ſi opus fuerit, ad hoc vindicandum fortitudo & juſtitia Regis vel vicecomitis adhibeatur. Ille autem qui vocatus ad*

a *Ex rot. Chartar. de ann. 2. Rich. 2. num. 5. pro dec. & cap. eccleſ. Lincoln. tranſcripta habui apud D. Robertum Cotton Equitem auratum inter immenſa illius Anglicanæ antiquitatis volumina quorum aliquatenus mihi fecit humaniſſime copiam,*

juſtitiam Epiſcopi venire noluerit, pro unaquaque vocatione legem epiſcopalem emendabit. Hoc etiam defendo & mea authoritate interdico, ne ullus vicecomes aut præpoſitus aut miniſter regius, nec aliquis laicus homo de legibus, quæ ad Epiſcopum pertinent, ſe intromittant, nec aliquis laicus homo alium hominem ſine juſtitia Epiſcopi ad judicium adducat. Iudicium vero in nullo loco paretur, niſi in epiſcopali ſede aut in illo loco quem ad hoc Epiſcopus conſtituerit. Promulgavit iſta ſecundum circiter annum poſtquam regnum eſſet auſpicatus; Diſtinxit quidem ille à populo clerum; clerum autem ambitio tunc temporis diſtorſit. Archipræſulum Lanfrancus Cantuarienſis, Thomas Eboracenſis quiſnam antiſtaret, Ipſi inter ſe diſſident. Ut vero tanta componeretur controverſia, VVindeſoræ, annuente Rege, magna Epiſcoporum & Cœnobiarcharum frequentia, coram Huberto Alexandri Pontificis legato, utrinque res ventilatur. Erutis deinde antiquis, quas vel Auguſtino illo Anglorum Apoſtolo Gregorius Magnus, vel Iuſto Archiepiſcopo Bonifacius miſerant, epiſtolis, aliiſque de eadem re monumentis diligenter indagatis, *tandem prolatum atque oſtenſum eſt, quod Eboracenſis eccleſia Cantuarienſi eccleſiæ debeat ſubjacere, ejuſque Archiepiſcopi, ut primatus totius Britanniæ diſpoſitionibus in iis quæ ad Chriſtianam religionem pertinent, in omnib. obedire. Subjectionem vero Dunelmenſis, hoc eſt, Lindis farnenſis Epiſcopi, atque omnium regionum à terminis Lichfeidenſis Epiſcopi & Humbriæ magni fluvii uſque ad extremos Scotiæ fines, & quicquid ex hac parte prædicti fluminis ad parcchiam Eboracenſis eccleſiæ jure competit, Cantuarienſis Metropolitanus Eboracenſi Archiepiſcopo ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum obtinere conceſſit. Ita ut ſi Cantuarienſis Archiepiſcopus concilium cogere voluerit ubicun-*

Malmesb. de VVil. 1. *lib.* 3. *fol.* 65.

que

que ei viſum fuerit, Eboracenſis Archiepiſcopus ſui præſentiam cum omnibus ſibi ſubjectis Epiſcopis ad nutum ejus exhibeat & ejus canonicis diſpoſitionibus obediens exiſtat. Quod autem Eboracenſis Archiepiſcopus profeſſionem Cantuarienſi Archiepiſcopo facere etiam cum ſacramento debeat, Lanfrancus Doroberneuſis Archiepiſcopus ex antiqua anteceſſorum ſuorum conſuetudine oſtendit; ſed ob amorem Regis, Thomæ Eboracenſi Archiepiſcopo ſacramentum relaxavit ſcriptamque tantum poſſeſſionem recepit, non præjudicans ſucceſſoribus ſuis, qui ſacramentum cum profeſſione à ſucceſſoribus Thomæ exigere voluerint. Si Archiepiſcopus Cantuar. vitam finierit, Eboracenſis Archiepiſcopus Doroberinam veniet, & eum qui electus fuerit cum cæteris præfatæ eccleſiæ Epiſcopis, ut primatum proprium jure conſecrabit. Quod ſi Eboracenſis Archiepiſcopus obierit, is, qui ei ſucceſſurus eligitur accepto à Rege Archiepiſcopatus dono, Cantuariam vel ubi Cantuarienſi Archiepiſcopo placuerit, accedet, & ab ipſo ordinationem canonico more ſuſcipiet. Adſtipulantur his Guilielmus Rex, Matildis Regina, Hubertus, Lanfrancus, Thomas atque alii quamplurimi, ſubſcripſit nominibus, Epiſcopi & Abbates. Rogata porro totius Synodi ſententia, quiſnam in concilio ſedendi inter Epiſcopos ordo habendus. Ea vero, quæ patrum memoria fuerant obſervata recolentes uno pronunciarunt omnes ore, ſedes à dextra Cantuarienſis Eboracenſi, à ſiniſtris Londinenſi deberi, VVintonienſi vero juxta Eboracenſem. Sin autem abfuerit vel morbo vel morte præpeditus Cantuarienſis, præſideat Eboracenſis, qui à dextris Londinenſem, à ſiniſtris VVintonienſem habeat. *Cæteri ſecundum tempora ordinationem ſedilia ſua agnoſcant.* Tranſtulit eadem authoritas ſedes Epiſcopales, quotquot fuerat, è villis obſcurioribus, quod antiqui Pon-

Diſt. 80. per tot. Epiſtol. Zachariæ PP. ad Boniſac.

 tificii

tificii canones voluerunt, in ejuſdem provinciæ urbes; Lichfeldenſis igitur migravit in Ceſtriam, Elmanenſis in Thetfordiam agro in Norfolcienſi. Seleſenſis in Ciceſtriam, Scirburnenſis in Salesburiam, Dorcaceſtrenſis in Lincolniam tranſlata. Innovatis igitur publicis, privatis, ſacris, profanis, omnia antiquis tametſi immiſta moribus, Normannum nihilominus idque novum (ut victoris eſt) imperium recenteſque immutationes redoluerunt. Maxima fuit hæc in Britannia ſtatus converſio & quarum hucuſque paſſa eſt quarta & (Deus faxit ut ſit) ultima, quæ tam infeſta fuiſſe incolis dicitur, ut etiam opprobrio fuerit Angli nomine indigitari. Convertemus & nos temporumque ſeriei columnas hic figemus, atque annotatis unico, ut eorum quæ ſuperius memorantur quædam explicatius innoteſcant, capitulo analecta noſtra ſummam cum Saxonibus, periodum ſortientur.

Cap. VIII.

Antiquorum Saxonum quædam ſuperſtitiones; Formæque Ordaliorum ignei & aquei enarratio.

Altius imbibiſſe impios Gentium errores quotquot è Germania Hengiſti & Horſæ comites noſtram evocati adnavigarunt inſulam, ipſa quam ſomniabant diabolica πολυθεότης, cujus etiam meminimus, luculenter præbuit teſtimonium. Illane vero uſquam ſola? an immenſo qui latiſſime cito vagatur errori terminos uſquam? Auſpicia etiam & ſortes maxime obſervabant, quæ cum Adamus Bremenſis Saxonibus eadem que

Adam Bri. ap. Cam. in Angloſax. Tacit. de mori. Ger.

Ta-

Tacitus Suevus aſcribit ex ipſius Taciti ore edoceamur. *Sortium iis conſuetudo ſimplex. Virgam frugiferæ arbori deciſam, in ſurculos amputant, eoſque notis quibuſdam diſcretos ſuper candidam veſtem temere & fortuito ſpargunt, mox ſi publice conſulatur, ſacerdos civitatis. Sin privatim ipſe pater familiæ precatus deos cœlumque ſuſpiciens, ter ſingulos tollit, ſublatos ſecundum impreſſam ante notam interpretatur, ſi prohibuerunt, nulla de eadem re in eundum diem conſultatio: ſin permiſſum, auſpiciorum fides adhuc exigitur, & illud quidem etiam hic notum, avium voces volatuſque interrogare. Proprium gentis equorum quoque præſagia ac monitus experiri, publici aluntur iiſdem nemoribus ac lucis candidi & nullo mortali opere contacti quos preſſos ſacro curru ſacerdos ac Rex vel princeps civitatis comitantur, hinnituſque ac fremitus obſervant. Nec ulli auſpicio major fides non ſolum apud plebem, ſed apud proceres, apud ſacerdotes, ſe enim miniſtros Deorum, illos conſcios putant. Eſt & alii obſervatio auſpiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant. Ejus gentis, cum qua bellum eſt, captivum quoquo modo interceptum, cum electo popularium ſuorum patriis quemque armis committunt. Victoria hujus vel illius pro præjudicio accipitur.* Deditos admodum videmus, quos adhuc divini luminis calor nullatenus digeſſerat, ſuperſtitionibus, iis tamen, à quibus etſi ſacro poſtea abluerentur mundarenturque baptiſmate, haud ſcio an æque immanes & barbaras alias fuerint amplexi. Ordalii (probæ cujuſdam generis) mentionem ſæpius in eorum legibus habes; cujus quidem inauditas ceremonias, precibus refertas, luſtrali madefactas aqua, Miſſis decantatas, cæteriſque, juxta pontificias eo ſeculo ſolenitates, moribus involutas, quas dicam! ſed quatenus è ſcriptorum fide recepimus, graphice depingemus. Etymon ipſius habet primum nomi-

nis. Op Saxonice privativa eſt particula dæl pars ſonat, expers totum quaſi criminis. Purgationis autem ſive Ordalii genus duplex, igneum & aqueum. Dulplici etiam forma igneum. Inſimulatus enim quis criminis aut nuda manu ferrum geſtabat, aut pedibus nudus ignitos vomeres premebat. Diſtinguebant porro juxta ferri magnitudinem, quod ſi unius eſſet pondo ſimplex, ſi trium triplex Ordalium nominabant. Formulam autem en illius veram, ignei primo.

Poſt accuſationem legitime factam & triduum in jejuniis & oratione conſumptum, ſacerdos veſtibus ſacris præter cauſam idutus, ferrum ante altare poſitum forcipe accipiat & hymnum trium puerorum videlicet BENEDICITE OMNIA OPERA. *decantans ad ignem deferat & dicat hanc orationem ſuper locum, ubi fiet ignis ad faciendum judicium.*

Benedic Domine Deus locum iſtum, ut ſit nobis in eo ſanitas, ſanctitatas, caſtitas, virtus & victoria & ſanctimonia, humilitas, bonitas, lenitas & plenitudo leges & obedientia Deo, Patri, & Filio & Spiritui ſancto, hæc benediſtio ſit ſuper hunc locum & omnes inhabitantes in illo.

Benedictio ſuper ignem.

DOmine Deus, Pater omnipotens, lumen indeficiens, exaudi nos, quia tu es conditor omnium luminum, Benedic Domine hoc lumen quod ante ſanctificatum eſt, qui illuminaſti omnem hominem vel mundum, ut ab eo lumine igne accendamur claritatis tuæ. Et ſicut igne illuminaſti Moyſen, ita nunc illumina corda noſtra, & ſenſus noſtros, ut ad vitam æternam mereamur pervenire

---

E. vetuſto libello Lambardus.

per

per Chriſtum, &c. *Qua finita dicat* Pater noſter, &c. Salvum fac ſervum, &c. Mitte ei auxilium Deus, &c. De Sion tuere eum, &c. Domini exaudi, &c. Dominus vobiſcum, &c. *Pſalm.* 17.

ORATIO.

BEnedic Domine, ſancte Pater omnipotens Deus per invocationem ſanctiſſimi nominis tui & per adventum filii tui atque per donum Spiritus paracleti, ad manifeſtandum verum judicium tuum hoc genus metalli, ut ſit ſanctificatum, ut omni dæmonum falſitate procul remota veritas veri judicii tui fidelibus tui manifeſta fiat per eundem dominum, &c.

Poſt hoc ferrum in ignem mittatur & aſpergatur aqua benedicta, & dum caleſcit, miſſam celebret Cum vero ſacerdos Euchariſtiam ſumpſerit, hominem probandum (ſicut infra ſcriptum eſt) adjuret, atque communicare faciat.

Officium Miſſæ.

Juſtus es Domine & rectum judicium tuum, &c.

ORATIO.

ABſolve quæ ſumus Domine tui delicta famuli, ut à peccatorum ſuorum nexibus, quæ pro ſua fragilitate contraxit, tua benignitate liberetur. Et in hoc judicio quoad meruit juſtitia tua præveniente, ad veritatis cenſuram pervenire mereatur, per Chriſtum Dominum, &c.

In illo tempore, cum egreſſus eſſet Ieſus in via quidam præcurrens genu flexo ante eum, rogabat

---

Evang. ſecundum Matth. cap. 10. 17.

eum dicens ; Magiſter ; Boni quid faciam , ut vitam æternam percipiam ? Jeſus autem dixit ei , Quid me dicis bonum , &c.

Deinde ſecreta , &c.

A*Ntequam vero communicetur , interroget eum ſacerdos cum Adjuratione ſic.* Adjuro te per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum & per veram Chriſtianitatem, quam ſuſcepiſti , & per ſanctas reliquias quæ in iſta eccleſia ſunt , & per baptiſmum, quo te ſacerdos regeneravit , ut non præſumas ullo modo communicare , neque accedere ad altare , ſi hoc feciſti, aut conſenſiſti , &c. *Hic communicet ſacerdos illum & dicat.* Corpus hoc & ſanguis D. Noſtri Ieſu Chriſti ſit tibi ad probationem hodie.

ORATIO.

PErceptis Domine Deus noſter ſacris muneribus , ſupplices deprecamur , ut hujus participatio ſacramenti à propriis nos reatibus expediat , & in famulo tuo veritatis ſententiam declaret , &c. *Deinde Kyrieleſon , & letania & Pſalmi, & tum Oremus.* Deus qui per ignem ſigna magna oſtendis , Abraham puerum tuum de incendio Chaldæorum quibuſdam pereuntibus eruiſti. Deus qui rubum ardere ante conſpectum Moſis & minime comburi permiſiſti , Deus qui incendio fornacis Chaldaicis pleriſque ſuccenſis tres pueros tuos illæſos eduxiſti , Deus qui incendio ignis populum Sodomæ involvens , Loth famulum tuum cum ſuis ſalute donaſti , Deus qui in adventu ſancti ſpiritus tui illuſtratione ignis fideles tuos ab infidelibus decreviſti , oſtende nobis in hoc pravitatis noſtræ examine virtutem ejuſdem ſpiritus , &c. & per ignis hujus fervorem diſcer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

cernere fideles & infideles, ut à tactue jus, cujus inquiſitio agitur conſcius exhorreſcat & manus ejus comburatur, innocens vero penitus illæſus permaneat, &c. Deus cujus notitiam nulla unquam ſecreta effugiunt, fidei noſtræ tua bonitate reſponde & præſta, ut quiſquis purgandi ſe gratia hoc ignitum tulerit ferrum, vel abſolvatur innocens, vel rei noxius detegatur. *Deinde ſacerdos ſuper ferrum aquam benedictam ſpargat & dicat:* Benedictio Dei Patris & Filii & S.S. deſcendat ſuper hoc ferrum ad diſcernendum rectum judicum Dei. *Et mox accuſatus ad novem pedum menſuram ferrum perferat. Hujus deniq; manus ſub ſigillo triduum tegatur, & ſi ſanus crudeſcens in veſtigio ferri reperiatur, culpabilis ducatur: ſin autem mundus extiterit, Laus Deo referatur.* Intexuimus inter Athelſtani leges, quæ huc ſpectant quædam, cujus tamen de ordaliis ampliſſimam (in conventu illo Saxonum, qui pirrenazemore dictus) conſtitutionem, ut utrunque magis exploratum habeamus, in hunc locum diſtulimus. *De ordalio* (legem ipſam audis) *præcipimus in nomine Dei & præcepto Arch episcoporum & omnium Episcoporum, ne aliquis intret ecclesiam poſtquam ignis infertur, unde judicium calefieri debet præter pesbyterum & eum qui iturus eſt, & ſint menſurati* IX. *pedes à Staca uſque ad Marcam ad menſuras pedum ejus, qui ad judicium ire debet Et ſi aquæ judicium ſit, calefiat uſque ad bullitum & ſit alſatum ſerreum vel æreum vel plumbeum vel de argilla & ſi* Anfeldthite *ſit, immergatur manus poſt lapidem vel examen uſque ad* VVriſte. *Et ſi triplex accuſatio ſit uſque ad cubitum. Et cum judicium paratum erit, ingrediantur ex uraque parte duo homines & certi ſint, ut ita calidum ſit, ſicut prædiximus. Introeant totidem ex utraque parte judicii ex longo eccleſiæ & ſint omnes jejuni, & ab uxoribus ſuis ſe abſtineant ipſa nocte &*

Ex hiſt. Iorolan. apud auth. ant. Brit.

aſpergat ſuper eos aquam benedictam & det eis oſculari textum ſancti Evangelii & ſignum ſanctæ Crucis, & nemo faciat ignem diutius quam benedictio incipiat, ſed jaceat ferrum ſuper carbones uſque ad ultimam collectam, poſtea mittatur ſuper ſcaphas & non ſit illic alia locutio quam ut precentur ſedulo Deum Patrem, ut veritatem ſuam in eo dignetur manifeſtare, & bibat accuſatus aquam benedictam & inde conſpergatur manus ejus qua judicium portare debet, & ſic adeat, novem pedes menſurari diſtinguantur inter ternos. In primo ſigno juxta Stacam teneat pedem ſuum dextrum in ſecundo ſiniſtrum, inde transferat dextrum pedem in tertium ſignum quando ferrum projiciet, & ad ſanctum altare feſtinet, & poſt inſigilletur manus ejus & inquiratur die tertia ſi immunda ſit vel munda in ipſa ſigillatione: & qui leges ipſas fregerit, ſit ordalium, ſit judicium, vel examen factum in eo ut reddat Regi 120. *S, VVitæ.* Hactenus ſuam promulgando legem Athelſtanus. Qui antiquos illos, ſecundum quos calore exhalanda erat veritas, ritus igneos ſimul & aqueos explicavit. Sed nec humori ſolum ac frigori defuit illorum fides, quippe à quibus ut criminis, cujus poſtulatus erat quis, notitia eliceretur, totus in aquam gelidam reus eſt immiſſus. Quoſnam autem adhibuerunt exorciſmos, quam formulam, ut è meſſalibus vetuſtis libris Author Antiquitatum eccleſiæ Britannicæ deſcripſit, adjungam. *Peractis, ut ante,* III. *dierum jejuniis & ſacris (ut de ferro dicitur) datur accuſato aqua benedicta, & bibat cum hac execratione. Hæc aqua ſit tibi in probationem hodie; deinde aqua gelidæ in quam mittendus eſſet reus hujuſmodi conjuratio eſt adhibita. Adjuro te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te in principio creavit, & juſſit miniſtrare humanis neceſſitatibus, qui & juſſit te ſegregari ab aquis*

Antiq. eccleſiæ Brit, pag. 104.

ſupe-

ſuperioribus. Adjuro etiam te per ineffabile nomen D. I. Chriſti F. D. vivi, ſub cujus pedibus mare & elementum diviſum ſeſe calcabile præbuit, qui etiam baptizari ſe in aquarum elemento voluit. Adjuro te etiam per S. S. qui ſuper Dominum baptizatum deſcendit. Adjuro te per nomen ſanctæ & individuæ Trinatis, cujus voluntate aquarum elementum diviſum eſt, populus Iſrael ſiccis pedibus ſtatim tranſiverit, Ad cujus invocationem Heliſæus ferrum quod de Manubrio exierat ſuper aquam natare fecerat, ut nullo modo ſuſcipias hunc hominem N. ſi aliquo eſt culpabilis de hoc quod ei obiicitur, * *ſilicet autem per operam, aut per conſenſum, vel per conſcientiam, ſeu per ullum ingenium, ſed fac eum natare ſuper te, ut nulla poßit eſſet contra te cauſa ſacta, aut ullum præſtigium inimici quod illud poßit occultare. Per nomen autem Chriſti præcipimus tibi, ut nobis pro nomine ejus obedias, cui omnis creatura ſervit, quem Cherubin & Seraphin collaudant dicentes Sanctus, ſanctus, ſanctus D. Deus exercituum, qui etiam regnat & dominatur per omnia ſecula ſeculorum, Amen. Alii dein recitatis exorciſmis reus exutis veſtibus aquas introiit, quibus ſi immergeretur liberabatur, ſin vero ſuſtentaretur, nec inundari poterat, damnabatur.* Sublimioris naturæ elemento nobilibus tantum & generoſis, fæculentioris vero & hebetioris (ut meminit etiam Ranulphus de Glanvilla) ruſticis & plebeiis ſeſe purgandi poteſtas erat. Vetuerat hæc Sane Stephanus V. Pontifex Romanus cum Epiſcopo Moguntino, de infantibus, qui lecto parentum mortui fuerint reperti, epiſtola reſponderit; Verumenimvero non ſolum Concilium Triburienſe decennio circiter poſt in-

* Boxh. *L. Scilicet aut per operam, &c. Ranulph. de Glanuill. lib. 14. cap. 1. Sed nobilis aqua examinatur in Rog. de Hoved. fol. 323. Ann. D. 885. Cauſ. 2. q. 4. & 5. & tit. de purg. vul.*

famia

famia qui notatus fuerit candenti ferro examinandum eſſe decernebat, ſed etiam majores noſtros uſque ad Iohannis Regis & Henrici III. tempora utroque Ordalii genere uſos fuiſſe, hiſtorici juriſque noſtri municipalis ſcriptores antiquiſſimi prodiderunt. Quanam vero dicamus ſtultitia an dementia captos; Quid enim? An apotheoſi aquam cenſuerunt dignam? Legerant forte Heſiodo Chaos (quod antiquis, author eſt Plutarchus, aqua interpretatur) fuiſſe omnium rerum principium, Homero, Oceanum, primiſque (ut ait Ariſtoteles) Muſæo, Lino, Orphæo (nam eos vult D. Thomas intelligi) Theologis; Allegorice idem ſacris literis; Perſis etiam ne quid immundi fluviis (qui διϊπετεῖς dicti) immitteretur, fuiſſe religionem; Porro Pindari illlud Ἄριστον μὲν ὕδωρ. Anne vero iſtis nixi Chriſtiani? Argone aquas,

——— Stygiamque paludem

Dii cujus jurare timent & fallere numen

homines fallere minus potuiſſe æſtimabant? An Iſraëliticam potius illam de Zelotypiæ poculo divinam imitati ſunt conſtitutionem? Veri quidem ſimilius; atque exinde morem iſtum Martinus Del Rio in magicis ſuis diſquiſitionibus ſentit emanaſſe. Quidni vero? Si quod aqua ſale ab Helizæo conſperſa fontium ſterilitas fuerit ſanata, ideo precibus ſacrata dæmones fugentur, parum quidem abeſſe videtur, qu n adjuratam miſſalibus

---

Plutarch. in comp. ig. & aq. Strabo lib. 15. Διιπετέος ποταμοῖο. *Homer. Odyſſ.* Δ. *Pindar. Olymp. 1. Virg. Æn. lib. 6. Numer. cap. 5. Delr. Magic. diſq. lib. 4. quæſt. 4. cap. 4. 2. Reg. cap. 2. 21.*

exor-

exorciſmis in metaphyſicas illas purgandi actiones Moſaici inſtituti exemplo adhibitam dicamus. Sed paribus incedunt paſſibus. Nec ad noſtram ætatem aqueum illud diſparuit prorſus ubique judicium. Germania enim colligatis Sagarum Lamiarumque artubus maleficia aquis quaſi tinctarum (nam reas haud unquam mergi creditur) examinantur. Conſulantur autem, ſi velles plura, de his VVierus, Bodinus, Scribonius, Tritemius & alii. Undenam tandem ignita illa & candentia? Iſtiſne ab antiquis quid patrocinii? Igni certe ut maximo litabant Perſæ Deo; Jovis eundem Pythagorei carcerem in mundi centro (ut recentiores quidam philoſophi) ſtatuebant, imo Solem ipſum fuiſſe, cui jam icturus cum Trojanis fœdus Agamemnon *Eliad. γ.*

Ἠέλιός θ᾽ ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷς καὶ πάντ᾽ ἐπακούεις.

inquit. Qui tanto etiam potitus eſt divino apud Heraclidem Ponticum & Macrobium mythologos honore, ut illorum Ethnicis Divum, quos poetica fabulis obduxerunt myſticis ingenia, plerorumque nomina uni ſoli diverſimode licet attribuenda comprobarint. Cujus etiam luminoſa ignitis communicata virtus maximam inter Græcos in judiciis conciliavit fidem. Cum enim Nuncius qui Creonti Thebarum Reg: Polynicem (quem inſepultum abiici juſſerat Rex) terra tamen clam cuſtodibus (quod Antigone Polynicis ſoror feciſſet) obtectum fuiſſe retuliſſet, graviter ira percitum Regem ſentiens atque eſtuanter interminantem, ſe ſociosque ultro excuſare eſſet conatus, Parati ſumus, inquit apud Sophoclem; *Sophocles in Antig.*

Strab. libr. 15. *Ariſt. lib.* 2. *de Cœlo. Heraclid. in Allegor. Hom. Macrob, Satur. lib.* 1.

— Ἑτοῖ-

——— καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν
καὶ πῦρ διέρπειν ———

& Deos jurare, nec perpetraſſe nos, nec facto fuiſſe conſcios. Unde quidem jure non ſolum quatenus ad comburenda cadavera, ſed etiam crimina purganda vim ſua exercere ſolebat ignis ἁγνιστικὸν quiddam dictus. At vero è ſacris illius & S. S. digito conſcriptis Bibliis quidni tantam igni erroribus ſeductos reverentiam excerpſiſſe putemus? Quoties enim ineffabilem ſui Deus Opt. Max. in igne tanquam in re (ut ſcribit Reuchlinus) divinitati conſentanea præſentiam oſtenderit? Imo elementum illud tam analogice ſoli Καρδιογνώστῃ, edoctus ab eodem Moſes nos etiam edocuit, convenire, ut ipſo nomine אש (Hebræis ignis) Deum ſimul aliquando ſignificarit. At ſiſtam me forte hæc conjiciendo ſtolidiorem, quam ſuperſtitioſos uſurpando rigidus aliquis Cato cenſuerit. Haud propius ad calida iſta accedam, terret Anaxagoræ exilium; Montis. Veſuvii dum exploraturus erat naturam Plinii veſtigia terrent, & quo minorem Calumniæ præbeam anſam, ut colophonem jam addam ſuadent.

Οὔτι γὰρ οἶδ' ἔρδων ἀνδάνω οὔτι κακῶς,

Cæl. Rhodigin. ant. lect. lib. 17. *cap.* 21. *I. Reuchlin. de verb. mirifico lib.* 2. *cap.* 16 *Deut. cap.* 4. *Zanch. de nat. Dei. lib.* 1. *cap.* 16. *Theogno. Elegiac.*

JOANNIS SELDENI

ANALECTORUM

ANGLO BRITANNICORUM

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

JOANNIS SELDENI JANUS ANGLORUM;

IN QVO

Prophanum Anglo-Britanniæ Ius ſuccincte proponitur.

JOAN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

JOANNIS SELDENI

JANVS ANGLORVM.

LIBER PRIMVS.

PRodijt, & cothurnatus aliquot ante luſtra, atque etiamnum ubique circumfertur Beroſus ſacerdos Chaldaicus (eſſe quem Flavius Ioſephus ſæpiculé laudat teſtem, caveſis tu sîris te credere) cum Viterbienſis Commentario. Sive, ut quod res eſt magis dicam, venditandis ſuis portentis Beroſum ementitus Monachus Dominicanus Joannes Annius *à Viterbo* ſubditivus Muſæ Antiquitatum præſidi fucum fecit, & impoſuit ſarcinam. Poſt genealogias Hebræorum ab illo, quicunque ſit, auctore ſuatim deductas, neu totius uniuerſi Regna, Reges, Nominumque etyma toto, quod ait ille, horreo demenſa non videretur comprehendere, velut poſtri duò, quam Iupiter ex Ope natus, *Samothem* (is ipſe Dis nuncupatur) *Celticarum fundatorem Colmiarum* centones lectori farciens ſubnectit. Celtogalatiæ, neque obiter hoc duxi tacendum, quicquid Rheno fluvio, Alpibus, Mari Mediterraneo, Pyrenæis, Oceanis, denique Aquitanico & Britannico terminatur, imò univerſam Europam Celticæ nomine eſt complexus Ptolemæus: *Samothes autem*, habet Commentarium Annij, *Fuit frater Gomeri atque Tubalis ex Iapeto patre, à quo primum Britones, inde Galli Samothei dicti fuerunt, & præcipuè Philoſophi*

Ptol. 2. geograph. & 2. quadripart. & Pauſan. lib. 1.

atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

atque Theologi ſectatores ejus. Atque è Laertio: *Conſtat enim apud Perſas floruiſſe Magos, apud Babylonios & Aſſyrios claruiſſe Chaldæos, apud Celtas & Gallos Druidas, & qui Samothei dicuntur, qui teſte Ariſtotele in Magico & Sotione in* xxiij. *Succeſſionum lib. Divini atque Humani Iuris peritiſſimi, & ob id religioni deditiſſimi, ac propterea Samothei appellati ſunt.* Hæc iſta apud Annium. Laertij obtenditur nomen, & principium Voluminis de Philoſophorum Vitis. Quin igitur Diogenem legamus. παρά τε Κελτοῖς καὶ Γαλάταις Σεμνοθέους καθά φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῷ Μαγικῷ καὶ Σωτίων ἐν τῷ εἰκοστῷ τρίτῳ τῆς διαδοχῆς. Aliter de Samotheis ne γρῦ quidem. Divini & humani peritiſſimos Juris, aut vocamen inde ſortitos Latina duntaxat atque interpolata B. Brognoli Veneti editio tradidit: cùm nempe in vetuſtis Laertij Græcis exemplaribus, quotquot vidit & conſuluit Doctiſſimus ille H. Stephanus, (conſuluiſſe verò ſe octo vel novem aſſerit) de illa re nulla prorſus fiat mentio. Neque tamen oſcitanter aut planè fortuitò tantum mihi perſuadere poſſum imbitaſſe gloſſematis. Peritos Juris, & præfectos Philoſophos, non Græcis modò & Gallis & Italis, ſed Arctois etiam nationibus conſtat fuiſſe; licet Barbaris. Teſtes noſtri Druides, & Gothorum apud Iornandem præter Coſmicum Diceneus, qui cum Phyſicâ, atque alijs bonarum literarum membris *Bellagines* (ita leges vocabant) idem Rex hominum, Phœbique Sacerdos poſteritati tranſmiſit. Sunt qui Laertio legunt Σαμοθέους: quod commentum eſt eorum hominum qui à Pſeudo-Beroſo iſto ſinunt ſe ῥινὸς ἄγεσθαι, nimis ſanè patienter (verba Iſaaci Caſauboni) ne quid gravius dicam.

Iornand. de reb. Gothic. cap. 11.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Si verò quicquam cum veritate Samotheis, aut cum antiquiſſimo Celtarum jure (Regibus nimirum Celticis Britanniam ſcribunt commodaſſe patientiam) eſſet Semnotheis, utriuſque nomen indagare, & naturam ab eâ quam preſſuri ſumus calle, judicarem haût ita alienum. Cæterùm de illis, extrà quàm Lucianus alter ab Heliacis Seleniciſvè redux hiſtoriam conſcripſerit, planè deploratis dicere, plus eſſet quàm operam ludere. De his non audeo multa: *Suſpicor* (inquit H. Stephanus) *ita dictos quod* Θεὸς *haberent in ore, &* *quidem* οἱ Σεμνοί Θεοὶ *dicentes, vel quod ipſimet velut quidam* Σεμνοὶ θεοὶ *inter homines haberentur, verum hoc minùs quam illud*, ſcribit ille, *mihi ſit veriſimile*. Atqui ego herclè, ſi tanti viri meam nefas non ſit committere ſententiam, hoc quàm illud conjicio veriſimilius. Divini Nominis priſcos Heroas participes ubique legimus: quin nec Philoſophis tantum invidit Antiquitas Honoris. Non Amphiarao, non Æſculapio, non Hippocrati; inter medioxumos cenſentur. Habitus & ab Antiſtio Labeone Plato Semideus; divinam ob elocutionem Tyrtamo Theophraſti nomen indidit Ariſtoteles. Haut mirum ideò, ſi magni exinde Philoſophi Semnothei, & quaſi Σεμνοὶ Θεοὶ audiverint. Suadent hæc, dum eorum Piloſophiam tantum proſpecto; quos ſimul etiam peritos & cuſtodes Juris, ſi vel Annij auctoritas vel Brognoli interpretatio Attice ſatis adfirmâſſet, parûm ſanè eſſet, quin, ubi locorum germanus & nominis & delegatæ, ut ita dicam, poteſtatis fons ſit & ſcaturigo, compertum fermè aſſererem. Etenim habeo apud Pauſaniam (reprimas te ſuggillaturum, quod in Græciam tranſvehor, è qua anti-

---

Steph ad Laert. Auguſt. de Civit. Dei, lib. 2. cap. 14. Laert. lib. 5. Pauſanias.

quiſſi-

quiſſimi & ſacri, & prophani Genium mores) diligentiſſimum Græcarum Antiquitatum ſcrutatorem in Athenarum Areopago, atque etiam in Achaicis Dearum ædes, quas Athenienſes Σεμνὰς indigitabant. Is ipſe in Corinthiacis ad lævam Aſopi in Sycione fluvij lucum memorat illicibus; condenſum, ubi fanum Dearum, quas Athenienſes Σεμνὰς, Sucionij Ε'υμενίδας appellabant. De Eumenidibus & Oreſte nota eſt lippis fabula, nec dare potis es poetaſtrum, quem latet eas cum Adraſtiâ, Rhamnuſiâ, Nemeſi, alijſque ejuſdem farinæ Deâbus vindices fingi ſcelerum, ac Jovi ad ulciſcenda mortalium facinora continenter operam navare. Nigras Oreſti obvias, eaſdem candidas, quibus ſimul & Gratijs priſci fecêre ſacra, in Arcadicis reliquit idem Pauſanias ſcriptum. Mitto apud eundem quam alij Erinnya alios Themida vocitâſſe; breviùs & diluc diùs Erinnyes, id eſt, *Diræ ultrices* ſedent malis, *Eumenidæ* verò, (abſque omni enim antiphraſi ſic dictas, auctor eſt Sophocles) quod interpretatur *Benevoli*, Bonis, & qui â culpa alieni, & ſupplices: quin Alcmæonem poticè Eumenidas, reipſe civiles magiſtratus ſcribit Plutarch, fugiſſe. Totam denique, quam collimando petimus rem Orphei habet in eas Hymnus.

Α'λλ' αἰὲν θνητῶν πάντων ὑπ' ἀπειρέονα φῦλα
Ο'μμα δίκης ἐφορῶντε δικασπόλοι αἰὲν ἐοῦσαι.

En planè ex antiquiſſimo Ethnicorum Theologo, Judices, Juriſque diſpenſatores hæ Σεμναὶ Θεαὶ: & inferorum *Fas* perinde uti cœleſtium appellare, moris erat, doctrinam *Sanctum*. At quid

Sophocles in Oedipo. Natal. Comes Mytholog. lib. 3. cap. 10. Plut. de Iſ. & Oſiride.

igitur

igitur vetat quin hinc *Semnotheon* emanaſſe vocabulum, titulum, attributa conjectaris? Διότρεφεις Homeri poëmata, imò ipſæ Æternæ & Sacræ literæ Judices Sanctiſſ. illo nomine אלהים non ſemel compellant. *Iudicia Dei ſunt non hominis*, atque *omni rei quam ſcriptura vult* (è Rabbi Kimhi notat Munſterus) *magnificare ſubjicitur nomen* אל. Poſuit ſe Deus (ut ex Atticiſſante illo Moſe Platone, ait Plutarchus) exemplar Bonorum, cujus etiam ineffabilis verendæ nominis ſyllabæ (neglectì licet Cabaliſticâ) pulſant, monent, vellunt Mortalium aures, diviosque nunc in Iuſtitiæ tramitem ipſos reducunt, nunc obturatos, obductoſque caligine miſeros ſtupendo & aſſiduo tremore concutiunt. Neque verò obſtet quod ab infirmo Divûm ſexu petatur tanti ſplendoris, & tam virile nomen. Potiſſimum cum Britannis agamus, quippe inter quos ſunt ſingulares illæ DEIS MATRIBVS inſcriptæ aræ, nec in terrarum orbe aliubi repertæ. De Deabus Matribus (ut obiter admoneam) ſe nihil poteſſe ſcrutando eruere faſſus eſt Vir longè doctiſſimus: atqui, ſi homulo mihi fas ſit, quid ſi ταῖς θεαῖς ἃς in Pauſaniæ Atticis καλοῦσι Γενναίδας καὶ Γενετύλλιδας ineſſe nomen Matrum quis autumârit? Notum eſt Matris Deûm nomen, quo non ſolum Berecynthia, ſed Iuno etiam, Cybele, Tellus, Ceres, atque aliæ apud Mythicos celebrantur. Eſto licet hoc parergon: *Nullum ſine veniâ*, monuit ille, *placuit ingenium*. Hâc nixus hoc quicquid eſt ſum aggreſſus; hâc fretus ad rem revertor.

Præſcriptam quâ imperatum eſt à *Samothe* le-

Odyſſ. 3. Exod. 22. Pſalm. 82. Pa alip. lib. 2. c. 19. Ad cap. 9. Geneſ. Plutarchus libr. de ſerâ Dei vindictâ. Senec. epiſt. 115.

gem nuſquam reperimus. Unicam autem de ratione Temporum Baſingſtochius ille Comes Palatinus, Hiſtoricus nuperrimus huic iſti tribuit: *Spatia omnis Temporis non numero Dierum* (idem de Gallis Cæſar, & de Germanis Tacitus) *ſed noctium definivit, dieſque natal is & menſium & annorum initia ſic obſervavit, ut noctem dies ſubſequatur.* Obſervant ſanè nunc Britanni iſtum morem, antiquiſſimum, & Naturæ inprimis conſonum. *Factum eſt Veſpere, & factum eſt Manè dies unus*, ait Hebræus ille, cujus & popularibus hæc conſuetudo. Privationem & in ternario principiorum numero habent Peripatetici: atque hinc audet Joannes Bodinus, Aſtrologorum vulgus arguere, quod inæquales horas ab ortu magis quàm occaſu Solis ordinatam juxta ac repetitam Planetarum ſeriem auſpicantur.

Excepiſſe ſcribunt hunc Magum, Sarronem, Druidem, Bardum, alios complures ſuccedaneos. *Sarron non legibus ferendis* (dat mihi & tibi Stephanus Forcatulus) *addictus, ſed componendis & commendandis fuit, ut qui leges, quas avus ejus Samothes, ac poſteà Magus pater tulerat, unum in volumen redegerit, ſervari etiam acri comminatione juſſerit.* A Druide volunt philoſophantes illos & apud Cæſarem, Plinium, alioſque decantatos Druidas: per me fides habeatur. Totam impræſentiarum de Druidibus rem in Cæſaris tempora diffindo. Annis circiter à *Samothe* DCCCC. Phranicus Rex (ab hiſtoriâ accipe Britannicâ & Galfredi fide) rerum arbitria Druidibus mandat, dum ipſe Pannomâ degeret. Britanni interatim Brutum Sylvij Poſthumi Latinorum Regis F. Æneæ nepotem, (Sylvium enim Æneæ, non Aſcanij filium facit ad Virgilium Servius Honoratus)

Geneſ. I. *Bodin. l.* 3. *Dæmonoman.* *Forcat. l.* I. *de Gall. imp.* *Serv. ad* 6. *Æneid.*

felici-

feliciter navibus adpulſum, inprimis Corino comitante, littore Totneſio in Danmonijs conſcenſo ſalutant Regem. Is poſt conditam novam Trojam (Londinum) leges Civibus atque ſubditis dedit, Trojanas eas, ſive Trojanarum exemplar. Elapſis quaſi DC. annis *Dunuallo Molmutius Rex ſtatuit* (auctores ſunt præter Monumethenſem Ranulphus Ceſtrenſis in Polychronico, & Florilegus) *ut aratra, templa, viæque ad civitates ducentes immunitate confugij gauderent. Verum quia ſuccedente tempore de vijs (cum non eſſent certis limitibus diſtinctæ) orta eſſet diſſenſio, Belinus Rex filius prædicti Molmutij ad ſubducendum omne ambiguum* IV. *regales vias omni privilegio munitas per inſulam ſterni fecit. Foſſam ſcilicet* Watlingſtrete/ Ermingſtrete & Ikeniltſtrete. (Atqui à Romanis has autumat ſtratas eruditiſſ. ille Noſtras, & magnum Britanniæ Lumen G. Camdenus Clarentius, quod Tacitus, Beda & alij ſuadent.) *Leges quinetiam*, ita Galfredus, *quæ Molmutinæ dicebantur ſtatuit, quæ uſque ad hoc tempus inter Anglos celebrantur. Statuit, ſiquidem inter cætera, quæ multò poſt tempore B. Gildas ſcripſit, ut Templa Deorum, & civitates talem dignitatem haberent, ut quicunque fugitivus, ſive reus ad ea confugeret, veniam coram inimico ſuo haberet. Statuit etiam ut viæ quæ ad prædicta Templa, & Civitates ducebant, necnon & aratra Colonorum eadem lege confirmarentur, deinde, cùm* xl. *annos regnum in pace tenuiſſet, defunctus eſt, & in urbe Trinovantum, propè Templum Concordiæ* (nec deſunt, qui Collegium illud illuſtre ſtudijs Juris noſtri Municipalis ad Thameſis ripam ſacratum hîc intelligunt) *quod ipſe ad confirmationem legum ſtruxerat, eſt ſepultus.* Ad hunc modum Galfredus: ſed etiam quæ ex antiquis, quorum non difficilis ei copia, ſcriptoribus excerpſit Polydo-

Norden. in Brit. ſpecul. The Temple.

rus eccíſta. *Primus aureâ coronâ uſus eſt, pondera ac menſuras rebus vendendis, emendiſque præfuit: fures, & noxium omne genus hominum ſeveriſſimè punivit, fecit quam plures vias, decrevitque in quam latitudinem fieri deberent, ac lege ſanxit jus earum ad Principem duntaxat pertinere, ejuſque juris violatoribus pariter atque iis, qui in illis maleficium aliquod facerent, horrendas conſtituit pœnas. Præterea, ut ne terra vacaret, neve populus rei frumentariæ inopiâ frequenter premeretur, aut minueretur, ſi pecora ſola occuparent agros, qui ab hominibus coli deberent, conſtituit quot quiſque Comitatus aratra haberet, ſtatuitque pœnam illis, per quos numerus diminueretur. Ac vetuit jumenta, quæ aratro ſervirent, à magiſtratibus abduci vel aſſignari creditoribus pro debitione pecuniæ, ſi debitoris bona alia ſupereſſent.* Hactenus ille.

Gynæcocratia Martiæ Quintilino R. viduæ, quæ Siſillij communis prolis, nondum ad gubernacula ob ætatulam idonei, tutelam ſuſceperat, *invenit legem, quam Britones Martianam vocaverunt. Hanc etiam Rex Aluredus* (è Monumethenſi tranſcribo) *inter cæteras tranſtulit quam Saxonicâ linguâ Merchenlage vocavit.* Quùm nihilominus in elaboratiſſima Camdeni Chorographiâ à Mercijs, ij autem à Saxonico Mearc. .i. *Limes*, Merchenlage adpoſite magis deducatur.

Hæc ſunt quæ de temporibus Romanorum hiſtoriâ antiquioribus ſcriptores prodiderunt: ſed ſuſpectæ, dubiæ, ne dicam nullius fidei. E doctioribus vix quiſpiam eſt Cenſor qui Annium in Albo falſariorum non notat: Quin ſubductis Temporum ratiocinijs, & obſervatâ à S. Literis, Hebræorumque monimentis, quam præ ſe fert Beroſus ille Viterbienſis, diſcrepantiâ, pariter ei forſan ac ejuſdem nominis alteri credendum putes, qui à perpendiculari ad centrum mundi errantium ſyderum, in Cancri dodecatemorio poſitione

ſitione arſura omnia, à ſimili in Capricorno congreſſu futurum univerſalem cataclyſmum apud Senecam prædicere eſt auſus.

Anquiſivere item de hiſtoriâ nonnulli Britannicâ. Hinc Brutum, Dunvallonem, Martiam hauſimus. Illam ſunt & doctiſſimi ſummique Iudicij V. qui ſuſpicantur è Bardorum cantilenis, ac figmentis, ad Britannicum ex Iliaco cinere ſuſcitandum nomen, poeticis, inſtarque Talmudicarum traditionum receptis conſarcinatam. Licet enim pro magno teſte vetuſtas, ut habet ille, creditur, nihiloſecius mirum quod Bruti, qui patrem collimatâ infeliciter ſagittâ occidiſſe fertur & matri ipſa in paritudine mortifer (unde jam Βρότος audit poſt tot ſecula apud Richardum Vitum) nemo Romanorum meminerit: mirum quod Latinis non innotuerit Latini nomen, qui Britanniæ & nomen & imperium dedit. Solus poſt homines natos Evemerus Meſſenius Panchoos adnavigavit & Triphyllos; Poëtas herclè quos carmine celebrant illuſtribus familijs inſerere, & ſupra verum Muſis omnia augentes quamplurima fingere, tralatitium, Et quid aliud Bardi quam Ποιητὰς μετ' ᾠδῆς, ut è Poſſidonio ſcribit Athenæus, ἐπαίνους λέγοντας? Quam multa in Mythico illo, à diffamato Pyrrhæ diluvio ad Iphiteam Olympiadem, intervallo (quod Heroicum aptius vult Ioſephus Scaliger) admixta veris fabuloſa & poſtmodum, in proſcenium ducta? *Nationes*, inquit Tritemius *quamplurimæ tam in Europâ quam in Aſiâ ſuam prætendunt originem ſe ſumpſiſſe à Trojanis, quibus tantum accommodare fidei duxi, quantum ipſi veritate mihi ſufficienti teſtimonio poterunt perſuadere. Fri-*

Senec. Nat. quæſt. lib. 3. cap. 29. Athen. dipnoſoph. libr. 6. Ioſ. Scalig. in Elench. orat. Chron. D. Par. Tritem. lib. de ſecundis.

vola ſunt quæ aſſerunt de ſua Nobilitate & Antiquitate, volentes palam gloriari, quaſi non fuerint in Europâ gentes ante Trojanorum excidium, nulluſque inter ipſos Trojanos ignobilis. Qui Galfredo Monumethenſi (fuit & Epiſcopus Aſaphenſis) Aſcenſianis typis excuſo Alphabeticum ſtruxit indicem, Auctoris fidei tulit hinc ſuppetias, quod Francorum nullibi apud eum, ait ille, mentio; cum nempe ante Francorum in Galliam adventum omnia ferme, quæ conſcripſit, fuerint geſta. Α'μάρτημα ſanè pluſquam μνημόνικον. Adi Galfredum; & caput xix. lib. I. Francos ſub Brenni & Belini temporibus habet in Senonibus Galliæ; Annorum craſſus antichroniſmus quot centenorum? Nec enim ante aliquot poſt Incarnatam Salutem periodos Franci cis Rhenum ſedes fixiſſe dignoſcuntur. Tametſi enim poëticâ & Troporum licentia Æneas *Lavinia venit littora*; multo latius & metricâ & ſoluta oratione, quæ ad hiſtoriam pertinent, proferuntur ad illam Ovidij formulam.

Tunc Iuvenes nondum facti flevere Quirites, incenſa Remi pyra. Atque hac lege potuit & debuit transferre Galfredus interpres, ſi fuerit fidus. Verùm de Bruto noſtro, Saxonum Saxone, Brunſwicanorum Brunone, Friſiorum Friſone, & Batavorum Batone animadverte, quod ſecundum alios Pontus Heuterus. *Cantilenæ ac Rythmi imperito ſeculo compoſiti ſimplici popello facilè falſa pro veris obtruſere, aut veris falſa miſcentes impoſuere. Nihil enim ante* CCC. *ac* CCCC. *annos lubentius majores noſtri audiebant quam ſe ab adulteris Trojanis, Regnorum everſore Alexandro Macedone, Populatore Hercule Græco aut alio Orbis Terrarum perturbatore prognatos.* Et verè quidem nimis ille

---

Ovid. 4. faſt. Heut. de Vet. Belgio. lib. 2. cap. 8.

— Men-

—— —— *Menſuraque fictis*
Creſcit & auditis aliquod novus adjicit auctor.

Sed me contraho: Ad hæc recte enucleanda egebunt forte æternum reciprocantes Antiquarii aliquo, ut in abſtruſis Hebræi, Elia. Brutum eſto concedamus. Condidit ajunt leges, atque eas è Trojanis. At quæ tandem ipſæ Trojanæ? Unicam ſat ſcio memorant de filiorum natu maximorum prorogativa, qua in univerſum jus defuncti patris eſt ſucceſſum. De Hectore Priami ſcribit Herodotus; & meminit Galfredus: an vero in Britanniam cum Bruto tranabat hæc? Unde igitur diviſum Locrino, Cambro, Albanacto imperium? Ferrici & Porrici? Brenno & Belino? aliis? Undenam in Comitiis ſub Hen. VIII. Parlamentariis, ne feuda Cambrobritannica ſecundum quem dicunt Gavelkind morem poſtillla deferrentur, eſt cautum? Et priſce ni fallor pleræque liberis partiebantur hæreditates.

Ἠ'δὴ μὲν γὰρ κλῆρον ἐδασσάμεθα —— in Operibus Heſiodi;& ad eam mentem vetuſtis Poëtis plura & Sacris literis. Sed quæ inquam Trojanæ? eædem forſan cum Ariſtophanis Nephelococcygiæ, Graviſſimi Scriptores vetuſtiſſima illa tempora præſcriptis legibus agnoſcunt plerumque ſoluta. *Populus nullis*, ita Iuſtinus, *legibus tenebatur: arbitria principum pro legibus erant.* Naturalis æquitas Stlitium varietati emergentium aptata ut Lesbia, apud Ariſtotelem, regula omnes ordinabat,regebat,diremit controverſias. Et quidem *initio Civitatis Rom.* ſcrib. Pomponius, *Populus*

Metamor. 12. *In Euterpe. Stat.* 27. *Hen.* 8. *cap.* 26. *Inſt. hiſt. lib.* 1. *Ariſt.* 5. *Ethic. ff. de orig. jur. lib.* 2.

ſine certa lege, ſine certo jure agere inſtituit, omniaque manu Regis gubernabantur. Prope enim aberant ab Aureo ſeculo quum

——— ——— *vindice nullo*

Sponte ſua ſine lege fidem, rectumque tenebant.

quod de Sabbatico Mundi millenario Chiliaſtarum hæreſis olim pronuntiabat. Atque illi λάων ποίμενες quibus

——— ——— Ζεύς ἐγκυάλιξε

Σκῆπτρον τ' ἠδὲ θέμιςας ———

non dominandi cupiditate, ſed officio, ut habet D. Auguſtinus, *conſulendi. nec principandi ſuperbia, ſed providendi miſericordia*, Virtute Duce, ac legibus, quas Platonici *ſecundæ* ajunt *Veneris*, imperabant. Ecquas alias cenſeas Trojanorum? Divum cultus & quæ ad ſacra attinent ſcilicet excipias. *Officium*, inquit Seneca, *erat imperare, non regnum*: Et oculus & ſceptrum abſoluta Ægyptiis Regem Hieroglyphica. Quid quod nec vocabulum ΝΟΜΟΣ. i. *Lex*, apud Orpheum, Muſæum, aut Homerum (Trojanum is fuit ſeſquicentum circiter poſt excidium annos) reperiri adnotavit Ioſephus adverſus Appionem, Plutarchus, recentiorum plurimi? Parum, fateor, ſi bene perpendas, accurate. Etenim θέμιςας ſæpiſſime Homero & Heſiodo legimus; utriſque Εὐνομίαν Deam ab eodem quo Νόμος thematę;

Αὐτοὶ δ' εὐνομιῇσι πόλιν καὶ καλλιγύναικα
Κοιρανέους ——— ———

Metamor. I. *& Lucre. libr. 5. cum poetarum turba. Auguſt. de Civ. Dei, libr.* 19. *cap.* 14. *Iliad.* 9. *Senec. epiſt.* 91. *Plutarch. de Iſid. & Oſiride. Ioſeph. adverſ. App. l* 2. *Plutarchus lib. de Homer.*

Hymno Homeri ad Tellurem Matrem; & Νόμος ᾠδῆς (quem violare neſas erat Muſicis in ad Apollinem. Imo ſcriptum reliquit omni exceptione major Plato Magnus, Talum (quicum, Rhadamantho Iovis filio Creticæ Reipub. adminiſtratio à Minoe Rege eſt commiſſa) ter quotannis per univerſam inſulam (quæ prima literis, ut Poly hiſtor, jura junxit) ſecundum leges ære inſculptas judicia exercuiſſe. Phoroneum Argivorum Regem, Arcadem Nomionem taceo; & tempeſtive de his ſiſto.

Diphteræ Iovis utinam mihi copia. Spirantis utinam bibliothecæ, & vivi Muſæi (cui de veteribus, ut apud Eunapium Longino, poteſtas) Cenſura, aut Æthalidis memoria veritatem clare ſatis enuclearet. Ad Claſſicos hinc Latiæ fidei ſcriptores proximus tranſitus

Primus Romanorum C. I. Cæſar Druidum ritus, leges, philoſophiam mandavit ſcriptis Dubias habenit ij in nomine cauſas. Minime à Beroſiano Druide; verum ſive ἀπὸ τοῦ Δρύος quod ſine quercus fronde ſacra conficiebant nulla, ut Plinio ejuſque Placet ſequacibus, Sive à Truewiſe. i. *vere ſapiens* Teutonice, uti I. Goropio Becano; Sive à Truttin quod antiquis Germanis Deus, ut ex Othfredi Euangelio citat Paulus Merula (ſed in ſalutatione Euangelica, Cantico Mariæ, Zachariæ, & alibi Truttin magis Dominus, quam Deus notat, & videſis an in Eburonum S. *Trujen*, exploſo à nonnulls S. Drudone, quid lateat Druideum (ſic Dicti, Togata Gallorum, dico & Britannorum, militia L L. fuere Inter-

Idem. lib. de Muſica Plato in Minoe. Solin. Poly. hiſt. cap. 16 *Eunap. in vit. Porphirii. Plin. hiſt. nat. lib.* 16. *cap.* 44. *Gorop. in Gall. Paul. Merula in Coſmograph. lib.* 3. *part.* 2.

pretes & Cuſtodes. Reperta horunce diſciplina primum in Britannia, atque eam, qua proſpectat forum, ex eodem Cæſare fidi ſubnectemus.

I. *De omnibus controverſiis publicis privatiſque conſtituunt.* (LL. xij. Tab. ad hunc modum, actionum, formularum, interpretandi ſcientia apud Collegium erat Pontificum, & Druides noſtri plane Pontifices.) *ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hæreditate, de finibus controverſia eſt, iidem decernunt, præmia pœnaſque conſtitunt.*

II. *Si quis privatus, aut populus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos eſt graviſſima.*

III. *Quibus ita eſt interdictum, ij numero impiorum ac ſceleratorum habentur; ab iis omnes decedunt, aditum eorum ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant. Neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.*

IIII. *Druidibus præeſt unus, qui ſummam inter eos habet auctoritatem.*

V. *Hoc mortuo, ſi quis ex reliquis excellit dignitate, ſuccedit; at ſi ſint pares plures, ſuffragio adlegitur.*

VI. *Druides à bello abeſſe conſueverunt, neque tributa unà cum reliquis pendunt, militiæ vocationem omniumque rerum habent immunitatem.* Eâ gaudebant Hebræorum Levitæ antiquiſſimi Mortalium Sacerdotes.

VII. Auctus hinc in eorum Scholis (eæ pleræque in Britannia) ſtudiis vocabat juvenum cœtus. *Magnum*, inquit Cæſar, *numerum verſuum ediſcere dicuntur: itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanent. Neque fas eſſe exiſtimant, ea literis mandare, cum in reliquis fere rebus publicis*

Num. I. 49. Ezra 7. 24.

priva-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

privatiſque rationibus Græcis literis utantur.

Græcis literis ? ita legimus, Græcis. Et Gallos Maſſilia Phocenſium Colonia Φιλέλληνας reddiderat, ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια ἑλληνιστὶ, ita Strabo geographus, γράφειν. Tabulas ſcribit, & quem diximus, Iulius in caſtris Helvetiorum Græcis confectas literis inventas. At verò Græcam nollem hinc linguam iſti ævo & populo, aut philoſophis his & Iuriſconſultis colligas temerè. Græcis ſunt uſi literis, Ergo linguâ Græca; Argumentum herclè infirmum. Sic Targum Chaldaicum, ut habet poſt Geropium P. Merula, Hebræo conſtaret ſermone, quod Hebraicis characteribus ſit excuſum : De novo Teſtamento Syriacè Hebræis exarato literis poterit idem dici. Quid quod ipſæ Cæſaris tempeſtate, & quas nunc depingunt Græcorum literæ Gallicæ potius ſunt quam Græcæ? ſcivit ille illas Græcas; nondum ſcivit Gallicas; quas Græcos poſt Phœnicias Hebræis haut prorſus abſimiles obſolefactas Docti V. putant exemplar accepiſſe. Conſulas ad hæc tu VVolfgangi Lazij Celtas, Becani Gallica, ſi vis Annij Archilochum, Æquivoca Zenophontea & quæ de Lino, Cadmo, Palamede & Simonide ſcribunt alij. Accipias interim vetuſtimos illos Gothicos & minus affabrè factos, quos B. Vulcanius Brugenſis nuper cum Anonymi commentariolo edidit charecteres Grajorum præ ſe ferre multum (uti & Rutenicos hodiè) ſpeciminis ; & cùm Nicoſtratâ Evandri Exulis Matre, quæ nunc Latiæ, in Auſoniam primum Arcadiâ tranſvectas. Cæterum quod eximere omnem videtur controverſiam, Cæſar ad Q. Ciceronem apud Nervios obſeſſum daturus li-

Strabo lib.4. geograph. Cæſ. de bell. Gall. 1. Vulcan. in app. ad Iornand. Goth. Munſt. Coſmog. lib. 4. Cæſ. Bell. Gall. 5.

teras Equiti Gallo magnis perſuadet præmiis, ut epiſtolam deferat; Græcis conſcriptam literis mittit, ne intercepta fortea epiſtolâ, ab hoſtibus conſilia cognoſcerentur. Hoc quorſum feciſſet. ſi Eques ille Gallus, ſi Galli, vel ipſi penes quos erat gubernaculum reipub. Druides Græcè calluiſſent? Inter Denbighiæ provinciæ Ordovicûm montes occiduos locus eſt, apud illuſtriſſ. chorographum noſtrum lego, *Vulgò dictus Ceregy-Drudion id eſt lapides Druidarum, nonnullaque cernuntur columnulæ ad* Y--voellas *peregrinis characteribus inſcriptæ, quas Druidum fuiſſe nonnulli ſuſpicantur.* Qui ſi meritò ſuſpicantur, pepercisſet utinam columnulis edax Tempus, ut lucis huic liti quid inde radiaret. Siquidem formæ Cæſaris loquendi quam attulimus diſpliceat interpretatio, (Strabonis ad recentiora paulò ſpectat tempora & forſan potiſſimum ad maritumos) quippini, cum V. longè eruditiſſimo Franſciſco Hotomano, vocem *Græcis* in hanc de Druidibus hiſtoriam incuriâ an audaciâ librariorum irrepſiſſe ſentias? Alibi enim apud eum ipſum auctorem in *dextris humeris exertis* plane abundare notat Iuſtus Lipſius Criticorum Coryphæus *Humeris*, ab interpolatore Julio fortaſſe Celſo immiſſam. Et quod tantus tanti V. judicij de illis Commentarijs cenſuit in Electis ſic accipe. *Multos in illa purpura pannos inſutos video: nec indictione ipſa ſpirat ubique naribus meis aurea illa, ut ſic dicam, ſtacta puræ Antiquitatis. Lege, relege, multa otioſa reperies, diſiuncta, intricata, interpolata, repetita, ut non omnino abſit, quin ad hanc veluti priſco peris ſtatuam novella aliqua acceſſerit, & imperita manus.* Facile idcirco poteſt imponi, ſi tam minutis vocabulorum ſcrupulis Iulij inſtiterimus.

Hotoman. in cap. 2. Francogalliæ. Cæſ. bell. Gall. 7. Lipſ. Elect. lib. 2. cap. 7. & quæſt. Epiſtolic. lib. 2. cap. 2.

VIII. Principia Druidibus *menſium* (ita Plinus) *annorumque fuit Sexta Luna, & ſeculi poſt triceſimum annum.* Attice γενεὰ, atque ea 'Ηβωντος, eiſdem comprenſa eſt terminis ſententiâ Heracliti, & apud Herodotum: neque latioribus (Euſtathium ſi juxta ſentias) triplex Neſtoris ætas. Pepulit eos Gallijs Tiberius, Roma Claudius, Britannia veri CHRISTI DEI cultus.

Ad ſacros Druidum ritus, & doctrinam quæ ulterius attinent, præter Cæſarem, Strabo, Plinius Diodorus Siculus (latina hujus verſio non Poggio Florentino, ut in vulgatis, ſed Ioanni Phreæ Balliolenſis in Academia Oxonienſi Collegij olim ſocio, ſi archetypo in ejuſdem Collegij Bibliotheca ſit fides, debetur.) Lucanus, Pomponius Mela, Ammianus Marcellinus, nuperrime Otho Heurnius in Barbaricæ Philoſophiæ antiquitatibus atque alij ſatis explicate tradiderunt; ita tamen omnia, ut Pythagorice (nec tamen aula Pythagoram Mertonenſi, aut Cantabrigiæ Anaxagoram, quod Cantilepo habetur & Lidgato, docuiſſe magis mihi perſuaſum) imo & Cabaliſtice (etenim diſciplinam Pythagoræ & Cabalæorum non ita diſſimilem commiſit Ioannes Reuchlinus) reſipiant. Metempſychoſin latine dixeris Tranſanimationem *an à Pythagora,* inquit Lipſius, *Druides hauſerint neſcio an potius ipſe ab illis.* Idipſum de legibus, & quas adminiſtrabant utrique rebuſpub. pariter dicendum: Pariſſima utriuſque ut Cn. Pompeio & C. Vibio lineamenta. Nequa-

Plin. hiſtor. nat. lib. 16. *cap.* 44. *Plut. de ora. def. Herodot. Euterp. Euſtath. ad* I. *Iliad. Seneca in Apocol. Plin. lib.* 30. *cap.* I. *Br. Tuin. Apolog. Antiq. Academ. Oxon. lib.* 3. §. 329. *Reuch. lib.* 2. *de art. Cabaliſtic. Lipſ. Stoic. phyſiolog. lib.* 3. *diſſert.* 12. *& vide Forcatulum I. de Gall. imperio.*

quam

quam enim reducta ſolum & in interiore ſacrario clauſa philoſophiæ arcana docuit Samius, ſed etiam Ægypto reverſus Crotonem Italiæ petijt, leges, author eſt Laertius, Italis dedit atque cum diſcipulis ferme ccc. ad modum velut Ariſtocratiæ imperavit. Zaleuci leges, Charondæque laudantur. *Hi non in foro*, ita Seneca, *nec in conſultorum atrio, ſed in Pythagoræ tacito illo ſanctoque receſſu didicerunt jura, quæ florenti tunc Siciliæ & per Italiam Græciæ ponerent.* Sanctus ille ac tacitus receſſus à Druidibus forte mutuo acceptus: cum nempe à Barbaris ad Græcos, teſtatur Clemens Alexandrinus, Artium ſecretiores olim manarint.

Vtut ſe res habet, conſtat hinc liquido vetuſtiſſimos inter Gentium Philoſophos, antiquiſſimos inter eorum L L. cuſtodes fuiſſe Druidas. Sint enim licet è Pythagoræ ſchola ad L. ſanè aut LX. Olympiadem, Tarquiniorum, ſi tu vis, tyrannidem (diſſentiunt de hac re Plinius, Cicero, Auguſtinus, Euſebius: nec anſatum prehendam errorum qui eum ad Numæ ævum trahit,) quæ ↀ I Ↄ. ↀ I Ↄ. cc. circiter antevertit annos, iſthoc etiam modo referuntur. Auctarium his non pigebit è Conrado Celte ſubjungere. *Erant ſex numero* (lapideas dicit antiquas imagines ad radicis Piniferi Montis, Vichtelberg vulgo in vicinia Voitlandiæ, in Cœnobio quodam ſibi viſas, quas credit conicè Druidas præhibere) *ad fores Templi parieti inſertæ*, VII *pedum ſingulæ, nudis pedibus, capite intecta, Græcanico pallio & cucullato, perulaque, barba ad inguina uſque promiſſa, & circa naris fiſtulas bifurcata, in manibus liber & baculus Diogenicus, ſevera fronte, & triſti ſupercilio, obſtipo, & figentes lumina terris.* Quod ut cum

Laert. lib. 8. concors Plutarch. in orat. 2. de eſu carnium. Senec. epiſt. 91. Clem. 1. ſtrom. Apud P. Merulam. in Coſmogr. part 2. lib. 3.

ijs quadrat, quæ de eorum aureis ornamentis, tinctis veſtibus, armillis, raſis Britannorum genis, & mento, atque id genus aliis à Cæſare & Strabone recenſentur, viderint quorum intereſt.

Quandoquidem verò initia dedit & incrementa horuncce diſciplinæ Britannia, Remque tum Britannorum tum Gallorum publicam, mores, linguam, ſacra, profana, omnia eadem pene aut paria fuiſſe jampridem à Gulielmo Camdeno eſt doctiſſime oſtenſum, (quem te memorem Camdene!

In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Luſtrabunt convexa, ac dum Cynoſura Britannos;
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.)

& Divitiaco Sueſſionum Regi magnam Britanniæ partem conſtat obtemperaſſe, huic Inſulæ (ita vero proximat) ſive à priſcis Gallis communicata, ſive Britannis acceptò lata hæc non abs re viſum eſt, ut Britannica, obſervare.

IX. *Suos liberos, niſi cum adoleverint* (I. Cæſarem legis) *ut munus militiæ ſuſtinere poſſint, palam ad ſe adire non patiuntur.*

X. *Viri quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex ſuis bonis æſtimatione facta cum dotibus communicant. Hujus omnis pecuniæ conjunctim ratio habetur, fructuſque ſervantur; uter eorum vitâ ſuperarit, ad eum pars utriſque cum fructibus ſuperiorum temporum pervenit.*

XI. *Viri in uxores ſicuti in liberos vitæ neciſque habent poteſtatem.* Inſimulat hinc falſi Iuſtinianum

---

Camdenus.

Bodi-

Bodinus, quod patriam præut Romanis poteſtatem aliis non fuiſſe adfirmat.

XII. *Cum Paterfamilias illuſtriore loco natus deceſſit, ejus propinqui conveniunt ut de morte, ſi res in ſuſpicionem venit, de uxoribus in ſervilem modum quæſtionem habent, & ſi compertum eſt igni* (huc Iuris, quo, in Vulcano ſacrandis uxoribus quæ nefaria ſe maritorum cæde polluunt ſceleſtæ, nunc utimur, Iuriſperitiſſimus ille V. ſummus & digniſſimus per univerſam Angliam judiciis privatis Præſes *D Edvvardus Coke* Eq Aur. refert Antiquitatem) *atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt.*

XIII. *Servi & clientes, quos ab iis dilectos eſſe conſtabat, juſtis funeribus confectis una cremabantur.*

XIV. *Sancitum, ſi quis de Repub. à finitimis rumore aut fama acceperit, uti ad magiſtratum deferat, neve cum quo aliquo communicet.*

XV. *Magiſtratus quæ viſa ſunt occultant, quæque eſſe ex uſu judicaverint multitudini produnt.*

XVI. *De Repub. niſi per Concilium loqui non conceditur.*

XVII. *Armati* (*ita mos gentis erat*, inquit Livius, & de Germanis Tacitus) *in concilium venerunt.*

XVIII. *Mos inolevit*, Plutarcho legitur, *ut pacis & belli cum fœminis conſilia inirent, ſi quæ quæſtiones cum ſociis inciderent, earum arbitrio has committerent.* Idem Cecropiis, priuſquam majore fœminarum numero, ut ex Varrone perhibet Auguſtinus, ſuffragante, poſthabitus Minervæ Neptunus. Apagete Simonides, & quicquid eſt veſtrum indigniſſimi nitidioris ſexus maſtiges. Expurga, quin obtura os Angerona Eubulo, qui bonarum

Bodin. lib. 1. de repub. cap. 4. In præfat. ad lib. 6. relat. Liv. lib. 21. Plutarch. de virt. mulierum, Auguſt. de Civ. Dei, lib. 18. cap. 9.

fœmi-

fœminarum Penelopem ultra & Alceſtem inficiatur excreſcere calculum. Quam latus Gallarum in ſummis rerum neque immerentium conſilijs, prudentiæ, virtuti honos? Quantus etiam & hodie quotannis VIII. id. Maji Aureliis ſtatuæ Ioannæ Darciæ Lotharingæ ſuper Ligerim fluvium erectæ? chariſſimam patriam, adepta mirum in modum deſperatis rebus victoria, demeritæ. Sexum ſane hunc antiquitas adæque atque virilem ſtatuit, ut mittam alia, divinum. Cum Iove, Neptuno, Plutone Diis regnabant in cælo, Mari, Terris, Iuno, Salacia, Proſerpina Deæ. Imo triplici Varronis Theologia, Deæ quam Divi plures. *Ipſa quoque & cultu eſt & nomine fœmina Virtus.* Sed C. Agrippam fœmineam declamando præcellentiam non ago: Res ipſa nimium loquitur. Quod de Britannis Cornelius Tacitus, hoc addo; *Solitos fœminarum ductu bellare; & ſexum in Imperiis non diſcernere.* Queis fœminas jure præeſſe (κακὰς δ' ἐς ἀλκὴν καὶ σίδηρον εἰσορᾷν ut Euripides) ſunt qui magnopere negant. Cæterum ii maxime, qui Salica, quod ajunt, lege ſubnixi mares tantummodo ſupremi Francorum gubernaculi ſcribunt hereditario capaces, mordicus tenent, & tuentur infeſti & inviſi Anglorum Juri. Ab hoc ſtare non modo Pharamundi leges, ſed ipſam naturam; *Eſt*, ait Andegavenſis Bodinus, *Gynæcocratia naturæ legibus inimica, quæ viris prudentiam, robur animi, magnitudinem, imperandi vim dedit, fœminis ademit*; Atqui, Bodine mi, nonne prudentia, robur, animi magnitudo, & artes Imperatoriæ minorum Regum Tutoribus magis profecto quam Regibus

---

Athaneus. Paul. Æmil. hiſt. Franc. 10. CIↃ CCCC. XXIX. *Ovid. de art. amandi.* 3. *Tacit. in vit. Agr. & annal.* 14. *Euripid. in Medea. Bodin. lib.* 6. *de repub. cap.* 5.

ipſis,

ipſis, donicum adoleverint, optanda, requirenda? puto hercle. Curnam ideo Blanchiæ haut quaquam extorſit iſta ratio D. Ludovici tutelam? Iſabellæ ſub Carolo VI? Catharinæ de Medicis, dum cincti diademate pupilli Franciſcus & Carolis fratres? Mariæ, regnante jam nunc Ludovico XIII? An ad muliebrem, ut vetuſtiora recolam, cæcutiebant naturam Iudæi in imperio Deboræ Siſera triumphato, & ſacris ſatis laudatæ? An Itali in prudentiſſimæ Amalaſinctæ? Halicarnaſſei in fortiſſimæ Artemiſiæ? Ægyptij (in ijs forum ac negotia fœminæ. viri penſa ac domos olim curabant) & Æthiopes in Nicaulæ, quam Sophiæ cupientiſſimam honorifice excepit ſapientiſſimus poſt homines natos Selomo? An Aſſyrij in Magnificæ Semiramidis? Maſſagetæ in ultricis Tomiris? Palmireni in caſtiſſimæ Zenobiæ? In aliarum, ne infinitus ſim, præter Francos (idcirco hos fœmineum aſpernatos vult I Goropius imperium, quod ſub Veſpaſiano Bructerorum res vicitæ, dum faſtidioſa illa fatidica Velleda præerat, minus fœliciter ceſſiſſe conſpexerant) ad unum omnes? Matildæ noſtræ bene novi periuros Barones viam ad Anglicanum ſceptrum præcluſuros, turpiter turpe cauſatos *ſi tot nobiles fœminæ ſubderentur*. Nec tamen Icenis ab illa, Gildæ Leæna, Boodiciâ, aut à Chartiſmandua Brigantibus contractam legeris turpitudinem; utriſque legeris gloriam & decus. Divam hic fœliciſſimæ memoriæ, Britanniæ delicias, ELIZABETHAM noſtram non meminiſſe non potis es, nec potes magis, quiſquis es, non agnoſcere *minime defuiſſe mulieri* (quod de Sexburgia Cenwalchij Occiduorum Saxonum Regis viduata uxore ſcribit Malmesburienſis) *ſpiritus ad obeunda regni munia*; *ipſa novos*

Pompon. Mel. lib. 1. cap. 9. Gorop. in Francicis
Malmesb. lib. 1. geſt. reg. cap. 2.

exer-

exercitus moliri, veteres tenere in officio, ipſa ſubjectos clementer moderari, hoſtibus minaciter infremere, prorſus omnia facere ut nihil præter ſexum diſcerneres. Cujus de ſummis & vere regijs virtutibus optime cecinit Poeta & cætera longe doctiſſimus V. quantivis pretij.

Si quaſdam tacuiſſe velim, quamcunque tacebo
Major erit: primos actus vetereſque labores
Proſequar? ad ſeſe revocant præſentia mentem:
Juſtitiam dicam? magis at Clementia ſplendet.
Victrices referam vires? plus vicit inermis.

Quid Germani majores noſtri? ineſſe ijs Sanctum aliquid ac providum; nec conſilia earum aſpernabantur, nec reſponſa negligebant, pleraſque augeſcente ſuperſtitione arbitrabantur Deas. Siet itaque εἰς Κόρακας damnatus qui, neſcio quis ſpurcus, militibus eas (Thraſonibus ac Pyrgopolinicibus) in hoc potiſſimum, antiquis non veretur propalare membranis convenire, *quod plurimum curæ corpori & petulantiæ jugiter indulgent, quod nec milites in fallacijs & circumventionibus citiores exiſtunt, nec exiſtere conantur, quod milites per intervalla fallunt, fœminæ vero continuis deceptionibus invigilant, amaſios quibus poterint modis emungent & ſpoliabunt, ſomniculoſis vigilijs attenuabunt,* & id genus alijs diripentium furore Baccharum nequaquam indignis. Imperium fœminis indulſit

Connub. Tam. & Iſis.

Plato

Plato, haut abſtulit (effutiunt quicquid Politicorum interpretes) Ariſtoteles. Nulli præcluſa eſt Virtus, omnes admittit. Atque Hermes ille Ter Maximus in Poimandra, pro ſua (& magna certe ea fuit præ quam caligantium philoſophorum) Cœleſtium cognitione, Myſticum Ἀῤῥενοθῆλυς Menti Deo Totius Univerſi Imperatori adſcribit nomen. Efflictim illæ à cunabulis ſupremæ frænos adminiſtrationis nimio, ad hunc ſane audiunt modum, amant; & eas quis non? Amatis vero quod exoptatiſſimum, id amantes invidere piaculum eſto; & mihi nefas, ut tanto humani generis ſolatio, tam dulci labores inter aſperrimos vitæque viciſſitudines delinimento, & chariſſimo ſupremæ Naturæ Dono ſententia pro viribus non accederem. Sed rurſus ad Cæſaris Gallos.

XIX. *Plerique cum aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuria potentiorum premuntur, ſeſe in ſervitutem dicant nobilibus. In hos eadem ſunt jura, quæ dominis in ſervos.*

Sunt autem & de Britannis ipſis ſignate hæc relata.

XX. *Utuntur nummo æreo, aut annulis* (ſubſtituunt nonnulli *laminis*) (*ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo.* Verum *Nundinas & nummum refutant, dant res & accipiunt*, ait recentior Solinus. Simul cum Romanis ſignandi pecuniæ morem credit in Cattieuchlanis G. Camdenus adveniſſe. Ex Cenſuali Normanni libro,) hoc de nummis loci opportunum meminiſſe) ut apud veteres Romanos, ita apud noſtros majores pecuniam adpenſam (quod Gervaſio item Tilburienſi docetur) animadvertit is, & numeratam. Romanis autem vectigalia penſitabant; Cuſi ad hæc, variiſque animalium, ſatorum percuſſi for-

---

Plato lib. 5. de repub. Ariſt. Poli. 1. cap. ult. Triſmegiſt. Solin. Polyhiſt. cap. 35.

mis

mis ecfodiuntur ſubinde Nummi. Et pervetuſto legitur Chronico Abendonenſis Monaſterii à Ciſſa & Ina Regib. fundati, *primis, jactis fundamentis vetuſtiſſimos Dœmonū ac ſatyrorum imaginibus inſculptos inventos fuiſſe.* Britannicos merito intelligas.

XXI. *Leporem, & Gallinam, & Anſerem guſtare fas non putant: hæc tamen alunt animi voluptatiſque cauſa.* Duntaxat leporem, Gallinam, & Anſerem nequeo dicere ob quam rem. Pythagoricum quiddam, & Iudaicum video mixtum. Namque generatim minime, verum cum delectu animalium eſu abſtinebat Samius.

XXII. *Uxores habent deni duodenique inter ſe communes, & maxime fratres cum fratribus, & parentes cum liberis: ſed ſi qui ſunt ex his nati eorum habentur liberi: à quibus primum Virgines quæque ductæ ſunt.* Scelus & confuſa nimium Naturæ jura!

Dii meliora piis, erroremque hoſtibus iſtum!

Sed neque Britannis communitas Platonica plus ſiet opprobrii, quam promiſcuus ille Thuſcis & ante Cecropen (qui διφυὴς dictus) Atticis coitus, Theopompo, Suida, & Athenæo auctoribus. Quin, ut plurimum, noſtros unis tædis ſcribit in præparatione Euangelica Euſebius contentos Num vero male Cæſarem intellexerit Chalcondylas qui C. ante, & qui excurrunt, annos ſcriptioni Athenis vacans, & ad noviſſimum ſeculum

---

V. Plutarch. quæſt. centuriat. Rom. 41. Bria. Tuin lib. 2. apolog. Oxon. §. 77. V. Plutarch. ſympoſ. lib. 4. cap. 5. Laert. lib. 8. Plutarch. ſympoſ. lib. 8. cap. 8. Georgic. 3. Athen. dipnoſoph. lib. 12. & 13. & Suidas in Κέκροψ. *Euſeb. lib. 6. præpar. Euangelic. Apud Abrah. Ortelium in theat. mund.*

prisca

priſca forſan nimio oſcitanter trahens, *quando quis* (de Britannis ſibi σύγχεϱνοις, adſerere eſt auſus) *amici domum vocatus, ingrediatur, primum cum amici uxore, mos eſt, concumbat & deinde benigne hoſpitio excipiatur?* An liberrime hoſpitibus officioſum (Salutis arrhabo) oſculum, quod de noſtris ſpeciatim ſunt qui notant, libatum Chalcondylam luſit offuciis?

Ἔστι καὶ ἐν κινεοῖσι φιλάμασιν ἀδέα τέρψις.

Olim Theocritus. Et

Qui vult cubare pangit ſaltem ſuavium.

Plauti ſervus. Atque ille alter.

Quæro deinde illecebram ſtupri, principio eam ſavium poſco. Et

& jam illud non placet principium de Oſculo;

Alcumenæ Zelotypus Amphitruo. Atque laſcivo male metuens genio formoſi aſpernatus eſt oſculum Ageſilaus Parva, ut inquit ille, leves capiunt animos. Novit hæc Græcus noſter & impudicum illud fortaſſe ruminatus eſt--- *ſi non & cætera ſumpſit*

Hæc quoque quæ ſumpſit perdere dignus erat.

Quin Φιλοσοφώτατος I. C. torum Baldus patris ſponſionem, admiſſo ad oſculum à filia proco, haberi ratam dedit in reſponſis. Quod tamen ad nos ſpectare jus, perridiculum eſſet autumare; Ubi, non adſuctis collumbantes labris Catulliana, & impreſſa, moleſſve morſiunculas,

---

Munſter. Boemus &c. Theocrit. Eidyll. 3. & un. Plaut. Curculio. Amphitr. & Caſina. Plutarch. de aud. poet. Ovid. de art. am. I Bald. 5. conſil. 78. Alber. Gen. de Nupt. 2. cap. 13.

ſed

ſed levia, ore verecundo, pudica & Sororia facile præhibent ſalutantibus & urbane & Puellæ & Nuptæ. Omiſſa ſemper Ruſticitatis, data raro arguunt impudicitiæ. Neque ſibi obvertunt caperata cornua fronte, aut male metuunt ſuſpicaces ab hoc more (extra quã forte Κεράσβολος quis) Mariti. Lucioſus forſan hæc Chalcondylas per tranſennam vidit, & errore eſt abuſus, dum nimirum Britannos jugali fretos fiducia Zelotypis Italis, Venetis, Hiſpanis, & ſuis etiam popularibus compoſuit. Quos tam caute pudicitiæ ſepta, cuſtodes catos, & munimenta (ut plurimum mecaſtor in caſſum) tanta ſedulitate & dubia fide ponere, mirum, cum velut ab oraculo ſint illa, tametſi laſcivo.

Quod licet ingratum eſt: quod non licet
acrius urit.
Ferreus eſt, ſi quis, quod ſinit alter,
amat.
Si qua, metu demto, caſta eſt, ea denique
caſta eſt;
Quæ quia non liceat non facit, illa facit.
Qui timet ut ſua ſit, ne quis ſibi ſubtra-
hat illam;
Ille Machaonia vix ope ſanus erit.

Propenſam quis ignorat in vetita naturam? & licita ſæpius amittit, qui tentat illicita; quin tutior ſane liberrimus ille thermarum in Germania Badenſium mos, quam Ζηλοτυπεῖν

Ovid. Amor. 2. Eleg. 19. & 3. Eleg. 4. & lib. 2. de remed. amoru.

quis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

——— *quis non bonus omnia malit*
Credere, quam tanto ſceleri damnare puel-
lam?

Verum τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθ

Oſtendit I. Cæſar Britanniam poſteris potius quam tradidit: Utut Malmesburienſis *in Latias ab eo jurare leges compulſam* ait; Incolis certe vix minuit (nam impoſita tributa brevi excuſſit defectio) I. L. libertatem. Octaviano, Tiberio, & Caligula Impp. eadem ſunt omnimodo uſi, fruiti. Aulus Plautius Prætor Claudij Cæſ. auſpicijs exercitum in Britanniam duxit. Ἦσαν δὲ ἄλλοις (Incolæ, ita Dio) βασιλεῦσι προστεταγμένοι: ideſt *Regibus diverſis ſubjecti*. Caratacum & Togodunum Cunobellini Regis filios vicit, tranſmiſit & ipſe in Inſulam Claudius, conlatis ſignis dimicavit, victoria potitus Camalodunum Cunobellini regiam cœpit, incolis arma ademit, Plautio regendos ſubigendoſque reliquos mandavit, Romam ſe ipſe recepit, ſplendidiſſimo faſtuſque pleno honoratus triumpho. Hic enim is fuit.

Cuique Britanni terga dedere
Ducibus noſtris (Seneca Tragœdus)
ante ignoti
Juriſque ſui. ———

Inſula, magnam partem, in Romanorum poteſtatem, & præſidialem redactam Provinciam, Colonia Camalodunum, authores Tacitus & Dio, valida veteranorum manu deducitur in agros cap-

Virgil. in Cieri. Malmesb. de geſt. reg. lib. 1. *cap.* 1.
Dio hiſt. Rom. lib. 60. *Senec. in Octav. act.* 1.
Tacit. lib. 12. *ann. Dio. lib.* 60. *hiſt.*

tivo

tivos, *ſubſidium adverſus rebelles, & imbuendis ſociys ad officia legum.* Priſcus de iſta ſic lapis,

CN. MVNATIVS. M. F.
PAL. AVRELIVS.
BASSVS. PROC.
AVG.
PRAEF. FABRO. PRAEF. COH. III. SAGITARIORVM. PRAEF. COH. ITERVM. II. ROMANORVM. COLONIAE. VICTRICENSIS. QVAE. EST. IN. BRITANNIA. CAMALODVNI.

Templum ad hæc Claudio, *ara* (ſeu ut placet Lipſio *arra*) *æternæ dominationis* conſtitutum. Sed parum, inquis tu, hæc ad rem noſtram; imo maxume, & quæ inſtituta, leges, mores, & Romana omnia in Britanniam peregre adferunt. Propter Fanum S. Albani in agro Hartfordienſi Municipium certe fuit ſedes Caſſibellini Verulamium, & Municipes, ex Agellio docemur, fuere Cives Romani ex Municipiis ſuo jure utentes & legibus, muneris tantum cum Pop. Rom. honorarii participes; Cæterum Coloniam Camaloduni (Maldon Eſſexiæ) habemus quæ alia neceſſitudine nixa, ex civitate propagata, jura inſtitutaque omnia Pop. Rom. non ſui habuit arbitrii, Sireimſque alibi hac inſula non uno loco. Præbet averſa pars Severi Imp. Nummi

COL. EBORACVM. LEG. VI. VICTRIX.

& Septimii Getæ nuniſma altrinſecus,

COL. DIVANA. LEG. XX. VICTRIX.

Camden. & Lipſ. ad 12. *Tacit. num.* 75. *Agell. lib.* 16. *cap.* 13. *Camdenus.*

Ogygiam Divanam (cum Ptolemæi Deunana ha eadem) interpretatur Cornaviorum Ceſtria Priſci dein fragmentum inBathoniæ mœnibus por tam prope Borealem ſaxi ita fert inſcriptio :

* DEC. COLONIAE. GLEV. VIXIT.
ANN. LXXXVI.

Glevum quæ nobis Gloceſtria. Idipſuum fort Colceſtriæ jus, niſi à Colno ſubterlabente fluv mavelis originationem. *Hic denique populus quo* (inquit ad Albinam Seneca) *Colonias in omnes provincias miſit? Ubicunque vicit Romanus habitat.* Plures ecce provincia Britannica : quarum aliam, à Britannorum, Rempubl. atque alias leges in ipſa licet conſpicari, quam, è Cl. V. antiquitati callentiſſimo, ac undiquaque longe doctiſſimo & celeberrimo, I. Lipſio, dabimus, poſt deductionem, conſtituendi formula. *Ratio & modu erat* (ſic ille) *ut Agri dividerentur viritim: idque à III. viris, quos graves & prudentes viro huic rei legere ſolebant, qui & ſedes agroſque & ipſum oppidum (ſi condendum eſſet) diſponebant, & jura ac formam novæ quaſi Reipub. dabant. Sic tamen ut omnia Romam & urbem Matrem referrent ipſiſque quoque locis, Fora, Capitolia, Templa. Curiæ pro illa imagine eſſent, & in gubernatione Duumviri pleriſque locis quaſi II. Coſſules, Ædiles item & Decuriones pro Senatu;* Quæ ille: Haud injuria igitur Beatus Gildas; *Non Britannia, ſed Romania cenſebatur.* Et antiquam à Ioſepho Scaligero è ſitu vindicatum Carmen.

Mars Pater, & noſtræ gentis tutela Quirine,
Et magno poſitus Cæſar uterque polo;

* *Decurioni Senec. ad. Alb. cap. 7. Lipſ. lib.* 1. *de mag. Rom. cap. 6. Gildas in epiſt. de excid. Brit*

Cerni

Cernitis ignotos Latia ſub lege Britannos, &c.

Imperiale Gynæcium Ventæ Belgarum (hodie VVintoniæ) atque id genus quæ ſunt alia miſſa facio.

Veſpaſiano, Tito, & Domitiano CÆSSS. legatus agebat hic Taciti ſocer Julius Agricola. Ad civiles hortabatur is mores Barbaros, uſque adeo ut habitus Romanorum honor, & frequens Toga; atque ut Iuvenalis Satyra.

Gallia Cauſidicos docuit facunda Britannos.

Redintegrata adſulſit Imperante Commodo Britannis Lux Chriſtiana. *Lucius* Rex Chriſtianorum primus (habuerunt enim Romani, ut in cæteris, ita in Britannia ſervitutis inſtrumenta & Reges) procurantibus Fugatio & Damiano obſignationem regenerationis ab Eleutherio PP. fœliciter accepit, & ſacras Æternæ ſalutis leges. Voluit & petijt etiam profanas

Juraque ab hac terra cætera terra petet.

de Romana cecinit diu antidhac Naſo. Eleutherius autem; *Petiſtis*, ita reſcripſit *à nobis leges Romanas & Cæſaris vobis tranſmitti, quibus in regno Britanniæ uti voluiſtis, leges Romanas & Cæſaris ſemper reprobare poſſumus, legem Dei nequaquam. Suſcepiſtis enim nuper miſeratione Divinâ in Regno Britannia legem & fidem Chriſti, habetis penes vos in regno utramque paginam; ex illis Dei gratia per conſilium regni veſtri ſume legem, & per illam, Dei patientia, veſtram reges Britanniæ regnum. Vicarius vero Dei iſtis in regno.* Ævi injuria quicquid de

Notitia Provinc. ut Imp. Tacit. vit. Agric. Iuvenal. Sat. 6. Platin. in vita Eleutherij. Ovid. 1. Faſt. I. Fox. hiſt. Eccleſ. lib. 1.

 hoc

hoc *Magni ſplendoris* Principe ſit interuorſum, fide iſthoc conſtat antiquorum, gerras Paganorum Germanas, Dæmonumque latriam Veri Dei cultui propediem cedere occœpiſſe, pulſiſque Archiflaminibus. III. & XXVIII. Flaminibus Archiepiſcopos totidem & Epiſcopos (Archiepiſcopis ſedes Londini, Eboraci, & in Urbe Legionum) ſuccidaneos datos; queis atque alijs Viris Deo vacantibus *poſſeßiones & territoria abundanter Rex conferens chartis & munimentis omnia communivit. Eccleſias vero* (ſic Monumethenſis & Flori legus) *ita conſtituit eſſe liberas, ut quicunque malefactor ad illa confugeret illaſus ab omnibus remaneret.*

Sub Conſtantino Cæſare (cujus ad Britannicum & regium ſanguinem plerique retulere natales) præfuit Britanniæ Præfectus Præt. Galliarum. Hunc ille cum cæteris Illyrici, Orientis, & Italiæ inſtituit: ſub eo Vicarius Britanniæ (cujus inſignia liber clauſus, & viridi tectus corio) *Spectabilis* titulo honoratus. Parebat & huic II. Conſulares & III. Præſides (pro quintuplici provinciæ ſectione) qui cauſas civiles & criminales audiebant. Atque poſtremam hic de Britannis, ac in Britannia Romanis LL. qua nempe ſuppeditant, quos habeo, ſcriptores columnam figo.

Incurſantibus poſtmodum ad Septentrionem, & terras provincialium cottidie depopulantibus Scotis & Pictis, auxiliares à Romanis implorantur copiæ. Romæ intereà pari infortunio imminens Gothorum furor minitabatur; tota timebat, tremebat Italia. Cujus ad propugnandum libertatem conlatis viribus fuit accinctum pluſquam divergens Imperium. Hac igitur Britannis fruſtratio. Itaque Vortigernus, cui ſumma fuit rerum, ſubſidiarios è vicina Germania accivit & pellexit. Sed

Zoſim. lib. 2. Notit. Provinc. utr. Imper. libr. 1. comm. cap. 5. & lib. 2. comm. Paucirolli cap. 69.

Car-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Carpathius Leporem, *Saxones*, *Angli Iuta*, *Friſones* hoc nomine, ſub Theodoſij Iunioris tempora, myoparonibus adpellunt. Soli tandem dulcedine (numeroſa popularium inſequente migratione, & circa id tempus fatales fuere per terrarum pæne orbem migrationes) & ſummi Imperij cupidine ducti, icto cum Pictis fœdere, funeſtum in novitios hoſpites, ſub quîs ſtipenda erant meriti, movent bellum: & ut paucis expediam, exutis denique avorum ſedibus Britannis, metipſos Angliæ (ab illis ſic dictæ) evehunt in Heptarchiam. Vario tametſi nomine, re eapſe ijdem & Saxones. Nomen, tunc temporis in Germania fuſiſſimum, quod non Albi, Rheno, Odera Fl. Haſſiæ & Thurnigiæ confinijs, ac Oceano, ut recentioribus Geographis, terminatum, verum & in Cherſoneſum Cimbricam uſque erat exporrectum. Maritumos Britanniam adnavigaſſe eſt veri ſimillimum. Primo nimirum Horſam & Hengiſtum è Batavia, comitante *Saxonum* caterva; confluxiſſe dein è Iutia *Iutas* (vocabulo iſthoc Danos ipſis Saxonici Imperij incunabulis littora noſtra occupaſſe vincit Ianus Douza: ex Angela, juxta Camdenum, ſub Flemſburgo Urbe Sleſwici *Anglos*, è Friſia (Procopius eſt auctor) *Friſones*. Univerſos Saxones injuria nullus dixeris; niſi & injurius Fabius Quæſtor Æthelwerdus ſuæ genti. Floruit is DCL. ante annos Ethelulphi Regis nepos & ſuis ediſſertat verbis *tuiſſe Gentem Saxonum in tota maritima à Rheno fl. uſque in Doniam Urbem quæ nunc vulgo* Danmarc *nuncupatur.* Neque enim Danmarciam in contiguis Ultrajectinorum & Amſtelionorum territorijs ob anguſtiam tractus fas eſt hic exiſtumare.

Longa eſt injuria longæ ambages, ſed ſumma ſequor faſtigia rerum. I. *Douz. Annal. Holland* 1. & 6. *Procop. libr.* 4. *bell. Gothic Æthelvverd. lib.* 1. *fol.* 474.

Quæ igitur de Saxonibus pauca Adamus Bremenſis ex Einhardo eſt traloquitus, quippe quorum Antiqui noſtri Saxones conjicio participes, ita ſubdo.

XXIII. *Quatuor differentijs gens illa conſiſtit. Nobilium ſci. liberorum, libertorumque atque ſervorum.* Et Nithardus de ſuo ævo; in *Ethelingos* .i. Nobiles, *Frilingos* .i. ingenuos, & *Lazzos* .i. ſervos diſpertivit. *Legibus firmatum, ut nulla pars in copulandis conjugijs propriæ ſortis terminos tranſeat, ſed nobilis nobilem ducat, liber liberam, libertus conjungatur libertæ, & ſervus ancillæ.* Atque in legibus Henrici Ducis Saxoniæ Imp. Electi de Torneamentis. *Quum Nobilis aliquis civem duxiſſet uxorem, aut ruſticam mulierem, huic interdictus erat ludus iſte uſque in tertiam generationem*, uti fert Sebaſtianus Munſterus. Vetabant & XII. Tab. Patriciorum cum plebeijs connubia; quod lege Canuleia poſt abrogatum. Proportionem n. non Arithmeticam, quæ conſtat æqualibus, neque adeo Geometricam, quæ ſimilibus, ſed, quæ concinentibus diſſimilibus, Muſicam Connubijs & Politici & I. Cti. cenſent adhibendam. Plebeia locuples Patricio egenti nubat; Pauperem plebejam Patricius ducat factioſus, & opulentus; diſſimilitudinem in Harmoniam concinnet ex Poro & Penia genitus Amor, diſcorſque hæc concordia fœtibus apta eſt. Nam bene ſibi ſit dotatum oportet atque Craſſo quam Iro propiorem, qui ob

——— *multas in magnis dotibus*
Incommoditates, ſumtuſque innumerabiles

indotatam cum Plautino Megadoro uxorem adſe-

Adam. Bremenſ. hiſt. eccleſ. Brem, & Hamburg. cap. 5. ex Bibliotheca Hen. Ranzovij. Nithard. libr. 4. Munſter. Coſmograph. lib. 3. Plat. in ſympoſ. Plaut. in Aulul. act. 3.

ctat:

ctat: ſecundum quod ad Priſcum Martialis;

Uxorem quare locupletem ducere nolim
Quæritis? uxori nubere nolo meæ.
Inferior metrona ſuo ſit, Priſce, marito.
Non aliter fiunt fœmina virque pares.

& ——— τὴν κατὰ σ' αὐτὸν ἔλα.

Cæterum hujus ad imaginem mentis parum noſtri fictum eſt ævi. Cedunt nimium claritudo generis, Virtus, venuſtas & quicquid in Pandora boni, pulchri, ſæpius Opulentiæ, & cruminæ, ut Comici verbo utar, ære preſſatæ. Atque ut ille Tejus.

Γένος οὐδὲν εἰς ἔρωτος.
Σοφίη, τρόπος πατεῖται,
Μόνον ἄργυρον βλέπουσιν.

Adamum repeto.

XXIII. *Ejus gentis cum qua bellandum fuit captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium ſuorum patriis quemque armis committunt, & victoriam hujus vel illius pro judicio habent.*

Hocipſum etiam ipſe Tacitus, ad quem ab Einhar do ablegamur, De Germanis enim licet doceat ille generatim, abſque nihiloſecius hæſitatione Noſtri Saxones eorum, quæ in, de moribus Germanorum traduntur in hanc inſulam quamplurima tranſuexere. E quibus hæc ſunto.

XXV. *In conciliis Rex vel princeps, prout ætas cuique prout Nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur, auctoritate ſuadendi magis quam jubendi poteſtate. Si diſplicuit ſententia fremitu aſpernantur. Sin placuit, frameas concutiunt. Hono-*

Martial. lib. 8. *epig.* 12. *Callimach.* Epigramm. 1
Plaut in Aſinar. Anacreon. Carm. εἰς Ἔρωτα
Et Tacitus.

ratiſſimum aſſenſus genus eſt armis laudare. Hinc forſitan *VVapentachiorum* vetuſtum jus.

XXVI. *Eliguntur in iiſdem concilijs & principes, qui jura per pagos vicoſque reddunt. Centeni ſingulis ex plebe Comites Conſilium ſimul & auctoritas adſunt.* Centuriarum quas adhuc per provincias habet Anglia pane imago.

XXVII. *Nihil publicæ neque privatæ rei niſi armati agunt; ſed arma ſumere non ante cuiquam moris, quam Civitas ſuffecturum probaverit. Tum in ipſo concilio, vel principum aliquis, vel propinquus ſcuto frameaque juvenem ornant: hæc apud illos Toga, hic primus Iuventæ honos: ante hoc Domus pars videntur, mox Reipublicæ.* Priſcum Equites creandi ſi alias uſpiam hic veſtigium. De Gallis ferme idèm I. Cæſar. *Suos liberos niſi cum adoleverint, ut munus militiæ ſuſtinere poſſint, palam ad ſe adire non patiuntur.*

XXVIII. *Inſignis nobilitas, aut magna patrum merita principis dignationem etiam adoleſcentulis aſſignant.* Hæc enim debemus, ut philoſophus ille, virtutibus, ut non præſentes ſolum ſed etiam ablatas è conſpectu colamus; & honos liberorum Gloria, Selomoni, parentum.

XXIX. *Dotem non uxor Marito, ſed uxori Maritus offert.* Contra quam Ius ait Romanum id etiamnum (ut alibi Morgangheb) Anglis in uſu.

XXX. *Acciſis Crinibus nudatam adulteram coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit.* Graviſſimi in Septentrionali hoc Orbe Adulterij olim vindices, & leges ipſis

—— *Marti Venerique timendæ.*

Statuit Canutus, uxori quæ alium ſua tollit victorem navi, &

Cæſ. l. 6. de bell. Gall. Senec. de benef. l. 4. cap. 30. Proverb. 17. Ubi nunc lex Iulia dormis? Iuvenal. Satyr. Canut. leg. can. 50.

πολ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

πολλάκις ἐκ νυκτῶν ἄλλον ἔχει λιμένα,

naſum & auriculas (bene vortat tuis Venus, nec tenellulis alumnis lubens obſcæno) præcidunda. Interminatur, memini, apud Homerum Antinous Iro narium, aurium & genitalium abſciſſionem, atque illance dat Vliſſi pœnam caprarius Melanthius, quod procis locaſſet operas. Ut deformatrice naturæ hac dignus, nondum ſatis intelligo. Illam præcipue partem, ait Heraclides Ponticus, Legiſlatores conſueſſe mutilare quæ ſcelus commiſit. Tityi jecur libidinis officinam memorat ille teſtem; & alios magis adpoſitos haut fuerit difficile, & pereant partes quæ nocuere, canit aliquis. Veruntamen non aures, nequaquam nares Melanthij deliquere, non Stupratæ uxoris; ut ad maritum Martialis Caput lepidum.

Quis tibi perſuaſit nares abſcindere mæcho.
Non hac peccatum eſt parte, marite, tibi.

Sed quis non videt, alia fœminæ eſſe nulla perinde mutilationi obnoxia membra? Præſtant ad ornatum utraque, nec quæ abſciſſa & majus adferunt pulchritudini dedecus, & minus ſimul virtutem, quam dicunt, animalem malo mactant in toto ſunt exteriori microcoſmo. Eorum autem libidinem, qui intemeratæ Pudicitiæ, Prema & Mutino Dijs non ita faventibus, vim olim & vitium inferebant, mantabat *amiſſio membrorum, ut ſit membrum pro membro* (Henricum de Bractona antiquiſſ. Iuris noſtri ſcriptorem legis, & clara Talionem Anglis fuiſſe ſunt teſtimonia) *quia virgo*,

---

Theognes. Odyſſ. 18. & 22. In Allegorijs Homer. Martial. lib. 3. Epig. 43. Salve Pudor; abſit te violem. Bract. lib. de Coron. 3. cap. 28. An. 18. Ed 3. fol. 20. a Britton. cap. 25.

cum corrumpitur, membrum amittit, & ideo corruptor puniatur in eo in quo deliquit: oculos igitur amittat propter aſpectum decoris, quo Virginem concupivit, amittat & teſticulos qui calorem ſtupri induxerunt. Olim

> *Aut linguam aut oculos, & quæ tibi membra Pudorem*
> *Abſtulerant, ferro rapiam* ——

Philomelæ de ſpurciſſimo Tereo Progne. & Plautus in Pœnulo. Sy. *facio quod manifeſto mæchi haud ferme ſolent.* Mi. *quid id eſt?* Sy. *refero vaſa ſalva.* Galfredum *de Miliers* Norfolcienſem & Nobilem ob illectam in ſtupri pactum & Venerijs vadimonijs convadatam *Iohannis Britonis* filiam, perfidæ inſidijs mulierculæ ſperatis fraudatum gaudijs, prehenſumque, & hanc luiſſe, & quicquid voluit patris, à tanto dehoneſtamento, furor memini perpeſſum; ſed vero infenſum graviter regem (Hen. III.) exhæredem feciſſe *Britonem*, relegaſſe, *& voce præconia juſſiſſe pro lege acclamari, ne præſumat quis, niſi pro conjuge, adulterum membris mutilare genitalibus.* Atqui recentius iſta, & poſt Normannos, & ab eis; ni quod de ſervo & ſervula in Aluredi legibus habetur huc feras. Unde lapſi ſumus iterum ad Tacitum.

XXXI. *Heredes ſucceſſoreſque ſui cuique liberi: & nullum teſtamentum.* De prædiis ruſticis uſque ad avorum memoriam præterquam in *Burgis* ſingulari jure utentibus teſtari neque apud nos licuit. *Si liberi non ſunt, proximus*, ait ille, *gradus in poſſeſſione fratres, patrui, avunculi.* Præcluduntur hæredijs aſcendentes, & paterni Sanguinis elucet hic dignitas. Jus Anglis jam nunc uſitatum.

Metamorp. 7. *Matth. Paris in H.* 3. *pag.* 1000. *u. lib.* 2. *art.* 8. *Alured. leg. cap.* 25.

XXXII. *Su-*

XXXII. *Suſcipere inimicitias, ſeu patris, ſeu propinqui quam amicitias neceſſe eſt.* Notæ Aquilonaribus noſtris Capitales inimicitiæ, Deadly-feud vocant. *Nec implacabiles durant. Luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero recipitque ſatisfactionem univerſa domus.* Capitum æſtimatione (pepzilo dicta) redempta olim homicidia: etiamſi virum primorem, imo ipſum, ut videre eſt in Athelſtani conſtitutionibus, ſi Regem quis occidiſſet. Sed Boni mores legibus, opinor, præpolluere.

XXXIII. *Frumenti modum Dominus, aut pecoris, aut veſtis colono injungit.* Quam in ænigmate magis perſpicuo contueri licet hic *Feuda* ruſtica. Militarium autem, nefas non ſit adſcribere, antiquiſſimas perhibent imagines Dionyſius Halicarnaſſeus in Trojanis & Aboriginibus, Florus in Cimbris, & Lampridius in Alexandro Severo Hunnis & Longobardis debent ea & Septentrionales, & Itali ad recentiorem formulam. Cornelij Taciti quæ huc ſpectant hæc ſufficiant.

Prius quam τὴν πολυθεότητα Saxonum Chriſtiana exterminarat doctrina, fuere iſta omnia. *Ethelbertus* (primus ille, nedum Cantij, præter Northumbriam totius Angliæ Rex ſacro fonte ab Auguſtino Monacho, Anglorum, ut ajunt, Apoſtolo, tinctus) *inter cætera bona quæ genti ſuæ*, authorem audis Venerabilem Bedam, *conſulendo conferebat, etiam decreta illi judiciorum, juxta exempla Romanorum, cum conſilio ſapientum inſtituit. Quæ conſcripta Anglorum ſermone hactenus*, ſicille, *habentur & obſervantur ab ea. In quibus primitus poſuit qualiter is emendare deberet qui aliquid rerum vel*

Dionyſ. Halicar. lib. 1. Flor. hiſt. Rom. lib. 3. cap. 3. Lampridius V. Bodin. de rep. libr. 2. cap. 2. & Franc. Hotoman. diſp. Feud. cap. 2. Bed. hiſt. eccleſ. lib. 2. cap. 5.

eccleſiæ, vel epiſcopi, vel reliquorum Ordinum furto auferret. Hujuſce poſterorum in legibus, Aluredi (qui ad ſua ex Ethelberti actis excerpſit) & Athelſtani, nummis luunt Fures: juxta ac de Germanis Tacitus; *Levioribus delictis; pro modo pœnarum, equorum pecorumque* (nam pecoris antiquitus ante æs & argentum ſignatum erat, ut eſt apud Feſtum, pœna;) *numero convicti multantur* Admolientibus autem ſacro manum, præciſam legimus qua cum furati. Sed fallor? an etiam ſub Saxonico Imperio ſacrilegium capite plexum? Suadet G. Malmeſburienſis in degeſtis Pontificum locus. *Cognomen Boni* (Theodredum dicit Londinenſem regnante Athelſtano Antiſtitem) *vulgo ſortitum pro prærogativa virtutum uno excidit magis errore quam crimine, quod fures apud S. Edmundum deprehenſos, quos conatibus irritis martyr inviſibili nodo aſtrinxerat* (ſacratas Edmundo ædeis, in agro Suffolcienſi, compilaturi miraculo dicuntur ſperata præda, tanquam loris irretiti:) *ſeveritati legum addixerat, patibulis adjudicatos.* Minime aliud ævo hoc medio æſtimet quis patibulum à furca, quæ ſuſpenſum & ſtrangulatum exanimat.

XXXIV. *Egbertus Occiduorum Saxonum Rex quatuor* (Camdeni verbis utor) *regna victoria complexus cum reliqua etiam II. ſpe devoraſſet, ut, quæ in unius imperium deveniſſent, in unum item nomen coirent, & ſuæ gentis memoriam conſervarent Heptar-*

Feſt verb. Pecul. & verb. Ovibus. v. In. leg. cap. 13. *Malmesb. de geſt. Pontific. lib.* 1. *Ranul. Higden in Polychronico. Ioan. Carnotenſis de nugis Curial. lib.* 6. *cap.* 17. *Caxt. cap.* 96. *circumlatum hoc nomine librum perpulchre MS. amiciſſime uſui meo pro ſua contulit (quam non gratiſſime agnoſcere duco turpiſſimum) humanitate V. genere & ſtudijs Nobilis* VVarinus Tounſend *e ſociet. Linc.*

chiam quam occuparant Saxones promulgato edicto **Engelond** *vocari juſsit.* Joannes Carnotenſis ab Anglorum adventu ſic dictam ſcribit; & ab Hengiſti voce quis alius.

Quamplurimæ *Inæ*, *Alfredi*, *Edvvardi*, *Athelſtani*, *Edmundi*, *Edgari*, *Ethelredi*, *&* *Canuti* Dani Regum Saxonico conſcripto idiomate leges in hæc uſque tempora ætatem tulere. Canutus. n. *Omnes leges ab antiquis regibus*, (G. Malmesburienſis adloquitur) *& maxime ab anteceſſore ſuo Ethelredo latas ſub interminatione regiæ mulctæ perpetuis temporibus obſervari præcepit, in quarum cuſtodiam etiam nunc tempore Bonorum, ſub nomine Regis Edvvardi juratur, non quod ille ſtatuerit, ſed quod obſervaverit)* Edwardi atque etiam Cognomento, ob pietatem, *Confeſſoris* lectorum teruntur manibus. Hæ ipſæ Latinæ; illas non ita pridem latinitate conavit G. Lambardus V. doctus, & Antiquitate verſatiſſimus, utraſque è tenebris vocavit in lucem, Saxonicum Archetypum, ſuamque è regione verſionem, ex Officina Ioannis Daij, Londinenſis Typographi, Anno. CIↃ.D.LXVIII. ſub titulo Archæonomiæ, ſive de priſcis Anglorum legibus libri, in vulgus emiſit. Sua digno ſibi ſit meſſis. Ab hiſtoricis nos nonnulla alia huic operæ.

XXXV. *Totius Angliæ* (de *Aluredo* Rege ſic ſcribit Ingulphus Abbas Croulandenſis) *pagos & provincias in Comitatus primus omnium commutavit.* Ante pro numero hydarum regiunculis erat cenſita & diviſa. *Comitatus in Centurias. i.* Hundredas (Parœcias diu antidhac Honorius Archiepiſc Cantuarienſis A. CH. DCXXXVI. Diſterminarat:) *& in decimas.* i. tithingas *diviſit, ut omnis indigena* * *legalis in aliqua centuria & decima exiſteret.* Quiſquis nimirum XII. compleverat ætatis annum: *& ſi quis ſuſpectus de aliquo latrocinio per ſuam*

Rotulus VVintoniæ. Hiſt. Cantuarienſis. * **Inlaughe.**

centuriam vel decuriam, vel condemnatus, vel invadiatus) nonnullys mſſ. *abſolutus) pœnam demeritam vel incurreret, vel vitaret:* Adjicit G. à Malmesburia. *Qui vadem non repererit, ſeveritatem legum horruit; ſi quis Reus, vel ante vadationem vel poſt transfugeret omnes ex centuria & decima Regis multam incurrerent.* Origo hic *Decennæ, Friborgi,* forſitan & *Manupaſtus;* quæ tametſi ævo præſenti obſoleta, non Confeſſoris modo legibus, verum etiam in Henrico de Bractona, Iuriſque noſtri Annalibus ſæpiſſime memorantur. *Decenna* quid fuerit ipſum ferme vocabulum, & Ingulphus oſtendit: Friborgh/ ſive Borgh/ Vadem Latine dixeris (nam Fri ſolummodo liberum denotat.) Hunc qui alterius morum pericula ſubeundo ſe præſtiterit, eum in ſuo dictus eſt habere *Borgho*, reipub. ſi quod admiſſum facinus, hoc nomine obſtrictus. Atque inde eſt quod Noſtrates Pagani Vicinos (inquam adtubernales) Nighbourgs dicunt, cum tamen τῦ Eburonum Belgii ἐτυμῦ ſcrutatores *Burgh*, (idem etenim Borgh/ pro vicino intelligant, idque plane adſeveret Pontus Heuterus in aliis originationibus. *Manupaſtus* id ipſum quod Familia; ſimilem plane ad ſententiam Dominum appellat Iulius Pollux græce è τρόφιμον. Et Friborgi, & Manupaſtus jura tritavorum memoria fuiſſe Anglis in uſu manifeſtum. Curio Presbyter Ed. III. R. quod nempe ex illius fuerat familia Sicarius, multatur. Et antiquæ *de itinere Cancii,* ſub Ed. II. ſchedæ hac facem accendunt. *Radulphus Molendinarius de* Sandon/ *& Rogerus Garcio ejuſdem* (impurum nollem po-

---

Leg. Edvv. Confeſſ. cap. 20. Bract. lib. 3: tract. de Coron. c. 10. Prout. Heut. l. 1. vet. Belg. c. 13. Iul. Pollux lib. 3. cap. 8. 3. Ed. III. Itin. North. tit. Coron. 293. 6. Ed. 2. Itin. Canc.

lite.

lite, quiſquis es rideris ſermonem) *Radulphi de Borgh de* * Twitham *venerunt noctanter ad Molendinum de* Harghes/ *& ibidem occiderunt VVilliel-mum Molendinarium, & bona & catalla ſua aſportaverunt, & ſtatim fugerunt, neſcitur quo devenerunt, & Iuratores male credunt ipſos Radulphum & Rogerum do morte prædicti Gulielmi, ideo ipſi exigantur & utlagentur; nulla habuerunt catalla, ſed prædictus Radulphus fuit in Borgh Simonis* Godwin *de* Twitham *qui modo non habet ipſum ideo in miſericordia. Et Rogerus non fuit in Borgh, ſed fuit de Manupaſtu Roberti Archiepiſcopi Cantuarienſis qui obijt: nulla Engleſheria preſentata, Iudicium, Murdrum ſuper Hundredum. Primus inventor & tres vicini obierunt, & Thomas de* Broks *unus vicinorum venit, nec male creditur, & villatæ de* Wimeſbugewelle *&* Egeſton *non venerunt plene ad Inquiſitionem Coronatoris, Ideo in miſericordia.* Et eadem tempeſtate. *Salamon* Rois *de* Ickham *venit ad domum Aliciæ, filiæ Dionyſij de VVhenes, & ipſam verberavit & percuſsit ſuper ventrem cum quodam baculo, ita quod ſtatim obijt. Et prædictus Salamon ſtatim fugit, & Iuratores male credunt ipſum de morte prædicta. Ideo exigatur & utlagetur, nulla habuit catalla nec fuit in Borgh quia vagans, nulla Engliſheria preſentata; Iudicium Murdrum ſupra Hundredum, &c.* Atque ad hanc formulam comitata ſunt iſta plura. Verum ſatis ſit hæc admonuiſſe; Adjecto ex Henrico à Bractona. *Si extra Francum plegium fuerit delinquens in aliqua villa receptatus, erit villata in miſericirdia, niſi talis ſit ille qui fugit, quod in decenna & franco plegis eſſe non debeat: ut Magnates, milites, & eorum parentes,* (filii primogeniti, in Annalibus juridicis Ed. I. & fœminas complectare tu) *clericus, liber homo*

---

* Tinthamforte. *Bract. lib. 3. de Corona cap. 10. An. 21. Ed. I.*

vereor

(vereor hoc irreptaſſe) *& hujuſmodi ſecundum conſuetudinem patriæ , & quo caſu tenebitur ille in quibuſdam partibus , de cujus fuerint familia & manupaſtu & pro eis reſpondebit niſi conſuetudo patriæ aliud inducat , quod pro manupaſtu ſuo non debet reſpondere, ſicut in Com. Hertford. ubi non reſpondet quis pro manupaſtu ſuo pro aliquo delicto niſi redierit poſt feloniam, vel poſt delictum eum receptaverit , ut de Itinere M. de Pateshull in Com. Hertford anno reg. H. V.* Reſtant partim næ iſta in Decurijs noſtris & Centurijs hactenus neutiquam omnino antiquata.

XXXVI. *Præfectos provinciarum , qui antea Vicedomini* (ad Ingulphum reverſus es & Aluredum) *in duo officia diviſit .i. in Iudices quos nunc Iuſticiarios vocamus , & in Vicecomites , qui adhuc idem nomen retinent.* Faceſſat ergo Polydorus Urbinas , qui primos à Normanno petit Vicecomites.

XXXVII. Hortatus eſt Regem Joannes Scotus Erigena , ad imbuendos bonis literis ſubditos , & quod in rem Muſarum eſſet conducibile ex edicto ſatageret. *Univerſis dein liberis hominibus totius regni , qui ad minus II. hydas terræ poſſediſſent firmiter præcepit , ut liberos ſuos uſque ad ſpatium XV. annorum ætatis ſuæ habeant , & teneant ad literarum eruditionem ipſoſque interim diligenter inſtruant , ut Deum agnoſcant.* Hyda , ſemel ut adnotem,& Aratrum (.i. quantum terræ uno quotannis bene verti poteſt & excoli aratro) Huntindonienſi , Matthæo Paris, Thomæ VValſinghamio, atque explicate in pervetuſta Dunſtani Charta leguntur ſynonyma. Etſi C. jugeribus atque alias alij Hydam circumſcribunt ; accipe , ſi mavelis , quantum quis Taurino poſſet circundare tergo ; ſunt qui hoc non nolunt.

Alured. Rhivallens. ap. Tuin. Apolog. ant. Oxon lib. 2, §. 207.

XXXVIII.

XXXVIII. Arbitrum egit bidendi & Modiperatorem Edgarus. *Clavos argenteos* (ita Malmeſburienſis) *vel aureos vaſis affigi juſſit ut, dum metam ſuam quiſque cognoſceret, non plus ſubſerviente verecundia, vel ipſe appeteret vel alium appetere cogeret.* Sola hæc & unica lex, ante prima ſub Iacobo R. Ordinum Comitia, in eos qui Συμποσιῶν Νάυται καὶ Κυλίκων ἐρέται, genijs indulgendo & alienæ (Neſtoris hauriendo annos Annam quaſi Perennam inter celebrandum) libant Saluti, & ſuam lædunt & publicam.

XXXIX. *Nulla electio prælatorum* (rurſus Ingulphi verba) *erat mere libera & Canonica, ſed omnes dignitates tam Epiſcoporum quam Abbatum per annulum & baculum Regis Curia per ſua Complacentiam conferebat.* Penes Clericos & Monachos erat electio, ſed electum à Rege (Edmundus ita ſub Ethelredo Lindiſfarnenſis creatus epiſcopus) poſtulabant. Et Edgarus in Diplomate Cœnobio Glaſconienſi conſignato *ſibi ſuiſque hæredibus tribuendi fratri electo baculum paſtoralem retinuit.*

XL. Quotquot *Canutus* Rex *in Anglia ſecum retinebat* (Danis ſcilicet, nam & horum manubus verſabatur regni Anglorum ſcipio) *firmam pacem per omnia conceſſum eſt haberent, ita quod ſi quis Anglorum aliquem hominum quos ſecum Rex adduxerat interficeret, ſi ſe ſuper hoc defendere non poſſet judicio Dei ſc. aqua & ferro, fieret de eo juſtitia, ſi autem confugeret & Capi non poſſet ſolverentur pro eo LXVI. marcæ: & colligebantur in villa ubi quis eſſet interfectus & ideo quia interfectorem non habuerunt, & ſin in tali villa pro paupertate colligi non poſſent colligerentur in Hundredo in theſauro Regis depodæ.* Ad hunc modum Henricus de Bractona qui

Dionyſius Æneus. Malmesb. lib. 3. de pontificibus. & de geſt. reg. 2. Bract. lib. 3. tract. de Corona cap. 15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

in de Parricidio inquiſitionibus *Engliſheriam* hinc ſcribit inoleviſſe.

XLI. *Chirographa uſque ad Edvvardi Confeſſ. tempora fidelium preſentium ſubſcriptionibus* (Arthurianorum Britonum ſeculo idem; uti ex antiquiſſimo Landavenſis Eccleſiæ libro ait Io. Priſæus) *cum crucibus aureis aliiſque ſacris ſignaculis firma fuerunt.*

XLII. *Haraldus legem ſtatuit ut quicunque V.Vallerum citra terminum quem eis præſcripſit foſſam ſcilicet Offæ cum telo inveniretur ei ab officialibus Regiis manus dextra præcideretur.* Foſſam hanc ad disjungendos à ſuis Anglis Britannos Offam Merciorum Regem à Deuæ Fl. oſtio uſque ad Vagæ per LXXX. plus minus mille paſſus duxiſſe ait Chorographus ille noſter.

Regiæ Conſortis, Rege tametſi non auctore, Donationes, contra quod alius nuptæ, ratas habuit, ut jus Romanum, & hoc ævum: quod ex Æthelſwithæ Burghredi Regis Merciorum Vxoris diplomate Cuthwulſo Anno DCCC.LXVIII. dato apud D. *Ed. Coke* Eq. Aur. qui ſummam à Privatis Præturam gerit jamdudum eſt demonſtratum; ubi & priſca Ethelredi R. Charta *Felonum* (qui nempe rapinis ſe immiſcent & latrociniis) hæredia in commiſſum cecidiſſe jureque devincta Fiſcali comprobat. Chirographorum, quæ dominij (litium pabuli) hinc inde vehicula, cum jam meminerimus, de eis in ſuper ad rem atque à Saxonibus libet & iſta adnotare. Vtputa frequentiſſimas eſſe, quibus optimo poſſidenda jure donantur prædia, *exceptis* tamen plerunque *iſtis tribus, Expeditione, Pontis, Arciſve conſtructione* (*Trinodæ Neceſſitatis* vocabulo, in vetuſto qui

---

Ingulphus. Io. Priſ. defenſ. hiſt. Brit. Camdenus è Sarisburienſ. C. de denat. inter. virum & uxor. lib. 26. *In epiſt. ad l.* 6. *relat.* A. CH. D.LXXX.

con.

conceſſit VVilfrido Seleſeinſi apud Auſtrales Saxones primo Epiſcopo Cedwalla R. Paganham in agro Suſſexienſi villam notis :) & rariſſime eos quibus dabantur hoc nomine ſolutos. Nam in Ethelulphi, quamlibet *libera ſit eccleſia* concedatur *omnium rerum pro remiſſione animarum & peccatorum noſtrorum ad ſerviendum* (Ingulphus adfatur) *Deo ſoli, ſine expeditione, & Pontis extructione; & arcis munitione*, ut divinis nimirum omnimodo Clerus vacaret; attamen in publica illa, regnante Hen. III. (de antiquo Eccleſiæ Anglicanæ ſtatu, libertate, regimine, pontificijſque in horas exactionibus, & graſſantibus magno reipub. incommodo hirudinibus, agyrtis, exlecebriſque Romanenſibus) Ordinum deliberatione, ab immunitate ſtabant ſane eccleſiaſtica, & teſtes laudabant inſtrumenta Regum, qui nihiloſecius in libertatem haut ita propenſi, *quin tria* (uti auctor eſt Matthæus Paris) *ſibi ſemper reſervarent propter publicam regni utilitatem* viz. *expeditionem, pontis, & arcis reparationes vel refectiones, ut per ea reſiſterent hoſtium incurſibus*; Et Ethelbaldus: *Concede ut omnia Monaſteria & Eccleſiæ regni mei à publicis vectigalibus, operibus, & oneribus abſolvantur, niſi inſtructionibus arcium vel pontium quæ non poſſunt ulli laxari.* Taceo Ethelredum XII. forſan, (minime vero XV. qua in re hallucinatus quidam) regni ſui annum III. *Olympiadis* vocamine Hellenicæ ad morem ſupputationis conſignaſſe; atque id genus alia, quæ pro amanuenſium actuariorumque phantaſia ſæpius uſurpata. Cœterum extrema quibus clauſa ſunt Diplomata nec contemnenda. Ea in Cedwallæ Auſtralium Saxonum R. Theodoro Cantuarienſi præſuli DC. LXXXVII. obſi-

Ingulph. Matt. Paris hiſt. major. pag. 838. Ingulphus Raph. Holinſhed. in Hen. 7. Chart. Archiep. Cant. Chart. Ed. Confeſſ. Anglicanis rhythmis confectam apud Camd. in Eſſexia.

gnato

gnato ſic ſe produnt. *Ad cumulum confirmationis ego Cedvvalla ceſpitem prædictæ terræ ſuper Sanctum altare ſalvatoris poſui & propria manu pro ignorantia literarum ſignum S. Crucis expreſſi & ſubſcripſi.* De VVithredo & terræ ceſpite in Cantio idem Camdenus: *& ſuum ſuper altare S. Petri Apoſtoli* Ethelulphus chirographum dicitur *obtuliſſe.* Coronidis vice neque eſt cur non ſubijciam Poëtæ vetuſti numeros queis Ethelbaldi Merciorum Regis Genulpho Croulandenſi Abbati Fundationis inſtrumentum amplexus cecinit, clam Apolline.

Iſtum Kenulphum ſi quis vexaverit Anglus
Rex condemno mihi cuncta catella ſua.
Inde meis Monachis de damnis omnibus ultra
Uſque ſatisfaciat carcere clauſus erit.
Adſunt ante Deum teſtes hujus dationis
Anglorum proceres pontificeſque mei.
*Sanctus * Guthlacus Confeſſor & Anachorita*
Hic jacet in cujus auribus iſta loquor.
Oret pro nobis ſanctiſſimus iſte Sacerdos;
Ad tumbam cujus, has mea dona dedi.

Suas illi his Donationes, his nos Saxones ad Normannos tranſmigraturi terminabimus.

Ingulphus. * *Numen tutelare Cœnobij Croulandenſis.*

JOAN-

JOANNIS SELDENI
JANVS ANGLORVM.
LIBER SECVNDVS.

OBtenſo & jure ſanguinis (etenim Emma Edwardi Confeſſoris mater Richardi primi Normannorum Ducis erat filia,) & ſimul adoptivo, Martiſque alea devicto Haraldo Godwini Comitis Cantij filio, amplam Gulielmus Dux Normanniæ crevit hæreditatem, & occupavit ſuprema per Angliam gubernacula. Inauguratus *Commilitonibus terras Anglorum, & poſſeßiones affluentiori manu contulit; illud parvum quod remanſerat* (ita Matthæus Paris) *ſub jugo poſuit perpetuæ ſervitutis.* Ex quo cis Normannorum adventum præter ipſum Regem non fuit in Anglia is, qui Allodij, ut loquuntur, jure fundum poſſederit; cum ſcilicet alijs ad unum omnes fiduciarios probe dixeris dominos, ſuperiorem Inveſtituræ auctorem, interpoſita fide, perpetuo agnoſcentes. *Epiſcopatus & Abbatias omnes* (auctor eſt quem dixi Matthæus) *quæ Baronias tenebant, & eatenus ab omni ſervitute ſeculari libertatem habuerant, ſub ſervitute ſtatuit militari, inrolutans ſingulos Epiſcopatus & Abbatias pro voluntate ſua, quot milites ſibi, & ſucceſſoribus ſuis hoſtilitatis tempore voluit à ſingulis exhiberi.* Agraria ad eam formulam lege lata *decrevit ſubjectum ſibi populum* (copiam facit Gervaſius Tilburienſis) *juri ſcripto legibuſque ſubjicere; propoſitis etiam legibus Anglicanis, ſecundum*

Gervaſius Tilb. de ſcacc. cap. 32.

tripa-

triparitam earundem diſtinctionem, hoc eſt Merchenlage (.i. Merciorum lex : huic parebant Comitatus Gloceſtria, VVigornia, Herfordia, VVarwicus, Oxonia, Ceſtria, Salopia & Staffordia) *Danlage* (.i. Lex Danorum, cujus ſequebantur nutum Eboracenſis, Darbia, Notinghamia, Leiceſtria, Lincolnia, Northamtonia, Bedfordia, Buchinghamia, Hertfordia, Eſſexia, Middleſexia, Northfolcia, Suffolcia, Cantabrigia, Huntingdonia) *VVeſtſaxenlage* (.i. Occiduorum Lex Saxonum, ad quam reliquum quicquid erat è XXXII. quot ſolummodo Ethelredo habet Malmesburienſis attinebat, nempe Cantium, Suſſexia, Surreia, Bercheria, Southantonia, VVintonia, Somerſetia, Dorſetia & Devonia (*quaſdam reprobavit, quaſdam autem approbans illis tranſmarinas Neuſtriæ* (Normanniæ ; quam Neuſtriam corrupte pro VVeſtricha, Occidentaliore utpote Francorum regno, & Rolloni à Carolo Simplici in Gillæ filiæ dotem conceſſo antiquitus ferebant) *quæ ad regni pacem efficaciſſime tuendam videbantur, adjecit.* hæc ille à Tilburia. Verum minime apud ſcriptores rarum, Victorem Gulielmum quaſi puram putam novam undiquaque LL. induxiſſe faciem comminiſci. Ædepol in confeſſo oportet eſſe, ſanxiſſe eum nonnullas : (pars in Lambardi Archæonomia, pars hic ſubnexa ;) ſed ita demum ut ab Anglis, potius quam Normannis, ſuam ſortiantur denominationem : probe tametſi dixeris everſum, ſecundum quod diſputant I. Cti, Anglicum Imperium. Adſectaſſe potiſſimum Danorum leges, (eæ à Norwegienſium, quos avito Gulielmus ſanguine contingebat, nequaquam ita diſſimiles) lego Rogeri de Hoveden Annalibus. Imperaturum atque ſe his palam profeſſum : *Quo audito, mox univerſæ compatriotæ, qui leges edixerant, triſtes effecti, unanimiter deprecati, ſunt, quatenus permitteret leges ſibi proprias, & conſuetudines anti-*

antiquas habere: in quibus vixerant patres, & ipſi in eis nati & nutriti ſunt, quia durum valde ſibi foret, ſuſcipere leges ignotas, & judicare de eis, quas neſciebant. Rege vero ad flectendum ingrato exiſtente, tandem eum proſecuti ſunt deprecantes quatenus pro anima Regis Edvvardi, qui ei poſt diem ſuam conceſſerat coronam & regnum, & cujus erant leges nec aliorum extraneorum, exaudiendo concederet ſub legibus perſeverare patrijs. Unde Concilio habito precatui Baronum tandem adquievit. Ex illo ergo die viſa auctoritate veneratæ per univerſam Angliam, corroboratæ, & obſervatæ ſunt, præ cæteris patriæ legibus, leges Edvv. Regis, quæ prius inventæ & conſtitutæ in tempore Adgari avi ſui. At quid ergo? Omnia num ſub Gulielmo nova? Ut potis es non credere? Croulandenſis Abbas. *Attuli mecum de Londonijs meum in Monaſterium leges æquiſſimi Regis Edvvardi, quas D. meus inclytus R. Gulielmus authenticas eſſe, & perpetuas, per totum regnum Angliæ inviolabiliter tenendas, ſub pœnis graviſſimis proclamarat, & ſuis Juſtitiarijs commendarat, eodem idiomate quo editæ ſunt:* Et in vita Fretherici Abbatis S. Albani. *Poſt multas diſceptationes præſente Archiepiſcopo Lanfranco* (Berkhamſtediæ agri Hartfordienſis) *Rex pro bono pacis juravit ſuper omnes reliquias Eccleſiæ S. Albani, tactiſque ſacroſanctis Evangelijs, miniſtrante juramenta Abbate Fretherico, bonas & adprobatas antiquas regni leges, quas ſancti & pij Angliæ reges, ejus Anteceſſores, & maxime R. Edvvardus ſtatuit, inviolabiter obſervare.* Magis autem mirere, quod præfatiuncula ad Normannicas conſuetudines Gulielmus le Noviſſe Alenconienſis. *Hujuſce conſuetudinis Latorem ſive Datorem, S. Edvvardum Angliæ R. teſtatur vulgaris illa Cronica, quæ Cronica Cronicorum intitulatur: ubi de Gulielmo Baſtardo*

Camdenus. *Guil.* le Noville, *Alenconnien.*

Norman-

Normannia Duce alias Anglorum rege loquitur, dicens, quod, cum prædictus S. Edvv. ex ſe liberos hæredes nullos haberet, Gulielmum regni hæredem inſtituit, qui devicto & mortuo Haraldo regni uſurpatore hac conditione regno libere potitus eſt, ut ſcilicet leges prius à præfato Edvv. latas ſervaret, qui quidem Edvvardus leges etiam Normannis dederat, etiam cum Normannia diu fuiſſet enutritus. Ubi tandem iccirco novatio? ſed novationem proculdubio juxta Tilburienſem fuiſſe cenſendum, ratihabitioni admixtam, & cum Panegyrico hic vere nimium proloquare.

Firmatur ſenium Juris, priſcamque reſumunt
Canitiem Leges, emendanturque vetuſta,
Acceduntque novæ. ———

Haſce, cum alijs, quæ merito hoc loci expectanda, en tibi communicatas.

I. *Fecit deſcribi omnem Angliam* (Turba Monachorum æque hic pollent. ſed Florentium Vigornienſem adhibemus nunc teſtem) *quantum terræ quiſque Baronum ſuorum poßidebat, quot carucas, quot villanos, quot animalia, imo quantum vivæ pecuniæ quiſque poßidebat in omni regno ſuo, à maximo uſque ad minimum, & quantum redditus quæque poſſeßio reddere poterat* Breviarium iſthoc imperij in Archiva relatum, *pro ſua generalitate omnia tenementa totius terræ integre continente*, **Domeſday** / Iudicij, quaſi tu dicas, Dies, vocitatum. *Ob hoc* inquit Tilburienſis, *nos eundem librum Iudiciarium nominamus, non quod in eo de propoſitis aliquibus dubijs feratur ſententia, ſed quod à prædicto judicio non licet ulla ratione diſcedere.* Accedat, Lector, ſi faſtidienti tibi ſtomacho non adverſe-

---

Claudian. in 4. conſ. Honorij. **Domeſday.**

tur,

tur, præ vetuſtate mihi non contemnendi Roberti Gloceſtrenſis poëtæ Hiſtorici de hoc libro caſcus hic, & à delicatulis noſtratium Parnaſſijs alienus rhythmus.

The K. W. voꝛ to wite the woꝛth of his londe
Let enqueri ſtreitliche thoꝛu al Engelonde/
Hou moni plou lond/and hou moni hiden alſo
Were in euerich ſire/and wat hij were wurth
    yereto:
And the rents of each toun/& of the waters
    echone/
That wurth/and of woods eke/that there ne
    bileued none/
But that he wiſt hij were wurth of al Enge-
    londe;
And wite al clene that wurth thereof ich under-
    ſtond
And let it wꝛite clene inou/and that ſcrit dude
    iwis
In the Treſoꝛie at Weſtminſter there it yut is.
So that ure Kings ſuth/when hij ranſome toke
And redy wat folc might giue/hij fond there in
    yoꝛ boke.

Præ ſuccreſcente in dies idomatis Anglici politura ſat rude hoc eſt, & plane ſordet. Cæterum nec ſiemus immemores, etiam ipſa dolata Λογοδαιδαλῶν attificia accuratioribus, quæ nondum venere, ſeculis eandem notam, & par infortunium forte ſubitura, &

Multa renaſcentur quæ jam cecidere, ca-
dentque,
Quæ nunc ſunt in honore; ———
uti ille Venuſinus.

Horat. art. Poëtic.

II. *Chirographa chartas vocabant Normanni* (ex Ingulpho loquor) *& chartarum firmitatem, cum cerea impreſſione, per uniuscujuſque ſpeciale ſigillum, ſub inſtillatione* III. *vel* IIII. *teſtium aſtantium, conficere conſtituebant.* At Edwardo Confeſſori ſuum fuit ſigillum, licet etiam à Normannia. Namque ſub eo, *Normanicis introductis, Anglicos ritus dimittere, & Francorum mores in multis imitari, Gallicum idioma omnes magnates in ſuis Curijs, tanquam magnum gentilitium, loqui, chartas & chirographa ſua more Francorum conficere, & propriam conſuetudinem in his & alijs multi erubeſcere* occœperunt Angli, ut idem ſcriptor. Quin, ſi Lelando oculato credendum teſti, fuit & ſuum Magno illi Arthuro; quod ſe utique in Eccleſia VVeſtmonaſterienſi hac vidiſſe inquit inſcriptione. PATRITIVS. ARTHVRIVS. BRITANNIÆ. GALLIÆ. GERMANIÆ. DACIÆ. IMPERATOR. Sed à Normannis extra controverſiam Saxones accepiſſe. Indubitatam conciliant fidem crucibus ſignata & teſtium ſubſcripta nominibus diplomata. Cereo eſſe primum Henricum Belloclericum, auctor eſt I. Roſſus, uſum; Matthæus Cantuarienſis Primum Ædwardum primo diplomatis adpendiſſe, cum nimirum deceſſores ſiniſtro lateri adſigerent. Hujuſmodi Henrici I. in Anſalmi gratiam memorat is ſyngraphum; hujuſmodi & Brianus Tuinus in ſua, pro inclytiſſimæ Oxonienſis Academiæ (Muſæi & Ἐρεισμα῀τος Angliæ, ſummeque mihi æternum venerandæ Matris) Antiquitate, Apologia conſpexiſſe ſe ait, in Honoratiſſimi D. Lumlæi Bibliotheca, Gulielmi Normannorum Ducis breviſſimum ac minutiſſimum. Atqui de Cereo primo, & prima adfixione credat Iudæus apella Franco-

Lelandus. Matth. Cantuar. in Antiq. Eccleſ. Britan. Tuin. apol. ant. Oxon. lib. 1. §. 81.

rum

rum *Cerea* immunera Procerum, (de cereis ut quid dicam) *Aurea* Regum) Annorum nempe qui DC. & DCC. intercedunt) habentur formata ad ſcuta gentilitia, in exemplaribus, quæ Franciſcus *de Roſieres* primo Tomo Stemmaton Ducum Lotharingiæ eſt præfatus. Neque quod ita priſce eis erat in uſu, Normannis potuit non eſſe. Liceat ex antiquo Abendonienſi Regeſto adjicere. *Deſcriptum quoddam Richardus Comes Ceſtrenſis* (florint ſub Hen. I.) *ſigillo matris Ermentrudis ſignare conſtituit, cum (nondum .n. militari balteo cinctus erat) literæ qualibet ab eo directæ materno ſigillo includebantur.* Aſt quid audio? An equeſtri dignitati ſingulare fuit aureorum, ut olim Romæ, Annulorum jus? nam annuli ſigillis potiſſimum (uti ex Ateio Capitone fertur) deſtinati & inſculpti; dicat, qui noverit omnia, Phœbus. Etenim ferrei ſervis (ait ſanè I. Lipſius & ab erutis in Bataviæ notat (& è vulgo militibus ſignatorij, ſive ut Fl. Vopiſci verbo utar, ſigillaricij & plebeis patribus familiarum fuere cum adjuncta clavi ad penum & utenſilia obſignanda. At de priſco ævo ille Atejus, *Nec plus habere quam unum licebat* (annulum inquit) *nec cuiquam niſi liberis quos ſolos fides deceret, quæ ſignaculo continetur; ideo jus annulorum famuli non habebant.* Ad nos me recipio.

III. *Conferebantur primo multa prædia nudo verbo, abſque ſcripto, vel Charta, tantum cum Domini gladio, vel galea, vel cornu, vel cratera, & plurima tenementa cum calcari, cum ſtrigili, cum arcu, & nonnulla cum ſagitta; ſed hæc initio regni Normannici poſterioribus annis immutatus eſt iſte modus;* ut Ingulphus. Et Normanicum hæc ante imperium. Edgari lituus dimidiatim ſectus, & Mona-

Camden. in Ord. Angl. Macrob. ſaturn. l. 7. l. 13. Vopiſc. in Aurelia. Lipſ. ad 2. annal. Tacit. num. 4. Ingulph. Malmesb. lib. 2. cap. 8.

ſterio Glaſconienſi *ad donationis teſtimonium datus* ſiet & hic teſtimonium. Atque Antiquarius Noſter. **Puſey** (Bercherienſis agri) *illi, qui de* **Puſey** *nominati, adhuc tenent per Cornu majoribus olim à Rege Canuto Danico donatum.* Vetus juxta item liber. *Ulphus Toraldi filius Eboracum divertit, & Cornu, quo bibere conſuevit, vino replevit, & coram altari Deo, & B Petro Apoſtolorum principi omnes terras, & reditus flexis genibus propinavit.* Quod Cornu, ait Camdenus, ad patrum uſque memoriam reſervatum fuiſſe accepimus. Quam facilis & apicibus juris ſoluta, videre eſt dominij fuit tranſlatio, ſimul & à perplexantium captioſa malitia, turgeſcentibuſque membranarum faſcibus, & polyptychis libera. Sed nimis ille, Hegeſandri utar licet verbo, Συλλαβοπυσσιλαβήτης etiam eo ævo Godwinus Cantij Comes & quam rota, ut inquit Comicus, figularis verſutior; Da mihi (Archiepiſcopo ait Cantuarienſi) **Boſeham**: *Archiepiſcopus admirans quid ſibi queſtione petijt, ait, do tibi* **Boſeham**. Fiducia Doli continuo prædium Archiepiſc. eo vocabulo in maritumis Suſſexiæ, velut hæreditatem ſine ſacris, adijt, &, *cum teſtimonio ſuorum, Donatorem laudavit Archiepiſcopum coram Rege, poſſeditque pacifice.* Olent (quæ ſupra) Feudorum apud Obertum de Orto inveſtituram, ſolenni vero in transferendo dominio ritui quo vivus ceſpes, creſcentiſve ab antiquo jam nunc exigitur arboris ramuſculus quam diſparia.

IV. *Anglorum Idioma tantum* (rurſum Abbas Croulandenſis) *abhorrebant, quod leges terræ, ſtatutaque Anglicorum regum Gallica lingua tractarentur.* Uſque enim ad XXXVI. A. Ed. III. forenſia negotia diſputabantur Gallice. *Pueris etiam in*

A. CH DCCLXXX. *Guil. Mapæus. Camdenus.*
Lib. feud. 2, tit. 2. *Stat. 36. Ed. III. cap. 15.*

ſcholis principia literarum Grammatica Gallice, ac non Anglice traderentur. Modus etiam ſcribendi Anglicus omitteretur, & modus Gallicus in chartis, & in libris omnibus admitteretur. Tantum hercle erat Gallici ignarum eſſe ſermonis, ut Ulſtanus Vigornienſis præſul, imperante Gulielmo Rufo, hoc maxime nomine indignus, ſua ſpoliatus ſit dignitate, cætera ſatis, ad ætatis illius ἀφιλείαν, doctus. De Gallico charactere ita, quem laudavi, Abbas. *Manus Saxonica ab omnibus Saxonibus, & Mercijs, uſque ad tempus Regis Alfredi, qui per Gallicanos Doctores omnibus literis apprime inſtructus erat, in omnibus chirographis uſitata à tempore domini Regis dicti deſuetudine viluerat, & manus Gallicana, quia magis legibilis, & aſpectu perdelectabilis præcellebat, frequentius indies apud omnes Anglos complacebat.* Veruntamen utut res erat, habitas eſſe patrum memoria, idque à veteri inſtituto, lectiones Anglo-Saxonicæ linguæ in Taviſtocienſi Cœnobio Devoniæ traditur.

V. Ne turbarent novum regnum nocturni tumultus, ſtatuit, ut ad nolæ ſonitum, lumina atque ignium fulgores quolibet in tuguriolo paulo poſt crepuſcula diſparerent.

VI. *Cervum aprum*, (ſic Huntindonienſis, ſed forte *caprum*) *vel capreolum capienti oculi eruebantur.* Matthæus Paris.

VII. *Si aliquis quempiam quacunque de cauſa peremiſſet, capitali* (ſcribit Huntindonienſis) *ſententiæ ſubjacebat*

VIII. *Si aliquam* (ita lego, non *aliquem*, ut in vulgatis) *vi oppreſſiſſet, genitalibus privabatur armis.* Vi? Certe ſic eſt, & mutui amplexus adulter nihilominus hanc forſan dabat; Atque I. C. tiſſ. Albericum Gentilem hic volo audias. *Illud*

Matth. Paris. Polydorus. Couerſeu.

dico, injuriam viro factam majorem, ſi non per vim rapta fuit, at volens & corrupta; quoniam animus alienus viro redditus hic eſt, illic non eſt. V. lib. I. art. XXIX.

Primos jam inducit Polydorus Vicecomites Officiarios, XII-viralis judicii incunabula, lapſus in utroque. Hoc vincit Ethelredi lex Lambardi verborum in explicationibus, & quæ à Cl. V. D. *Edvvardo Coke* Eq. Aur. decretoria feruntur arma Illud quod ex Ingulpho ſuperius, & alicubi ſumus inferius adnotaturi. Poſtulatus in Areopago Mars cædis Halliorothii Neptuni F. (ob ſtupratam Alcippam filiam necuerat) *judicantibus* XII. *Diis*, ſex eſt ſententiis (nam in pari numero damnatio poſtponebatur) abſolutus. Ad antiquiſſ. videlicet alibi, quam apud noſtros, XII mi in judiciis numeri uſum, addo. Bene potuit in Anglia errare Italus: At cujus hæc dari fide nollem indignere.

IX. *Conſtituit ut quater quotanis in multos dies conventus celebrarentur eo loci quo ipſe fieri juberet quibus in conventibus Iudices ſedibus diſcreti forum agerent, juſque populo dicerent.*

X. *Alios inſtituit Iudices, qui ſine provocatione juriſdictionem ac judicia exercerent, à quibus, uti à ſinus Principis, cuncti litigatores eo confluentes jura peterent, & ad eos ſuas controverſias referrent.*

XI. *Præfectos alios conſtituit, qui maleficia vindicanda curarent: Hos Iuſticiarios Pacis nuncupavit.* Quod citerioris ævi nomen eſſe certo certius jure autumaris: & liberant ſcriptorem exterum data hoſpitibus (quippe adverſum quos Buſiridum agere plane barbarum) jura, ne illius in Gentis Anglicanæ hiſtoria gravius imputentur errores.

Alberic. Gentil. de jure bell. lib. I. *cap.* 20. *Aug. de Civit. Dei, lib* 18. *cap.* 10. *Pauſan. Atticis.*
Termes. Juſtices of Peace.

XII. *In primitivo regni ſtatu poſt Conquiſitionem*, (à patribus traditum ait in Scaccarii dialogo Geruaſius Tilburienſis) *Regibus de fundis ſuis non auri vel argenti pondera, ſed ſola victualia ſolvebantur. Ex quibus in uſus quotidianos domus regiæ neceſſaria miniſtrabantur: & noverant, qui ad hoc deputati fuerant, quantum in ſingulis fundis proveniebat. Cæterum ad ſtipendia, vel donativa militum, & ad alia neceſſaria de placitis regni, vel conventionibus, & etiam ex Civitatibus vel Caſtellis, à quibus Agricultura non exercebatur, pecunia numerata ſuccreſcebat. Toto igitur VVillielmi Primi tempore perſeveravit hæc inſtitutio, uſque ad tempora regis* Henrici *F. ejus, adeout viderim ego ipſe* (Gervaſius regnante floruit Henrico II.) *quoſdam, qui victualia, ſtatutis temporibus, de fundis regiis ad curiam deferebant. Certum quoque habebant Officiales domus regiæ, à quibus Comitatibus triticum, à quibus diverſæ ſpecies carnium, & equorum pabula debebantur. His vero ſolutis ſecundum conſtitutum modum cujuſque rei, regii Officiales computabant Vicecomitibus redigentes in ſummam denariorum: pro menſura videlicet tritici ad panem C. hominem ſolidum I. pro corpore bovis paſcualis ſolidum* I. *pro ariete vel ove* IIII. *denarios; pro prebenda* XX. *equorum ſimiliter* IIII. *denarios. Succedente vero tempore, cum idem Rex, in transmarinis & remotis patibus, ſedandis tumultibus bellicis operam daret, contigit, ut foret ſibi ſumme neceſſaria, ad hæc explenda numerata pecunia. Confluebat interea ad Regis Curiam querula multitudo Colonorum, vel quod gravius ſibi videbatur prætereunti frequenter occurſabat, oblatis vomeribus in ſignum deficientis Agriculturæ. Innumeris enim moleſtijs premebantur, occaſione victualium, quæ per plures regni partes à ſedibus proprijs deferebant. Horum igitur querelis inclinatus R. definito magnatum conſilio, deſtinavit per regnum, quos ad id prudentiores & diſcretio-*

ſecretiores cognoverat. Hic circumeuntes, & oculata ſide fundos ſingulos perluſtrantes, habita æſtimatione victualium quæ de his ſolvebantur, redegerunt in ſummam denariorum. De ſumma vero ſummarum, quæ ex omnibus fundis ſurgebat in uno comitatu, conſtituerunt Vice comitem illius Comitatus ad Scaccarium teneri addentes ut ad Scalam ſolveret. Solutionis autem modus, ponderis, & metalli opera Chimica examen, Fuſor, & Miles Argentarius fuſius apud metipſum enarrantur.

XIII. *Ut Cantium, quæ tanquam Angliæ Clavis habetur ſibi firmius retineret* (adſatur Cl G. Camdenus) *Coneſtabilem Caſtro Doverenſi, eundemque Limenarcham V. portubus, ex veteri Romanorum inſtituto, præfecit. Hi ſunt* Haſtings / Dover / Hith / Rumney / & Sandwich / quibus Winchelſey / & Ry *ut præcipua, & alia oppidula ut membra adjunguntur.*

XIV. Gulielmo jam extremam ut imponam manum, ex Archivis haut inter poſtremas cenſendam addo. *VVillielmus Dei gratia Rex Anglorum, Comitibus, Vicecomitibus, & omnibus Francigenis, & Anglis, qui in Epiſcopatu Remigij terras habent, ſalutem.* Remigius hic primus erat, qui Dorceſtria Lincolniam ſedem tranſmiſit Epiſcopalem. *Sciatis vos omnes, & cæteri mei fideles, qui in Anglia manent, quod Epiſcopales leges, quæ non bene, nec ſecundum Sanctorum Canonum præcepta, uſque ad mea tempora in regno Anglorum fuerunt, communi conſilio Archiep. meorum, & cæterorum Epiſcoporum, & Abbatum, & omnium Principum Regni mei emendandas judicavi. Propterea mando, & regia auctoritate præcipio, ut nullus Epiſcopus vel Archidiaconus de legibus Epiſcopalibus amplius in hundredo placita teneant. Nec cauſam, quæ ad regimen animarum per-*

A. M. LXVI. *Inrot. chart. 2. Rich. II. pro decan. & capit. eccleſ. Lincoln.*

tinet,

tinet, ad judicium ſecularium hominum adducant, ſed quicunque ſecundum Epiſcopales leges, de quacunque cauſa, vel culpa interpellatus fuerit, ad locum, quem ad hoc Epiſcopus elegerit & nominaverit, veniat, ibique de cauſa ſua reſpondeat & non ſecundum hundredum, ſed, ſecundum Canones & Epiſcopales leges, rectum Deo, & Epiſcopo ſuo faciat. Comitijs etenim, Saxonico florente Imperio, illis ruſticis Aldermannus & Epiſc. hic ad divina, ille ad humana jura, ut ex Edg. legib. conſtat, intereſſe ſoliti.

Emortuum excepit Gulielmum filius natu ſecundus *Gulielmus* cognomento *Rufus. Omnis jam legum* (Florentius Vigornienſis) *ſiluit juſtitia, cauſiſque ſub juſtitia poſitis, ſola in principibus imperabat pecunia.*

Ipſaque majeſtas auro corrupta jacebat.

XV. Primitiarum, ſive ut vulgo Annatarum, jus quod à vacantibus Cœnobijs & Epiſcopijs Reges noſtri vendicarunt, (vendicabant autem antiquitus Pontifices Romani; Vectigal, quo jure nixum Baſilienſis Synodus, & quali Theologorum atque I C.torum ſententia Franciſcus Duarenus in ſacris Eccleſiæ miniſterijs edocebit) ſuam à Rufo traxiſſe originem vult Polydorus. Meminere certe Chronologi, cum extremum exhalaret ſpiritum, Epiſcopia Cantuarienſe, VVintonienſe, & Sariſburienſe XII. inſuper Monaſteria præſulibus orba fiſco inſeruiſſe.

XVI. *Publico* (idem auctor eſt) *edicto vetuit unumquemque ſine commeatu ſuo ex Anglia egredi.* Vetuiſſe Anſelmum, ne Urbanum PP. inviſeret, legimus; univerſos hoc complexum edicto, quam

---

Leg. Edgar. cap. 5. Petron. Arbit. Baſil. concil. ſeſſ 21. Duaren. de Benef. l. 6. c. 3. vide Platinam in Ioannis xxij. vita.

apud Polydorum, legendo me comperiſſe diffiteor.

XVII. *Venationes* (inquit G. à Malmesburia) *adeo prohibuit, ut capitale eſſet ſupplicium prendiſſe Cervum.*

Diris monſtratum fatis Gulielmum ſecutus eſt frater ejus *Henricus* ob ſingularem, quæ pro regio fuit nomine, eruditionem, *Bello clericus* dictus. Inſtaurando quæ è Iuſtitiæ erant longe lapſa terminis, novas, inauditas & quas exercebat atrociſſimas injurias Ranulphus Dunelmenſis poſtide à Epiſcopus (Is *totius regni erat placitator & exactor*) ſalutaribus molliendo medicamentis incubuit Reipub. Ad Vicecomites reſciſſorias, ut reduce ſcilicet Cives potirentur libertate, dat litteras. Eccarum, apud Matthæum Paris, Apographum.

HENRICVS Dei gratia Rex Angliæ, Hungoni de Borland *Vicecomiti, & omnibus fidelibus ſuis, tam Francis quam Anglicis in* Herefordſyre *Salutem. Sciatis me Dei miſericordia, & communi conſilio Baronum regni Angliæ, regem eſſe coronatum. Et quia regnum oppreſſum erat injuſtis exactionibus: Ego reſpectu Dei, & amore, quem erga vos omnes habeo, Sanctam Dei Ecleſiam liberam facio, ita quod nec eam vendam, nec ad firmam ponam, nec mortuo Archiepiſc. vel Epiſc. vel Abbate, aliquid accipiam de dominio Eccleſiæ, vel de hominibus donec ſucceſſor in eam ingrediatur. Et omnes malas conſuetudines, quibus regnum Angliæ injuſte opprimebatur inde auſero, quas malas conſuetudines in parte, hic pono.*

XVIII. *Si quis Baronum meorum, Comitum, vel aliorum qui de me tenent, mortuus fuerit, hæres ſuus non redimet terram ſuam, ſicut facere conſueverat tempore patris mei, ſed juſta & legitima relevatione relevabit eam: Similiter & Homines Baronum meorum legitima & juſta relevatione relevabunt*

terras

terras de dominis ſuis. Saxonicis paret temporibus *Hereotum* nomine apparatus bellici (*here* .11. exercitus) Dominis tributum; & quod hac noſtra memoria Gallice Relief dicitur (præſtationem ad recognoſcendum dominum ait Henricus à Bractona) veteris Hereoti ferre imaginem. *Conjectura eſt igitur*, ait G. Lambardus, *Normannos victores Anglis victis, omniqueſpoliatos armatura Hereotum remiſiſſe, atque à miſeris pecuniam exegiſſe.* Adſtipulatur quod in Angliæ Notitia de Bercheriæ Provinciæ Nobilibus memoratum. *Tainus, vel Miles Regis Dominicus moriens pro relevamento dimittebat regi omnia arma ſua, & equum unicum cum ſella, & alium ſine ſella. Quod ſi eſſent ei Canes vel accipitres præſentabantur Regi, ut, ſi vellet, acciperet.* Et in antiqua Conradi I. Imp. Germanorum ſanctione. Si quid beneficiaria militi humanitus contigerit, *habeat hæres beneficium, ſervato uſu majorum Valvaſorum in dandis equis, & armis ſuis ſenioribus*, Seniores vulgaribus Hiſpanica, Italica, & Gallica linguis *Dominos* ſonare, idque ab imperio Caroli Mag. in uſu obſervat Joannes Mariana. Verum à Feudiſtis licet hæc uberius.

XIX. *Si quis Baronum, vel aliorum hominum meorum* (ad Henrici Chartam redeo) *filiam ſuam tradere voluerit, ſive ſororem, ſive neptem, ſive cognatum, mecum inde loquatur. Sed neque ego aliquid de ſuo, pro hac licentia, accipiam, neque defendam ei, quin eam det, excepto, ſi eam dare voluerit inimico meo.*

XX. *Si mortuo Barone, vel alio homine meo filia*

Canut. leg, cap. 69. & Ed. Confeſſ. Brach. libr. 2. cap. 35. Εἰσδικλικὸν *in Novell. Leo. 13. Hotomam. verb. Feudal. Releu. Carol. Sigon. de reg. Ital. libr. 8. u. Hotoman. comm. ad 3. lib. Feud. Mariana hiſt. Hiſpan. lib. 5. cap. 11.*

hæres remanſerit, dabo illam cum conſilio Baronum meorum cum terra ſua.

XXI. *Si, mortuo marito, uxor ejus remanſerit, & ſine liberis fuerit, dotem ſuam & maritagium habebit dum corpus ſuum legitime ſervabit, & eam non dabo niſi ſecundum velle ſuum. & terra liberorum cuſtos erit ſive uxor, ſive alius propinquior, qui juſtus eſſe debet.*

XXII. *Præcipio ut homines mei ſimiliter ſe contineant erga filios, & filias, & Uxores hominum ſuorum.*

XXIII. *Monetagium commune quod capiebatur per Civitates, vel Comitatus, quod non fuit tempore Edvvardi R. hoc ne alio modo fiat omnino defendo.*

XXIV. *Si quis Baronum vel hominum meorum infirmabitur, ſicut ipſe dabit vel dare juſſerit pecuniam ſuam, ita datam eſſe concedo; quod ſi ipſe præventus, vel armis, vel infirmitate, pecuniam ſuam nec dederit, nec dare diſpoſuerit, uxor ſua, ſive liberi, aut parentes, & legitimi homines ſui pro anima ejus eam dividant, ſicut eis melius viſum fuerit.* Et Canuti legibus. *Dominus judicio ſuo uxori, liberis, & cognationi proximis juſte diſtribuito.* Nunc autem temporis, & jam diu ſuere eorum, qui inteſtati deficiunt, bonorum, quaſi Diribitores Eccleſiaſtici. Et Ordinarius in ſua quivis Epiſcopus diœceſi Iudex huic rei præeſt. Regio & Magnatum conſenſu Iuriſdictionem hanc & de teſtamentis Eccleſiæ ab olim mandatam, ait in priſca conſtitutione Ioannes Stratfordus Archiepiſc. Cantuarienſis, inque annalibus Iuris noſtri adſeritur. Cæterum, cujus nam Regis tempeſtate, nec ille narrat, nec ego (prout in Provinciali Gulielmus

Canut. cap. 68. 2. Ric h. 3. tit. Teſtament. 4. Lind. provinc Conſtit. de teſtam. cap. ſtatutum. & de immun. eccleſ cap. accidit verb. abolim. Glanuil. lib. 7. cap. 8 C. de teſtam. l. conſulta divalia.

Lind-

Lindwood ſive *à Tiliaceo nemore* fatetur) comperio, Notiſſimum eſt jure explorato, Teſtamenta foro eccleſiaſtico, etiam Hen. II, Rege (teſtis Ranulphus de Glanvilla,) contra quam Divalibus Romanorum conſultis eſt proſpectum, aperiri ſolita. Et ante Ranulphum, ſi eum adeas, forſan videbitur; quamvis, metipſum apud, regium habeas, reſcriptum ad Vicecomitem *quod juſte & ſine dilatione faciat ſtare rationabilem diviſam N.* ideſt ut jure ſuo ope Vicecomitis utatur fruatur legatarius. In callem regredior.

XXV *Si quis Baronum vel hominum meorum forisfecerit, non dabit vadium in miſeria pecuniæ ſuæ, ſicut faciebat tempore fratris, vel patris mei; ſed ſecundum forisfacturæ modum: nec ita emendabit, ſicut emendaſſet retro tempore fratris mei, vel patris.*

XXVI. *Si perfidiæ vel ſceleris convictus fuerit, ſicut culpa, ſic emendet.*

XXVII. *Foreſtas communi conſilio Baronum meorum in manu mea ita retinui, ſicut pater meus eas habuit.*

XXVIII. *Militibus qui per loricas terras ſuas defendunt* (ideſt per fee de Hauberkie ut præſto ſint Dominis loricati aut cataphracti) *Terras dominicarum carucarum ſuarum quietas ab omnibus geldis, & omni proprio dono meo concedo, ut, ſicut tam magno gravamine alleviati ſunt, ita equis & armis bene ſe inſtruant, ut apti, & parati ſint ad ſervitium meum, & ad defenſionem regni mei.*

XXIX. *Lagam Regis Edvvardi vobis reddo, cum alijs emendationibus, quibus pater meus eam emendavit,* Et à Lambardo ſunt æditæ. Hactenus ex Regijs illis & univerſalibus literis.

XXX. *Rapinas Curialium, furta, ſtupra, edicto compeſcuit: deprehenſis oculis cum teſticulis evelli præcipiens.* Suppeditat Malmesburienſis. Verum

Hotom. Feud. Haubertic. in diction.

capite

capite & ſuſpendio Fures (alias quam ſuos voluit lepidiſſimus ſimul ac elegantiſſimus * Thomas ille Morus Utopienſes) plexiſſe, auctores ſunt Florentius VVigornienſis, & Rogerus de Hoveden. Aſt in Malmesburienſis fidem impellor; non Viri ſolum auctoritate, præ cujus roſetis (ſi doctrinam illius ævi trutines) cæteræ turbæ eſt humilis ſalinunca, verum etiam Anonymi Monachi, qui libello de miraculis S. Thomæ Cantuarienſi Eilwardum infimæ ſortis hominem à Kingſweſton in Bercheria recenſet furti, (nempe Ruſticarum par chirothecarum & cotem erat furatus (regnante Hen. II. damnatum; luminibus, & pudendis, pœnas dando, orbatum; ſupplicem ad S. Thomæ cineres, reſtitutionem & non comparentium membrorum facultatumque in integrum eſſe nactum Haut forſan ἐκ τοῦ Δίος Δελτῶν ὁ Μάρτυς. Iphis & Ianthis cum hac contendat fabula, atque illa Cenæi; ad rem noſtram ſcriptor ſatis eſt fidus. Sed primis Normannorum temporibus laqueos video malum Furti. *Abbati ipſius eccleſiæ liceat ubique latronem, vel furem de ſuſpendio liberare, ſi forte ſupervenerit.* Verba ſunt Diplomatis, quicum G. Normannus Monaſterium S. Martino juxta Haſtings in maritimis Suſſexiæ ad expiandam Haraldi cædem ſacravit, & ſingulario circummœnitus eſt jure.

XXXI. *Contra trapezitas, quos vulgo moneterios vocant, præcipuam ſui* (Malmesburienſis iterum) *diligentiam exhibuit, nullum falſarium quin pugnum perderet impune abire permittens, qui fuit intellectus falſitatis ſuæ commercio fatuos irriſiſſe.* Is tamen qui ad Florentium VVigornienſem adnectit ſupplementum, & * Gulielmus Gemeticenſis produnt,

* *Morus in Utopia. lib. 2.* *De mirac. S Thom. ap. F x. hiſt. eccleſ. lib. 4.* * *Guli. Gemetic. de ducib. Norm. lib. 7. cap. 23.*

Monetæ

Monetæ adulteratoribus partes illas, quæ, ad ſpeciei nempe propagationem, Galeno ſunt principes, inſuper prætruncatas. Quibus accedit Hovedenus. *Monetarij*, ſcripſit ille in Henrico I. *jubente rege comprehenſi, dextris amputatis, ementulantur.* Ne ut pote tam nefarij criminis Reo ſpes gentis, aut Reipub. ab ijs, qui ſceleſtos genitorum traducunt mores, reſtaret metus. Laqueo & furcis jam nunc, & ab ævo priſco penſatum hoc læſæ majeſtatis delictum; atque illud etiam non ſolum Anglia ſed ubique ferme Gentium, Furti, maxime Latrocinij, quod ab ijs, inquam, patratum qui lateribus (hinc non Latina modo ſed & ſancta lingua obtinet *Latro* nomen) viatorum ſtruunt inſidias. Et Caſtratio hercle antiquis velut Mors putabatur. Qui vitilia ſibi præciderit (ut Tamudiſtæ qui cœlibatui ſe manciparit) notant homicidam Apoſtolorum Canones, qui alteri, lege tenetur Cornelia de ſicarijs, idque olim apud Anglos.

XXXII. *Statuit, ut nullus obolus,* (Hovedeni verba) *quos & rotundos eſſe juſſit, aut etiam quadrans, ſi integer eſſet reſpueretur.*

XXXIII. *Mercatorum falſam ulnam* (Monachus Malmesburienſis) *caſtigavit, brachij ſui menſura adhibita, omnibuſque per Angliam propoſita.*

XXXIV. *Curialibus ſuis, ubicunque villarum eſſet, quantum à Ruſticis gratis accipere, quantum & quoto pretio emere debuiſſent, edixit. Tranſgreſſores vel gravi pecuniarum multa, vel vitæ diſpendio afficiens.*

XXXV. Allaborat enixe à Pontificijs Anſelmus Cantuarienſis Antiſtes, atque extorquet *de-*

Feſtus & ציר latro, צר latuo Hebraice. Bodin. de rep. lib. 6. cap. 6. Diſt. 55. cap. 4. ff. Ad leg. Corn. de ſicar. lib. 4. §. ult. Bract. lib. 3. tract. 2. cap. 23. & Stamf. plac. Coron. lib. 1. cap. 38.

mum

mum ut ab eo tempore in reliquum (fertur poſt alios in Florilego) *nunquam per donationem baculi paſtoralis, vel annuli quiſquam de epiſcopatu, vel Abbatia per regem, vel quamlibet laicam perſonam inveſtiretur in Anglia*: (adjungas ex Malmesburienſi) *retento tamen Electionis, & regalium privilegio.* Acris de hac re inter Regem & Anſelmum dimicatio; nec non Paſchalem & Calixtum PP. PP. inter & Henricum, ſub id tempus, Imperatorem. Suo Utrique ſaltem adſimulantes ceſſerunt jure; Scenæ noſter pro re nata inſerviens. Nam denato ſuffectum Anſelmo Rodulphum *per annulum & baculum paſtoralem inveſtivit.*

XXXVI. Nocturnas faces, quam Primus Gulielmus vetuerat, reſtituit; quippe cui jam firmato regno minus formidandas

XXXVII. Ad conflandam Matildæ Regiæ filiæ, Henrico Imperatori diſponſatæ, dotem, III. Solidorum *Hida* pendebat unaquæque vectigal. *Secuti* (commentus eſt hic Polydorus) *ſunt iſtud inſtitutum quærendarum dotium, ad collationem filiarum cæteri deinde reges; adeo poſteritas ſuorum commodorum tenax ſemper fuit.* Subſidiariæ ad locandis Dominorum filias pecuniæ à beneficiarijs numeratæ jus vetuſtiorem repetere originem, vix hærendum. Neque à Romuli patronorum & Clientum mutua neceſſitudine, aut Suetonij Caligula vellem; à priſcis Normannorum potius Conſuetudinibus Henrico antiquioribus. Ubi triplex illud *Auxilij* nomine Tributum explicatur, quod in publicæ libertatis gratiam diploma à Joanne Rege datum his memorat verbis. *Nullum Scutagium, vel auxilium ponam in regno noſtro, niſi per commune conſilium regni noſtri; niſi ad corpus noſtrum redimendum, & ad primo genitum filium noſtrum mi-*

Stovaus & vid. Malmesb. lib. 5. de geſt. reg. fol. 88.

𝔄𝔦𝔡𝔢𝔰. *litem*

litem faciendum, & ad primogenitam filiam noſtram ſemel maritandam.

XXXVIII. Henrico adſcribunt nonnulli legem, quam *Curtoiſé d' Angleterre* dicunt I. C. ti. Hac Vir ſuſcepta prole conjugis demortuæ heredijs fruitur, in humanis ſcilicet dum egerit.

XXXIX. Suas afflictis Naufragis reſtitui ſanxit res, ſi quod in periclitante navi animal Neptuni evaſerit furorem. Fiſco nempe antidhac adquiſitum, quicquid infortunio naufragij in littore expoſitum; extra quam ratem ipſi, Stato tempore, refecerant naufragi ſuperſtites. Ita Chronica Monaſterij S. Martini de Bello. Jus dicitur hoc *VVreccum*, ſi mavis *Varechum*, mares. Juri quo concors modo Gentium minus quæro. Antiquior ille mos quaſi Concors Normannicæ Conſuetudini. Ad emendatius Henrici Exemplum jam nunc Forenſes noſtri (idque recentior Ed. I. lex) definiunt. Cenſent & inter antiquiſſimos regni mores. Fruſtane ideo ſtatuit *Richardus*, an retulit Hovedenus? *Si in navi mortuus fuerit naufragus, filij, vel filiæ, fratres, vel ſorores ejus habeant res ſuas, ſecundum quod oſtendere poterunt ſe eſſe propinquiores illius hæredes. Vel ſi defunctus nec filios, nec filias, nec fratres, nec ſorores habuerit Rex catalla ſua habeat.* An Meſſanæ quod in procinctu edixit tempore terminatum aut loco exiſtumes? Certe in Archivis alias tantundem.

XL. Vt Balduini Comitis Flandrenſis, & Ludovici Franciæ Regis (qui militari ſe manu prærepturos Henrico Normanniæ Ducatum mutuis ad invicem obſtricti cum Andegavenſe juramentis conſpiraſſent) impetus nervoſo ſuſtineri poſſet exercitu, *primum omnium populo impoſuit* (Polydorus adſerit) *grave tributum, cauſa novi belli ge-*

Spec. Iuſt. cap. des articles. &c. Wrecke. *Lamb. Itinerar. Canc. VVeſt.* 1. *c.* 4. *Pat.* 46. *Ed.* 3.

rendi,

rendi, quod apud poſteriores reges in conſuetudinem venit. Poſtremus è virili ſtirpe fuit is Normannorum, & quoad ſuſcepti rationem operis de eo poſtremum hic agimus.

Ancilibus, uti olim, niſi conditis Hymenæus, ita, præterquam repoſitis armis, leges ſilent. Iſthanc, ſi unquam alias, regnante *Stephano* Bleſenſi Comite ex Adela ſorore Henrici Nepote uſquequaque ſenſit Anglia antipathiam. Nec regnandi ſolum cauſa jus idque jurandum violavit, ſed etiam ſalutatus, ab ijs qui Matildæ germanæ Henrici hæredi perfide adverſabantur, Rex aucto imperavit ſcelere. Etenim *omnia ita perperam mutavit, quaſi ad hoc tantum* (Malmesburienſis loquitur) *juraſſet, ut prævaricatorem ſacramenti ſe regno toti oſtenderet.* Verum an ut ille

——— *periuros merito perjuria fallunt?*

Tralatitia ſunt in quæ juravit, & quibus genitorum magis habentur rata, quam conceduntur nova. Attamen nec deſunt, & quæ tranſcriptu digna.

XLI. *Caſtella per ſingulas provincias* (Nubrigenſis tradit) *ſtudio partium crebro ſurrexerant; erantque in Anglia quodammodo tot reges, vel potius tyranni, quot Domini Caſtellorum, habentes ſinguli percuſſuram proprij numiſmatis, & poteſtatem ſubditis regio more dicendi Iuris.* Dilaceratum planiſſume regnum, & majeſtatis jus, quod à cudendis nummis haut minimum ſibi conciliat ſplendoris. Pernoverim licet ante Normannos urbe Roffenſi, Cantuaria, alijſque in civitatibus & oppidis fuiſſe Archimandritis & Epiſcopis jure privilegij monetæ percuſſores.

XLII. Proximus à Rege præfuit Theobaldus Cantuarienſis Archiepiſcopus concilio Londinenſi, (interfuere & regij Proceres) *quod novis*

Ovid. Art. am. l. 1. V. Leg. Athelſtan. 14.

appel-

appellationibus infrenduit. In Anglia namque (Henricus ait Huntindonienſis) *appellationes in uſu non erant, donec eas Henricus VVintonienſis epiſcopus, dum legatus eſſet, malo ſuo crudeliter intruſit.* Quæ itaque Cardinalis Bellarminus, de Arcadica iuris œcumenici Provocandi ad Romanum Pontificem ætate, à Sardicenſi auſpicatus ſynodo conſcripſit, noſtrum hoc regnum multis paraſangis facto neutiquam videntur attigiſſe.

XLIII. *Tempore Regis Stephani* (Policratico Joannis Sarisburienſis) *à regno juſſa ſunt leges Romanæ. quas in Britanniam Domus venerabilis Patris Theobaldi Britanniarum Primatis aſciverat. Ne quis libros etiam retineret, edicto regis prohibitum eſt.* Siquidem leges Imperij intellexeris (ego magis Pontificia decreta) non ita abs re fuerit ex tabulis Parlamentarijs iſta recentioris ævi adnectere. Accuſatis (in Ordinum comitijs à Richardo Burdigalenſi habitis, (*quæ ſtupenda dicuntur effeciſſe*) Alexandro **Nevill** Cantuarienſi antiſtite, Roberto **Vere** Duce Hiberniæ, Michaele **Pole** Comite Suffolciæ, Thoma Duce Gloceſtrenſi, Richardo Comite Arundeliæ, Thoma *de Bello-campo* Comite VVarwicenſi, alijs, quod induti adminiſtrationem Regni facilem regis delinendo adoleſcentiam mutuas in privatam rem præ publica traderent operas, ipſam rerum ſummam pæne interverſuri; Conſuluntur Iuris noſtratis periti & Civilis Romanorum, de accuſationis formula; quam uno reſpondent ore LL. normæ eſſe diſparem; At vero excipiunt Parlamenti Barones, ſe ſua auctoritate nullis adſtrictos legibus dijudicaturos, nec Romani Iuris ductos apicibus PVR. CE.

Bellarmin. lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 21. Policratic. lib 8. cap. 22. **The Parlament that wrought wonders.** *Rot. Parlam. 11. Rich. 2.*

QVE.

QVE. LA. ROIALME. D' ANGLETERRE. N' ESTOIT. DEVANT. CES. HEVRES. NY. A. L'ENTENT. DE. NOSTRE, DIT. SEIGNEVR. LE. ROY. ET. SEIGNEVRS. DY. PARLAMENT. VNQVE. NE. SERRA. RVLES, NE. GOVVERNES. PER. LA. LOY. CIVILI & Rei pœnis addicuntur exilij. Sed hic Stephano terminus.

Ceſſit ille morti. Avitæ ſe hæreditati ſero demum immiſcuit *Henricus* Galfredi Plantageniſtæ Comitis Andium & Matildæ Aug. Filius. Exciſis & ſolo complanatis, quæ numeroſe ad M. C. XV. Stephano Rege conſtructa fuerant caſtellis, & in ſuos cancellos jure Majeſtatis redacto, Avi leges firmavit. Porro *Clarendonæ* (agro in VViltonienſi juxta Sariſburiam) *præſidente Iohanne de Oxonia, de mandato ipſius Regis, præſentibus etiam Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus & Proceribus regni*, recognoſcuntur aliæ, totis primum viribus ſerram reciprocantibus, hac regijs, illac Pontificijs, qui minime ſibi competens ſeculare forum cauſſificabantur prætexentes immunitatis privilegia. Aſt in caſſum. Nam hujuſcemodi ſonuere conſtitutiones.

XLIV. *De advocatione, & præſentatione Eccleſiarum ſi controverſia emerſerit inter laicos, vel inter laicos & clericos, vel inter clericos, in Curia domini R. tractetur & terminetur.*

XLV. E*cleſiæ de feudo D. Regis non poſſunt in perpetuum dari abſque aſſenſu & conceſſione ipſius.* Et Saxonica ætate hæredia, niſi impetrata Regis gratia, Cœnobijs addicere nequaquam fuiſſe videtur fas: liber enim antiquus Abindonienſis. *Quidam miniſter Ethelredi regis, dictus Vlfricus* Spot *conſtruxit Abbatiam de* Burton/ (in provincia

Camdenus. A. CIↃIV.

Staffor-

Staffordienſi) *deditque ei omnem hæreditatem paternam appreciatam* DCC. *libris* : *&* , *ut hæc donatio rata haberetur, dedit Ethelredo regi* CCC. *Mancas auri pro ejus confirmatione, & unicuique Epiſcopo V. Mancas, inſuper Alfrico Archiepiſcopo Cantuariæ villam Dumbletonam.*

XLVI. *Clerici rectati, & accuſati de quacunque re, ſummoniti à Iuſtitia regis veniant in curiam ipſius, reſponſuri ibidem de hoc, unde videbitur quod ibi ſit reſpondendum: ita quod Iuſtitia regis mittat in Curiam S. E. ad videndum qua ratione ibi res tractabitur.*

XLVII. *Si Clericus convictus, vel confeſſus fuerit, non debet eum de cætero Eccleſia tueri.*

XLVIII. *Archiepiſcopis, Epiſcopis, & perſonis regni non licet exire regnum abſque licentia D.R. & ſi exierint, ſi regi placuerit, aſſecurabunt eum, quod nec in eundo, nec in redeundo, vel moram faciendo, perquirant malum ſive damnum D. Regi.* Huc referas, an cum Polydoro ad Rufum an poſteriora ad tempora reſcriptum quod in Regeſto, NE EXEAS REGNVM, habetur, haut ita multum intereſt, nec quæſtionem accurare pretium erit operæ. Quis enim in τοῖς tam ἀδήλοις verum potis eſt elicere? Nec ad inacceſſa abutor otio.

Anſit & hic dubito, ſed & hic tamen auguror eſſe.

Ex Ioannis Magna, quam perhibent, Charta & componas tu hanc obrogationem. *Liceat unicuique de cætero exire de regno noſtro, & redire ſalvo, & ſecure per terram, & per aquam, ſalva fide noſtra, niſi in tempore guerræ per aliquod breve tempus propter communem utilitatem regni; exceptis impriſonatis, & utlagatis ſecundum legem regni, & gente*

Metamor 10.

contra

contra nos guerrina, & Mercatoribus, de quibus fiat ſicut ſupradictum eſt. Ad Henricum rebito.

XLIX. *Excommunicati non debent dare vadium ad remanentiam, nec præſtare juramentum, ſed tantum vadium & plegium, ſtandi judicio Eccleſiæ ut abſolvantur.*

L. *Laici non debent accuſari niſi per certos & legales accuſatores & teſtes, in preſentia Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, ita quod Archidiaconus non perdat jus ſuum, nec quicquid quod inde habere debeat.*

LI. *Si tales fuerint qui culpantur quod non velit, vel non audeat aliquis eos accuſare, vicecomes requiſitus ab eo faciat jurare XII. legales homines de vicineto, ſeu de villa coram Epiſcopo, quod inde veritatem, ſecundum conſcientiam ſuam, manifeſtabunt.*

LII. *Nullus qui de Rege tenet in Capite, nec aliquis dominicorum miniſtrorum ejus excommunicentur, nec terræ alicujus eorum ſub interdicto ponantur, niſi prius D. Rex, ſi in terra fuerit conveniatur, vel Juſtitia ejus, ſi fuerit extra regnum, ut rectum de ipſo faciat, & ita ut quod pertinebit ad regiam Curiam ibidem terminetur, & de eo quod ſpectabit ad Eccleſiaſticam Curiam ad eandem mittatur, & ibidem tractetur.*

LIII. *De appellationibus; ſicubi emerſerint, ab Archidiacono debent ad Epiſcopum, & ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum, & ſi Archiepiſcopus defuerit in Juſtitia exhibenda ad D. R. perveniendum eſt poſtremum, ut ipſius præcepto in Curia Archiepiſcopi terminetur controverſia, ita quod non debet ulterius procedere abſque aſſenſu D. Regis.* Hac jampridem uſus eſt V. CL. D. *Ed. Coke*, Eq. Aur. ad juriſdictionem Regis Eccleſiaſticam, ceu non arrogatam recenter, adſtruendam.

LIV. *Si calumnia emerſerit inter Clericum & Laicum, vel inter Laicum & Clericum de ullo tene-*

---

v. Rog. Hoveden. *fol.* 303. *Co. præfat. ad l. 6.*

mento, quod Clericus ad Eccleſiam velit attrahere. Laicas vero ad Laicum feudum, recognitione XII. *legalium hominum, per Capitalis Iuſtitiæ Regis conſiderationem, terminabitur, utrum tenementum ſit pertinens ad eleemoſynam, ſive ad feudum laicum coram ipſa Iuſtitia Regis. Et ſi recognitum fuerit ad eleemoſynam pertinere, placitum erit in curia Eccleſiaſtica, ſi vero ad laicum feudum, niſi ambo tenementum de eodem Epiſcopo, vel Barone advocaverint, erit placitum in Curia Regia. Sed, ſi uterque advocaverint de feudo illo eundem Epiſcopum vel Baronem, erit placitum in Curia ipſius; ita quod propter factam recognitionem ſeiſinam non amittat, qui prius ſeiſitus fuerit, donec per placitum diſrationatum ſit.*

LV. *Qui de Civitate, vel Caſtello, vel Burgo, vel Dominico manerio D. R. fuerit, ſi ab Archidiacono, vel Epiſcopo ſuper aliqua delicto citatus fuerit, unde debeat eis reſpondere, & ad citationes eorum ſatisfacere noluerit, bene liceat eum ſub interdicto ponere, ſed non debet excommunicari.* (Excommunicationem, quæ major dicta, à communione fidelium ſubmovere, interdictum à divinis officijs & Sacramentorum uſu tantummodo, ut minorem excommunicationem, ſeparare ex Pontificio jure opportunum adnoto) *priuſquam Capitalis Iuſtitia D. Regis villæ illius conveniatur, ut juſtitiet eum ad ſatisfactionem venire, & ſi Iuſtitia Regis inde defecerit, ipſe erit in miſericordia D. R. & exinde poterit Epiſcopus eum accuſatum Eccleſiæ juſtitia coërcere.*

LVI. *Archiepiſcopi Epiſcopi, & univerſæ perſonæ regni qui de Rege tenent, in Capite, & habent poſſeſſiones ſuas de D. R. ſicut Baroniam, & inde reſpondent Iuſtitijs & miniſtris Regijs, faciunt omnes rectitudines & conſuetudines regias, ſicut Barones cæteri, debent intereſſe judicijs Curiæ D. R. Baronibus ſuis uſque ad diminutionem membrorum vel ad mortem.*

LVII. *Cum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

LVII. *Cum vacaverit Archiepiſc., vel Epiſcop., vel Abbatia, vel prioratis de dominio R. debet eſſe in manu ipſius, & inde percipiet omnes reditus & exitus ſicut dominicos: &, cum ventum fuerit ad conſulendum Eccleſiæ, debet. D. Rex mandare potiores perſonas Eccleſiæ, & in Capella ipſius regis debet fieri electio aſſenſu D. R. & conſilio perſonarum regni, quas ad hoc faciendum vocaverit, & ibidem faciet electus homagium, & fidelitatem D. Regi, ſicut ligio D. de vita ſua, & membris, & de honore ſuo terreno (*SALVO ORDINE SVO*) priuſquam ſit conſecratus.*

LVIII. *Si quiſquam de proceribus deforciaverit Archiepiſcopo, Epiſcopo, vel Archidiacono de ſe, vel de ſuis, juſtitiam exhibere, Rex debet juſtitiare.*

LIX. *Si forte aliquis deforciaverit domino R. rectitudinem ſuam, Archiepiſcopus, Epiſcop. & Archidiaconus debent eum juſtitiare, ut regi ſatisfaciat.*

LX: *Catalla eorum qui ſunt in foris-facto regis non detineat Eccleſia vel cœmiterium contra juſtitiam regis, quia ipſius regis ſunt, ſive in Eccleſijs, ſive extra fuerint inventa.*

LXI. *Placita de debitis, quæ fide interpoſita debentur, vel abſque interpoſitione fidei ſint in curia regis.*

LXII. *Filij Ruſticorum non debent ordinari abſque aſſenſu domini, de cujus terra nati dignoſcuntur.*

Diſcrepant nimium, fateor, ab his conſtitutiones Clarendonenſes in Matthæi Paris majori hiſtoria æditæ, eas dico mutilatas, & nonnullibi fatiſcentibus interſtitijs, deſiunctis commiſſuris, & inverſo ſermone depravatas, quarum infortunium incuriæ librariorum adſcribo. Vindicatas autem, ut videre hic licet, & redintegratas calx libelli M. S. vulgo Quadrilegi (Vita nempe eſt Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi, ex Huberto de Boſ-

ſcham/

ſeham / Ioanne Sarisburienſi, VVillielmo Cantuarienſi, & Alano Abbate Theocesburienſi in unum volumen digeſta) nobis impertivit. Diſſidia Regem inter & Thomam Cantuarienſem hinc oriunda non eſt hujuſce perſtringere inſtituti; hiſtorici ſatis propalant. Liceat interim Poëtam noſtrum Gloceſtrenſem in ſcenam redire, & æquis excipiantur auribus priſci idiomatis verſus, rem quam præ manibus habemus complexi.

No man ne might thenche the loue that there
was
Bitwene the K. H. and good man S. Thomas;
The diuel had enui therto / and ſed bitiven
them feu /
Alas / alas thulke ſtond / vor all to well it
greu.
Vor there had ere ibe kings of Luther dede |
As W. Baſtard / and his ſon W. the rede.
That Luther lawes made inou / and held in al
the lond
The K. nold not bele the lawes that he fond /
Ne that his elderne hulde / ne the godeman
S. Thomas
Thought that thing age right neuer law nas /
Ne ſothnes and cuſtom mid ſtrength vp ihold /
And he wiſt that vre dere Lourd in the Goſpel
told
That he himſelfe was ſothnes / and cuſtum
nought /
Theruoꝛe Luther cuſtumes he nould graent
nought.
Ne the K. nould bileue that is elderne ad ihold /
So that conteke ſpꝛung bituene them manifold.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

The K. drou to right law mani Luther cu-
ſtume/
S. Thomas they withſed / and granted ſome.
The Lawes that icholle now tell he granted
vawe.
Zuf a yuman hath a ſone to clergi idraw
He ne ſall without is lourdes icrouned nought
be.
Vor yuman ne mai nought be made agen is
lourds will free.

Nativos, ſeu glebæ adſcriptitios ille Yumen indigitat. Nos ingenuos plebeios, ſimul & ſervos, velut ignobilitatis nota, Yeomen: & qui ex eo ſunt numero Mariti Goммen: (Gommam enim, non Goodman / ut vulgus: veteres Teutoni virum conjugem vocitabant:) Voces, mihi ut perſuaſſimum, ex Latinorum *Homines* fictæ, quod ipſum Ennio & Feſto Opſce *Hemones*, & lingua noſtra propius adeſt Poëtæ ſane, & ipſi ἐτύμῳ valde adſtipulantur quorundam Juriſconſultorum noſtratium placitum *Homines* & *Nativos* antiquis litigantium inſtrumentis æquipolentia (ſed male) ſentientium. Clarendonenſes *Ruſticos*, quos iſte Yumen / nuncupant: & *Ruſtici* ac *Villani* (ij Anglis ſervi) antiquitus ſynonyma. Quod enim Henricus *Londres* Archiepiſcopus Dublinenſis *Ruſticorum Tenentium chartas* ſubleſta fide flammis da-

40. aſsiſ. pl. 21. & 32. Ed. 3 tit. Barre 261. Homines, & qui ad hominium adſtricti conjugata. Cujacius l. 1. obſervat. cap. 14. & ἀνδράποδον. mancipium inverſa notationis ſententia. Euſtath. ad Iliad. 8. Annal. Hibern M. CC. XII. *ſub Hen. 3. Malmesb. lib. 2. de geſt. reg. cap. 8. & Ingulphus fol. 519. Malmesb. 1. geſt. Pontif.*

mnarat,

mnarat, *liberi tenentes vocabant eum*, ut annalibus legitur in Hibernicis, **Scorchvillein** quaſi tu dicas Villanorum incendiarium. Intempeſtivum nec duxerim hoc loci comminiſci hallucinatum Thomam Spottum Monachum Cantuarienſem, qui privæ ſervitutis Anglos ante Normannorum victoriam ſcribit neſcios. Convincitur enim cum ex Ancilla Andeverenſi Regis Edgari amaſia, tum ex obſignatis Inæ LL. tabulis, & quibus nimirum Toraldus **de Bukenhale** VValgatum Croulandenſem Cœnobiarcham donavit, inque iis quamplurimis ſervis, *cum totis ſequelis ſuis*. Habe, & ex Londinenſi ſynodo, præſide Anſelmo, (cum nempe de ſervis hic mentio) *Ne quis illud nefarium negotium quo hactenus in Anglia ſolebant Homines, ſicut bruta animalia, venundare deinceps præſumant.* Sed inverecunde Poëtam interpellamus; in eum eſt redauſpicandum, reſolvit iterum ora.

Another thing he granted eke as ye mow nouiſe;
Yuf a man of holi Chirch hath eni lay fee.
Parſon / other what he be / he ſſall do thernoȝe
Kings ſeruice that there valth / that is right ne be voȝloȝe /
In plaiding and in aſſiſe be and in iudgement alſo.
Bote war man ſſall be bilemed / other to deth ido.
He granted eke yuf eni man the Kings traitoȝ were /
And eni man is chateur to holi chirch here
That holi chirch ne ſolde nought the chateur there let
That the K. there other is as is owne is ne wette.

Voꝛ all that the felon hath the Kings it is
And eche man mai in holi church is owne take iwis.
He granted eke that a chirche of the Kings fe
In none ſtede ene and euer ne ſſold igiue be
As to hous of religion / without the Kings leue /
And that he other the patron the gift firſt gaue.
S. Thomas granted well theſe and other mo
And theſe other he withſede that did him well woe.
I. Yuf bituene twei leud men were en ſtriuing /
Other bituene a leud and a clerk / foꝛ holi chirch thing
As voꝛ vouſon of chirch whither ſhol the chirch giue /
The K. wold that in his court the ple ſſold be dꝛiue ;
Voꝛ as much as a leud man that the o parti was
Thanliche was vnder the K. & vnder no biſhop nas.

Quod hic noſter Leudemen / vulgo Iuris interpretes & noſtri & Canonici *Laicos*. Leudes enim (ut Δίος deductus apud Cæſarem Germanicum ad Arati phænomena poſt Pindarum ἄπο τοῦ λᾶος, id eſt, *Lapis* durum genus hominum & promiſcuum denotat) gregem imperitam ſonat, multitudinem, & qui ad ſacra non electi. Fuſe iſtud in Poliorceticis Iuſtus Lipſius Leodij Eburonum Metropolis ſcrutando orignationem. Ad

Cæſ. Germ. ad Arat in Aquario. Pindar. Olymp. 9.
Lipſ. Poliorcet. lib. 1. *diſſert*, 2.

noſtram

noſtram quod attinet linguam comprobant I. Gowerus, & Galfredus Chaucerus inſtauratores ejuſdem metrici: ita Galfredus

No wonder is a leude man to ruſt
If a Prieſt be foule on whom we truſt.

Veruntamen literaturæ expertem, quam ſacris nondum initiatum ſignificare docet, quod is alibi

This euery leud Vicar and Parſon
Can ſay ——————————— &, *tam laicos*, *quam literatos* habet Petrus Bleſenſis, alij. Atqui, non conſulat mali Chaucerus quod Gloceſtrenſibus hic cedat Muſis.

II. Another was that no clerc / ne biſhop nath mo /
Ne ſſolde without Kings leue out of the lond go.
And than hij ſſolde ſuere up the boke ywis.
That hij ne sold purchas no uvel the K. ne none of is.
III. The thrid was yuf eni man in mauſing were I brought /
And suth come to amendment / ne age were nought
That he ne ſuore vp the bot / ac borowes ſind ſolde
To ſtand to that holy Chirch there of him toky wold.
IIII. The verth was that no man that of the K. huld ought
In theiſe or in eni ſeruiſe in mauſing were ibrought /

Chauc. in Prolog. & apparitoris fabula. Pet. Bleſenſ. app. ad Ingulph.

Bote the wardeins of holy chirch that brought him thereto/
The K. ſede or is bailifes wat he ad miſdo/
And loked verſt were thei to amendment it bring/
And bote hij wolde by their leue do the mau-ſing.
V. The vift was/ that biſhoprikes and Ab-beis alſo
That vacans were of prelas in the K. hand were ido/
And that the K. ſold all the land as is owne take/
Vort at laſt that him luſt eni prelat there make.
And than thulke prelat ſould in is chapel icho-ſe be.
Of is clarkes which he wuld to ſuch prelate biſe.
And than wan he were ichoſe in is chapel right yere/
Homage he ſolde him do ar he confirmed were.
V.I. The ſixt was yuf ene play to chapitle were idraw/
And eni man made is apele / yuf me dude him vnlaw/
That to the Biſhop from Ercedeken is appele ſold make/
And from Biſhop to Arcebiſſop and ſuch none other take/
And but the Ercebiſops court to right him wold bring/
That he ſold from him be cluthe biuore the King.
And from the K. non other mo ſo that attan end.

Plaining of holi chirch to the K. ſhold wend.
And the K. amend ſolde the Ercebiſſops dede.
And be as in the Popes ſtude, and T. Tho-mas it with ſede.
VII. The ſeuethe was that plaiding that of det were
To yeld wel thoru truth iplight / and nought ihold nere
Althei thoru truth it were / that ple ſold be ibrought
Biuore the K. and is bailies and to holy chirch nought.
VIII. The eigth that in the lond citation none nere
Thoru bull of the Pope of Rome / and clene vilened were.
IX. The nithe was that Peters pence that me gadereth manion /
The Pope nere nought on iſend / at the K. echone.
X. The tethe was yuf eni Clarke as felon were itake /
And vor felon iproued and ne might it not for-ſake /
That me ſold him verſt diſordein and ſuth thoru there law /
And thoru iudgement of the land hong him other to draw.
Vor theſe and vor other mo the Godeman S. Thomas
Fleu verſt out of England and the imartred was /
Vor he ſei there nas bote o way other he muſt ſtiffe be /
Other holy chirch was iſent / that of righ was ſo fre.

In leges, quas indicavi Clarendonenſes, vocato in concepta verba Deo, Ordines regni (*Baronagium*) jurarunt, & cum eis Præſul Cantuarienſis. Miſſi ad Alexandrum III. PP. legati, ut fieret atque is fundus, ſanciretque firmatas. Verum hoc tantum abfuit, ut non cleri duntaxat nimio derogatum prætenderet immunitati, aſſenſumque prorſus detrectaret, ſed ſoluto etiam, impetrante Thoma, quo obſtrictus erat ligamine velut impias, & S. E. adverſas damnaret. Henricus quam primum reſciverit iniquiſſimo, uti par erat, tulit animo, in Romani fori inſolentiam, & Cantuarienſis perfidiam meritiſſumo graviter infrendens. Mandatæ confeſtim Provinciarum Vicecomitibus literæ; *Si aliquis Clericus, vel Laicus in ballivis ſuis Romanam Curiam appellaverit, eum capiant, & firmiter teneant, donec voluntatem ſuam Rex præcipiat: & omnes redditus clericorum Archiepiſcopi, & poſſeſſiones ſaiſiant in manum regiam, & omnium clericorum, qui cum Archiepoſcopo ſunt, patres, matres & ſorores, nepotes, & neptes ponant per ſalvos plegios. & catalla eorum, donec voluntatem ſuam rex præcipiat.* Ex Matthæo Paris ſum loquutus. Pœnam vides hic, ubi non eſt noxia, Propinquos, adfines, conſanguineos pertingit. In divergente poſt Auguſtum Romano imperio minime ratum. *Atqui peccata ſuos teneant auctores* (reſcripſit Eutychiano Præf Præt. Arcadius & Honorius AA.) *nec ulterius progrediatur metus, quam reperittur delictum.* Anglis jus uſitatiſſimum, quo, præter adempta ſanguinis & Nobilitatis jura civilia, atrociſſimis à parentum ſceleribus Capite deminutorum nulli ſubeunt poſteri, aut gentiles pœnas. Sed & in, quas memoravi, literis, minabatur.

LXIII *Si quis inventus fuerit ferens literas*

C. de pœnis l. 21. ſancimus, v. Canut. leg. 74.

D. PP., vel mandatum, aut Thomæ Archiepiſcopi continens interdictum Chriſtianitatis in Anglia, capiatur, & retineatur, & de eo ſicut de Regis traditore & regni) Teſtis adſtat Rogerus de Hoveden) *ſine dilatione juſtitia fiat.*

LXIV. *Londinenſis, & Norvvicenſis Epiſcopi ſummoneantur, ut ſint coram Iuſtitiarijs R. ad rectum faciendum, quod contra ſtatuta regni interdixerunt terram Comitis Hugonis, & in ipſum ſententiam anathematis intulerunt.* Hugonis Bigod Nortfolciæ Comitis.

LXV. *Denarij S. Petri colligantur & cuſtodiantur.* Tributum erant ij (ſive eleemoſyna) ab Ina Occiduorum Saxonum Rege primo conceſſum; Kl. Aug. quotannis exigendum à quotquot *habuerint XXX. denariatus* (uti legibus habetur Confeſſoris) *vivæ pecuniæ in domo ſua.* Vſque ad Henrici VIII. liberum & à Pontificia tyrannide vindicatum imperium (id circa tempus, hoc nomine fuit in Anglia Quæſtor Polydorus Vergilius) ſtata tempeſtate ſoluebantur. Antiquam eorum ex reſcripto Gregorij PP. ad Archiepiſcopos Cant. & Ebor Edwardo II. Rege viſum eſt enarratiunculam adponere.

Sterlingor. lib. Solid.	Dioces. lib. Solid. den.
Cantuar. vij xviij	*Winton. xvij. vi. viij.*
Londinenſ. xvi x.	*Exon ix. v.*
Roffenſ v. xij.	*Wigorn. x. v.*
Norwicenſ. xxi x.	*Hereford. vi.*
Elienſ v	*Bathon. xij. v.*
Lincoln. xlij.	*Eboracenſ. xi. x.*
Coventrenſ. x. v.	*Saliſburienſ. xvij.*
Ceſtrenſ. viij.	

Fox in hiſt. eccles. Ed. II. reſcript. dat. X. Kl. Maij. ap. Veterem urbem Pontificat. 2.

Creſcit ad CCC. Marcas & ſemiſſem.

Fruſtra expectes hic cedem Thomæ, purgatum Crimine Henricum, haut æquis conditionibus abſolutum.

Conveniunt Cymbæ vela minora meæ.

Non ita multo poſt, Northamtoniæ conveniunt Rex & Barones. De legibus, & adminiſtranda Juſtitia tractatur. In ſex demum provincias partito regno, lecti è Juriſperitis qui Tribunali in quavis præeſſent *Itinerantes Iuſtitiarij* mandantur. Horum ex Hovedeno Eccam tibi nomenclaturam.

Hugo de Creſſi. Walt. F. Roberti. Rob. Mantel.	Norfolciâ. Suffolciâ. Cantabrigiâ. Huntinghdoniâ. Bedfordiâ. Buckinghamiâ. Eſſexiâ. Hertfordiâ.
Hugo de Gundevillâ. Willielmus F. Radulphi. Williel. Baſſet.	Lincolniâ. Nothinghamiâ. Derbiâ. Staffordiâ. Warewico. Northamtoniâ. Leceſtriâ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Robertus F. Bernardi. Richardus. Gifford. Rog. F. Reinfrai.	Cantio, Surriâ. Southantoniâ. Suſſexiâ. Bercheriâ. Oxoniâ.
W. F. Stephan. Bertam. de Verdun. Turſtam. F. Sim.	Herefordiâ. Gloceſtriâ. Vigorniâ. Salopiâ.
Rad. F. Stephani. W. Ruffus. Gilbertus Pipard.	Wiltoniâ. Dorſetiâ. Sumerſetiâ. Devoniâ. Cornubiâ.
Robertus de Wals. Rad. de Glanville. Rob. Pikenot.	Eboraco. Richmondiâ. Lancaſtriâ. Coplandiâ. Weſtmerlandiâ. Northumbriâ. Cumbriâ.

Hos ſacramento adegit, quod ipſi bona fide & ſine malo ingenio, eodem utor auctore, *ſubſcriptas aſſiſas cuſtodirent, & inviolabiliter ab hominibus regni facerent cuſtodiri.* Inſignitas eas hoc titulo commemorat,

ASSISÆ HENRICI Regis factæ apud Clarendon & renovatæ apud Northamtune.

SI quis retatus fuerit coram Iuſtitijs D. Regis de Murdro vel Latrocinio, vel roberia, vel receptatione hominum tale facientium, vel de falſoneria, vel iniqua combuſtione, per ſacramentum XII. Militum de hundredo, & ſi milites non adſuerint, Per ſacramentum XII. liberorum & legalium hominum, & per ſacramentum IIII. hominum de unaquaque villa hundredi eat ad judicium Aquæ, & , ſi perierit, alterum pedem amittat. Milites forte beneficiarij, qui deſiderantur hic, ſi mavis Feudatarij, inter quos, & qui ſtipendijs, ſive, ut eſt in Feudorum libris, ſol datis militabant, *Soldurij* forſan Cæſari, Σιλοδοῦνοι Nicolao Damnaſceno, *Servientes* Monachis noſtris, Bractonæ, Ottoni Friſingenſi, & Radevico in legibus Barbaroſſæ caſtrenſibus gliſcit diſcrimen; utriſque infra Equitum auratorum decus longe ſitis. Probe aſt teneo & Auratos Equites ad XII-viralia non nulla judicia olim, & jure nunc certiſſimo evocatos. Ad *magnam* inquio, *Regis Aſſiſam*, & ad conteſtatam litigante altrinſecus Barone Parlamentario litem. Ad illam, quod honoratiſſimum ſit judicij genus, & victo peremptale. Ad hanc, uti parilitas ſit no-

---

Caſ. comm. lib. 3. Athen. lib. 6. dipnoſoph. Feud. lib. 2. tit. 20. Otho Frinſing. lib. de Frederic 1. Radevic. lib. 1. cap. 26. Bract. lib. 5. de Eſſonijs cap. 10. & 26. Ed. 3. fol. 57. a. 30. Ed. 3. fol. 2. 6. v. 17. Ed. 2. tit. Attaint 69. 13. *Ed. 3. lit.* Challenge 115. *Plo. Comm. fol.* 117. 8. *Hen. 6. fol.* 10.

minis

minis ab aliquo ſaltem Iudicum (nam XII-Viri Iudices ſunt Facti) & inluſtriore ſive Reo, ſive Actore. Parlamentarij enim Majores Nobiles, in queis à *Baronijs* Archiepiſcopi, & Epiſcopi, (olim Cœnobiarchæ plurimi) Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, & Barones, ordine licet & titulis diſcriminentur honorarijs, qua nihilominus *Regni* ſunt tantummodo *Barones*, Ampliſſ. illis interſunt Comitijs. Et qui pro arbitratu regio adcenſi, ad literarum, quod ajunt Forenſes, *Summonitionis* morem Chevaliers ſalutantur, non Barones. Dignitatis enim eſt nomen illud, Πολυκτημοσύνης magis hoc priſce. Quod ejuſcemodi duntaxat reſcripta ad uſque Rich. II. (is Ioannem de Beauchamp de Holt Baronem de Kiderminſter diplomate primus creavit) contulere; utraque in uſu nunc eſt ratio.

LXVII. *Apud Northantune additum eſt pro rigore juſtitiæ* (memineris quod proxima ſectione) *quod dextrum ſimiliter pugnum cum pede amittat, & regnum abjuret, & infra* xl. *dies à regno exulet*, (xl. dierum gratia eſt, ita Bractona, indultum, ut quærantur interim ad commeatus ammicorum ſubſidia.) *Et, ſi ad aquam mundus fuerit, inveniat plegios, & remaneat in regno, niſi retatus fuerit de murdro, vel aliqua turpi felonia, per commune comitatus & legalium militum patriæ, de quo ſi prædicto modo retatus fuerit quamvis ad aquam mundus fuerit, nihilominus infra* xxxx. *dies à regno exeat, & catalla ſua ſecum aſportet, ſalvo jure Dominorum ſuorum & regnum abjuret in miſericordia domini Regis.* De judicio *Aquæ & Ignis*, ſeu, *Ordalijs* hic paucula. Saxonicas fuiſſe probas liquet, divino temere nixas miraculo. Ad ſacra quam prophana attinent; ex quo priore libro prætervimus, & viſus iſte locus, quo monitum volui de eis

Bract, tract, de Corona lib. 3.

lecto-

lectorem, nec inopportunus. *Tenetur ſe purgare is qui accuſatur* (ſcribit Ranulphus de Glanvilla) *per Dei Iudicium, ſcilicet per calidum ferrum, vel per aquam pro diverſitate conditionis hominum: per ferrum calidum, ſi fuerit homo liber, per aquam ſi fuerit Ruſticus.* Maſſam ferream candentem uno & altero, ut plurimum, paſſibus incedens Reus manu ferebat, aut nudis premebat plantis ignitos (atque eos Francorum juxta, & Longobardorum leges novem) vomeres. Tot preſſis mire purgata eſt, & apud hiſtoricos Nobilis, Emma Confeſſoris mater læſæ cum Aldwino VVintonienſi Epiſc. pudicitiæ inſimulata, ab impacto calore incolumis & inſons. Aquei Ordalij genus erat duplex: frigidæ, & ferventis. In frigidam (uti nonnullibi hodie veneficæ) injectus eſt Reus; qui fundo pauxillum non ſubſiderit, ſceleris damnabatur conſcius, ut quem elementum regenerationis ſymbolum in ſuum non admitteret gremium: in ferventem cubito tenus brachium immerſum ad eum modum Veritatis Index; & immiſſa in æſtuantem lebetem nuda manu Ælſtanus Abendonenſis Monachus poſtilla antiſtes Shirburnenſis ſuo ſe oſtentavit Abbati. Quod vero tantummodo Rnſticis ajunt aqueum (nam terreſtri & ignobili naturæ Aqua, Cœleſti Ignis adſcribitur, à cujus proprio homini uſu immortalitatis Animæ duxit argumentum Firm. Lactantius) competiſſe, uſque adeo verum eſſe negat exemplum *Ioannis Senis Nobilis & Divitis*, qui ſub Henric. II. cum, imputata . . . . . . Fratris Comitis de *Ferrarijs* cæde, aqueo ſe non expediret judicio,

---

Glanvill. lib. 14. cap. 1. Polydor. hiſt. lib. 8. & Matthæ. Park. in vita Rob. Cant Archiepiſc. Malmesb. lib. 2. de geſt. Pontif. Lactantius inſtitut. 7. de divin. præm. cap. 9. Hoveden. libr. 2. annal.

poenas

pœnas dedit patibuli. Undenam uterque in Chriſtianos dirivatus mos, mei non eſt accuratius ſectari. Ignem memini antiquis Ἀγυιστικὸν; atque eſt in Sophoclis Antigone, qui ultro

——— καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν
Καὶ πῦρ διέρπειν, ———

ut Polynicis ſepulturæ inſontem ſe præbeat, Creonti eſt profeſſus. Dogma Pythagoricum, qui Iovis Carcer in ipſo Univerſi centro collocatur ignis eorum qui hunc univoce Solem

——— ὃς πάν περιφορεῖς καὶ πάντ' ἐπακούεις

refragante acriter Lycæo volunt, tacitus omitto neque tamen omittam vere Sanctis bibliis in ipſo nomine אֵשׁ i. *Ignis* velut re, quemadmodum ait I. Reuchlinus, divinitate conſentanea *Deum Opt. Max.* mortali ſe ingenio oſtendiſſe, & D. Paulum ad Pſalmographi mentem Πυρὸς φλόγα indigetaſſe miniſtri DEI. Atque S. literis, male interpretando, abuti nimis antiquum, & nimis jam frequens.

Imperjuratam, ——— *Stygiamque Paludem,*
Dii cujus jurare timent & fallere numen.

Homerus canit & Virgil. Celtarum infantes Κολυμβοὺς λουτροῖσιν ἐλεγχιγάμου ποταμοῖο uti eſt in Epigrammatis, Sardoôs fontes in Solino, Februa humida in Ovidii Faſtis legimus, & flu-

Cæl. Rhodog. antiq. lect. lib. 17. *cap.* 21. *Sophocles in Antigone. Ariſt.* 2. *de Cælo. Iliad.* 3. *Deutero.* 4. *Zanch. lib.* 1. *de nat. Dei. cap.* 6. *Reuchlin. de verb. mirif. lib.* 2. *cap.* 16. *Pſalm.* 104. *Epiſt. ad Hebræ. cap.* 1. *v.* 7. *Æneid.* 6. *Antholog.* α *Epigr.* μγ. *Ovid. faſt.* 2. *Polyhiſt. lib.* 1. *cap.* 10. *Senec. epiſt.* 41. *Mart. Delrio diſq. magic. lib.* 4. *ſect.* 3. & 4.

vios Διϊπετεῖς, atque eorum, apud Phyſicos, longe ſtupendas naturas occultiſſimaſque. Verum hæc pleraque Ordaliis noſtris forte ignota. Aſt aqueum ad malam Zelotypiæ poculi Iudæorum imitationem irrepſiſſe multijugæ eruditionis V. Martinus Del Rio in diſquiſitionibus Magicis fecit conjecturam. Hujuſce enim & Ignei præbent Danorum, Saxonum, Germanorum, Francorum, Hiſpanorum, totius denique Orbis Chriſtiani hiſtoriæ compluria exempla.

An, quia cunctarum contraria ſemina rerum
Sunt duo diſcordes Ignis & Unda Dei,
Iunxerunt elementa Patres ———

An, quia in הַשָּׁמַיִם natione (ipſi enim cœli Gentium dii erant fictitii) ab אֵשׁ & מַיִם nonnullis arriſit deductio? Scientior quis dixerit Ianus.

——— *οὐ μὰν διώξω κεινὸς εἴην.*

Utriuſque ſuperſtitiones, ritus, luſtrationes, preces, & ſolennes παρασκευὰς plena dant manu G. Lambardus in vocabulorum explicationibus, & Matthæus Parkerus Cantuarienſis Archiepiſcopus Britannicæ Eccleſiæ Antiquitatibus. Utraque cum altero illo Monomachiæ (nam inter Ordalia atque hæc cenſita) Rom. Eccles. impia viſa, & diu eſt, quod inter vulgares purgationes antiquata. At vero Diis Patriis me redonem & Northamtoniam rebitem.

Ovid. Faſt. 4. Imperari naturæ audacis eſt credere. Plin l. Pic. Mirandula in Heptaplo. Pindar. Olymp. 3. Vita Roberti. Decret. tit. de vulgar. purgat. Cauſ. 2. quæſt. 5.

LXVIII. *Nulli liceat ueque in Burgo, neque in villa hoſpitali aliquem extraneum ultra unum noctem, in domo ſua habere quem ad rectum tenere noluerit, niſi hoſpitatus ille rationabile eſſonium habuerit, quod hoſpes domus monſtret vicinis ſuis, & cum receſſerit, coram vicinis recedat, & per diem.* Pertinet huc illud Bractone. *Dici poterit de familia alicujus qui hoſpitatus fuerit cum alio per tres noctes, quia prima nocte dici poterit* Uncuth id eſt *ignotus; ſecunda vero* Guſt, id eſt, *hoſpes, tertia nocte* Hogenhine (lego Hawan Man) ideſt Græce ὁμοτρα-πεζος οἰκεῖος, Latine Familiaris.

LXIX. *Si quis ſaiſitus fuit de murdro, vel de latrocinio, vel roberia, vel falſoneria, & inde ſit cognoſcens, vel de aliqua alia felonia quam fecerit coram prepoſito hundredi, vel Burgi, & coram legalibus hominibus, id poſtea coram Iuſtitijs negare non poterit. Et ſi idem ſine ſeiſina* (cum ſeiſina hoc loci idem quod ἐπαυτοφώρω, vernacule taken with the maner) *coram eis aliquid hujuſmodi recognoverit, hoc ſimul coram Iuſtitijs negare non poterit.*

LXX. *Si quis obierit francus tenens, heredes ipſius remaneant in tali ſeiſina, qualem pater ſuus habuit die qua fuit vivus & mortuus de feodo ſuo, & catalla ſua habeant unde faciant & Diviſam defuncti, & dominum ſuum poſtea requirant & faciant de relevio, & alijs, quæ eis facere debent de feudo ſuo.*

LXXI. *Si hæres fuerit infra ætatem, Dominus feodi recipiat homagium ſuum, & habeat in cuſtodia illum quamdiu debuerit; alij Domini ſi plures fuerint homagium ejus recipiant, & ipſe faciat eis quod facere debuerit.*

LXXII. *Uxor defuncti habeat Dotem ſuam, & partem de catallis ejus, quæ eam contingit.* Superiori fortaſſis ſeculo Uxoris & liberorum Legitima

---

Bract. lib. 3. tract. 2. cap. 10. & Canut. leges.

Triens

Triens (utriſque ſi extitiſſent; ſemis Uxori, ſi nulla proles; proli tantundem uxore non ſuperſtite) generatim æque Anglis atque Falcidia Quadrans olim & Iuſtiniani Novella poſtmodum Romanis. Video enim eundem Normannis, Attrebatijs, Hibernis, circumiacentibus morem, Glanvilla, Bractona, Regeſtum Brevium, Guljelmus Lindwood / præter annales Iuris noſtri, ſunt viſendi.

LXXIII. *Iuſtitiæ capiant fidelitates D. Regis infra Clauſum Paſchæ, & ad ultimum infra clauſum Pentecoſtes; ab omnibus videlicet Comitibus, Baronibus, Militibus, & libere tenentibus, & etiam ruſticis qui in regno manere voluerint, & qui facere noluerit fidelitatem tanquam inimicus Domini Regis capiatur.*

LXXIV. *Habent & jam Iuſtitiæ præcipere, quod omnes illi, qui nondum fecerunt homagium & ligantiam D. R. ad terminum quem eis nominabunt, veniant & faciant Regi homagium & ligantiam ſicut ligio domino.*

LXXV. *Iuſtitiæ faciant omnes juſtitias, & rectitudines ſpectantes ad D. Regem, & ad Coronam ſuam per Breve D. Regis vel illorum, qui in loco ejus erunt, de feudo dimidij militis & infra* (Feudum Militis, in vetuſto, ſed longe plus juſto oſtentante antiquitatem, libello *de modo Tenendi Parlamenti* dicitur *XX. librata terræ*, verum ad D. C. LXXX. jugera cenſetur præfixus *Rubro libro Scaccarij* numerus) *niſi tam grandis ſit querela, quod non poßit deduci ſine domino Rege, vel talis quam Iuſtitiæ ei reponent pro dubitatione ſua, vel ad illos qui in loco ejus erunt. Intendant tamen pro poſſe ſuo ad commodum D. Regis faciendum.*

LXXVI. *Iuſtitiæ provideant, quod caſtella diruta prorſus diruantur, & diruenda bene proſternantur. Et niſi hoc fecerint, D. Rex Iudicium Curiæ ſuæ de eis habere voluerit ſicut de contemptoribus præcepti ſui.*

LXXVII.

LXXVII. *Latro, ex quo capitur, Vicecomiti tradatur ad Cuſtodiendum, & ſi Vicecomes abſens fuerit, ducatur ad proximum caſtellanum, & ipſe illum cuſtodiat, donec illum liberet Vicecomiti.*

LXXXVIII. *Iuſtitiæ faciant quærere per conſuetudinem terræ illos, qui à Regno receſſerunt. Et niſi redire voluerint infra terminum nominatum, & ſtare ad rectum in Curia Regis poſtea utlagentur & nomina utlagorum afferantur ad Paſcha & ad feſtum S. Michaelis ad Scaccarium, & exinde mittantur, D. Regi.* Northamtoniæ iſthæc.

LXXIX. *Quod de cætero Clericus* (Hugoni à tit. S. Michaelis à Petra Leonis Cardinali legato, qui dilatatam rem pontificiam adpulerat, R. conceſſit) *non trahetur ante Iudicem ſecularem perſonaliter pro aliquo Crimine, vel tranſgreſsione, niſi pro foreſta & laico feudo, unde Regi vel alii D. ſeculari laicum debetur ſervitium.*

LXXX. *Archiepiſcopatus in ſuper, epiſcopatus, vel Abbatiæ non teneantur in manu Regis ultra annum; niſi pro cauſa evidenti, vel neceſsitate urgente.*

LXXXI. *Interfectores clericorum convicti vel confeſſi coram Iuſtitiario regni, præſente epiſcopo, puniantur.*

LXXXII. *Clerici Duellum facere non cogantur,*

LXXXIII. *Satuit apud* Woodſtocke *quod quicunque foriſfecerit ei de foreſta ſua ſemel, & de venatione ſua, de ipſo ſalui plegii capiantur* (ex Hovedeno tranſcribimus) *& ſi iterum foriſfecerit, ſimiliter capiantur de ipſo ſalvi plegii, ſi autem tertio idem foriſfecerit, pro tertio foriſfacto nulli plegij capiantur, ſed proprium corpus foriſfactoris.*

Beneficiariis & ad capitis cenſum proletariis quin etiam habentur hæ leges Militares.

XXCIIII. *Qui habet feudum unius militis*

Matth. Paris. v. Britton. cap. d'Appeales. & Temp. Ed. 1, tit. quod permittat. 9.

(quem

(quem dixi Hovedenus) *habeat loricam , & Caſſidem , & clypeum , & lanceam ; & omnis miles habeat tot loricas , & Caſides , & clypeos , & lanceas , quot habuerit feoda militum in dominio ſuo.*

XXCV. *Quicunque liber laicus habuerit in Catallo , vel in redditu ad velentiam* XVI. *Marcarum habeat loricam , & caſsidem , & clypeum , & lanceam.*

XXCVI. *Quicunque liber laicus habuerit in catallo ad valentiam* X *Marcarum habeat Halbergellum , &* Capellet *ferri , & lanceam.*

XXCVII. *Omnes Burgenſes , & tota Communia liberorum hominum* Wanbais / & Capelet *ferri , & lanceam.*

XXCVIII. *Nullus, ex quo hæc arma habuerit, ea vendat nec inuadiet , nec præſtet* (ideſt commodato det) *nec aliquo alio modo à ſe alienet , nec Dominus ſuus ea aliquo modo ab homine ſuo alienet, nec per foriſfactum , nec per donum , nec per vadium , nec aliquo alio modo.*

XXCIX. *Si quis arma hæc habens obierit , remaneant hæredi ſuo , & ſi hæres de tali ſtatu non ſit quod armis uti poſsit, ſi opus fuerit , ille qui eum habuerit in cuſtodia habeat ſimiliter cuſtodiam armorum , &c. &c. &c.*

Prudentum congreſſus in Anglia vocatur , & Micil Synodes , id eſt, *Magna comitia.* Mutuato demum à Gallis Parlamantorum nomine quæ ante *Henricum I.* perraro ſcribit Polydorus habita. Inſtitutum haut immerito ab antiquis Germanis manaſſe viſum. In ijs Tacitus. *De minoribus rebus Principes conſultant , de majoribus Omnes ; ita tamen , ut ea quoque quorum penes plebem arbitrium eſt , apud principes pertractentur.* Et habeo qui reliquit ſcriptum *quum nec fuerat Epiſcopus , nec Comes, nec Baro tamen tum Reges tenuerant parlamenta*

Polydar. lib. 11. hiſt. Angl.

ſua ;

ſua; atque in Arthurio Diplomate Cantabrigienſi Academiæ: (nam per me licet, ſi poteris, cum Iohanne Caio des illi fidem.) *Conſilio & aſſenſu omnium & ſingulorum pontificum, & principum iſtius regni decerno.* Interfuere parlamentis ſub Normannorum tempora quotquot XIII. feudis militaribus & III. unius parte inveſtiti Barones; ab amplis prædijs ita dicti? unde forſan Ioannes Cochleius Moguntinus nuncupatoria ad celebratiſſimi nominis Thomam Morum epiſtola Aurelij Caſſiodori Chronico præfixa Baronem Angliæ eum compellat. Cæterum Henricus III. exturgeſcente nimium numero, illos ſolum modo edictione præcepit adfuturos, quos ipſemet dignaretur reſcripto. Auguſtiſſima nunc ſedent hæc comitia, quæ mira, & ad firmiſſimam Reipub. ſalutem contexta Trium Ordinum, Regis, Magnatum, remque plæbis procurantium harmonia ab Eruditiſſ. V. ad Ætolorum panætolij apud Livium formulam *Pananglium* rectiſſime dicuntur. *Vt in fidibus, ac tibiis, atque cantu ſuo, ac vocibus concentus eſt quidam* (ait in Ciceronis libris de repub. Scipio) *tenendus ex diſtinctis ſonis, quem immutatum ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt, iſque concentus ex diſsimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur, & congruens; ſic, ex ſummis, & mediis, & infimis interjectis Ordinibus, & ſonis, moderata ratione civitatem conſenſu diſsimillimorum concinere: & quæ harmonia à Muſicis dicitur in cantu, eam eſſe in Civitate Concordiam; arctiſsimum atque plenum omni in Rep. vinculum incolumitatis, eamque ſine juſtitia nullo pacto eſſe poſſe.* Verum ſufficiant hæc de Conditoribus.

Ab his vix alios, ante Saxones, comperio Cuſtodes. Sub eis varie partitos; quorum neque

Io. Cajus. in lib. 1. *Antiq. Cantabrigiæ. verſ.* 22. *Ed.* 3. *fol.* 18. *Auguſt. de Civ. Dei lib.* 2. *cap.* 21.

nomen

nomen neque munus hactenus obſolvere. Explent numerum (ut faſtigia carpam) *Rex*, *Conſtabularius*, *Cancellarius*, *Theſaurarius*, *Angliæ*, *Aldermannus*, *Aldermanni provinciarum*, & *Gravii*. Principes, & obſcuræ famæ prætereo (de cæteris ſtrictim dicturus. *Rex* nunquam non inter Heptarchas unus, qui Monarcha Totius Angliæ (ut Beda teſtis) habebatur. In ſignis tam excelſo primum imperio *Ella Rex Auſtralium Saxonum* (ita Ethelwerdus) *qui poſſeſſor tantæ ditionis fuerat, ut Echright; ſecundus fuit Ceulin Rex Occidentalium Anglorum; Tertius Æthelbrith rex Cantuariorum; Quartus Redvvald Rex Orientalium; Quintus Edvvine Rex Northymbrorum, ſextus Oſvvald, ſeptimus Oſuveo frater Oſvvaldi poſt quem Octavus Ecbright*. Hujus in Occiduum Saxonicum regnum alia maxime conceſſerunt. Conſtabulariatus offiacium (quod in Edwardo Buchinghamiæ Duce ſub Hen. VIII. majeſtatis crimine poſtulato, & capite plexo diſparuit) ultimi Saxonum anni viderunt. Traditur à Richardo Elienſi Monacho *Alfgarus ſtallerus* Edwardo Confeſſ. Conſtabularius, atque ejus hoc nomine habitatione Plaiſſy in Trinobantibus laudat noſter Chorographus. *Magnum eum & Potentem in regno* Elienſis indigitat. Et magna ſane ipſiſque Regibus metuenda poteſtas olim iſti Magiſtratui. Qui Normannorum ante adventum negant Cancellarios peccant largiter. Nec modo vincuntur ex Edwardi Confeſſoris Abbati VVeſtmonaſterienſi Donatione (donavit mihi G. Lambardi Αρχαιον) cui leguntur ſubſcripta: *Sivvardus Notarius ad vicem Rembaldi Regiæ dignitatis Cancellarij hanc chartam ſcripſi, & ſubſcripſi*;

Ethelvverd. lib. 3. cap. 2. Hiſt. Elienſ. v. Kel. *relat 6. Hen. 8, fol. 171. ſtat. 13. Rich. 2. cap. 2. Matth. Paris pag. 563. Camden. in Northamtonia Brooke tit. prærogative. 31.*

verum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

verum ex Ingulpho; qui Turketuli Croulandenſis poſtilla Abbatis mentionem facit Edredi Regis Cancellarii; *Cujus decreto & conſilio, quacunque negotia temporalia, vel ſpiritualia regis judicium expectabant, tractarentur. & tractata irrefragabiliter ſententiam ſortirentur.* Atque enumeravit verſatiſſimus ille in Antiquitate Franciſcus Thinuus Turketillum Ethelbaldo, Swithinum VVintonienſem epiſcopum Egberto Ulfivum Athelſtano, Adulphum Edgaro, Alſium Archimandritam Elienſem Ethelredo RRRR. hoc præſtitiſſe munus De quo, & ſigillis quibus eſt olim præfectus Cancellarius G. Camdeni Tribunalia, & ab Archivis in I. Buddeni LL. D. VVainfleti Palingeneſiam relata mavelim conſulas, quam à me petas *Theſaurarij* Edredo Dunſtanus, Confeſſori Hugolinus. Aſt inuſitatus ille quintus titulus *Angliæ Aldermannus.* Sed fuit is, ni per nebulam fallor, ſupremus à Iudicijs Prætor & à domeſtica ſtabilienda tranquillitate; qui nunc vulgo forſan *Capitalis Angliæ Iuſtitiarius.* Inſigne hoc nomen neque apud Chronologos, qui proſtant, Monachos, nec in LL. video monumentis. Cæterum Privata Rameſeinſis Huntindonenſi Comitatu Monaſterij Hiſtoria inſcriptum hac ſuperficie prodidit Ailwini tumulum.

HIC. REQVIESCIT. AILWINVS. INCLITI. REGIS. EADGARI. COGNATVS TOTIVS. ANGLIAE. ALDERMANNVS. ET. HVIVS. SACRI. COENOBI. MIRACVLOSVS. FVNDATOR.

Et ob authoritatem, & gratiam, qua apud Regem pollebat, maximam, **Healfkoning.** id eſt

---

Fr. Thin. in contin. Chr. Eliz. Matth. Cantuarienſ. in Odonis ſeveri vita. Camdenus.

Semi-

Semiregem agnominabant. Henricus autem Huntindonienſis Toſtium Northumbriæ Comitem (ſeu ut illius utar phraſi Conſulem) & Haraldum Godwini Comitis Cantij Filios *Regni* dicit *Iuſticiarios* *Aldermanni* Senatorum vocabulo apte vertuntur. Delegatam exercebant ij Iudices per provincias (Comitatus dictas) poteſtatem, abque eis ſub delegatam *Gravij*: (vox ſonat præpoſiti, & quod Germanis *Graves*, in *Lantgrave*, *Burgrave*, *Palſgrave*, & *ſimilibus*: nonnulliſque noſtratium *Reves.*) Utroſque, ut ea ætas, Latino nomine, *Comites* illos, hos *Vicecomites* vocabimus. Comitis vocamen ubique apud vetuſſimos Monachorum; quod vero ſæpius in Ducis inter teſtes tranſijt. Et in Charta Fundationis Cœnobij Surrei Chertſeinſis, *Subregulum* VVlpheri Mercianorem R. ſe notat Frithwaldus; Comitem, nec hæſites, intelligas. Vicecomes & Vicedominus pluſquam pariſſimi, ijdem. Ingulphus ait ſupra. Et *Ego Bingulph Vicedominus conſului* ✠ *Ego Alfer Vicecomes audivi* ✠ Extremo Edredi Chirographo. Hiſce cum ad privata tum ad publica judicia ſuis fuere in Comitatibus Fora. Ad privata; ſingulo quoque menſe conventus (Le County Court) celebratus. *Quilibet Gravius quarta quaque ſeptimana* (ut in Edwardi Senioris legibus habetur) *frequentem populum conveniat, cuique jus dicito æquabile, liteſque ſingulas (cum dies condicti advenerint) dirimito* Ad publica; Inquiſitionum Curiam, Tourne le Viſcont / ſtatuit Edgarus. *Ex omni Comitatu bis quotannis conventus agitor, cui quidem illius diœceſis epiſcopus, & Senator interſunto, quorum alter jura divina, humana alter populum edoceto.* Quæ XIV. in Gulielmo I. ctioni inſerui rumine is hic oportet. Hanc ad In-

---

Huntingd. libr. 6. hiſt. *Camdenus.* *Leg. Edgar. cap.* 11. *Leg. Edvv.* 5. *& Canut.* 17.

quiſi-

quiſitionum Curiam tempeſtate minime promiſcua & indiſcriminatim convenere inquilini, verum, ut ex uſu, antiquisque Regni notiſſimum eſt conſtitutionibus, vel cis Menſem à Paſchatis feſto, vel à S. Michaelis. Cui quandoquidem non Comes duntaxat, uti hodie Vicecomes, ſed etiam Epiſcopus præfuerint, nequaquam videtur difficile Temporariæ legis & elicere fontem. Is forſan Antiochena ſynodus; Julio PP. I. habita & in Oecumenica ſexta Conſtantinopolitana recepta. Explicate hac bina Epiſcoporum quotannis celebranda concilia tertia à Paſchate hebdomada, & Eidibus Octobris (ſuperent tametſi aliquot diebus ij ſtatum nobis menſem, non fallit magis conjectura) terminantur. Inferioris notæ, ex iis, quæ *Centurias*, *Borghos*, & ſimilia ſuperius loquuntur poteris tu plura. De Saxonibus quibus commiſſa LL. cura iſta breviter.

Brevius de Normannis: de *Comitibus* dico, & *Baronibus*; Illorum ante victoriam, excipias Leiceſtrenſes & ſi forte alios, Officiarii erant Comites, necdum hæreditarii. Summa diſponente rerum Gulielmo, & Feudales, & Patrimoniales eſſe cœperunt, aſſignata cum titulo, qui ex toto Comitatu proveniebant fiſco, reddituum triente. Satis liquet hic mos Gervaſio Tilburienſe; in *Richardo de Redverijs* Comite Devoniæ ab Henric. I. & *Gaufredo de Magnavilla*, à Matilda Imper. Eſſexiæ Comite creatis. Competebat & (videtur enim) Saxonicis diviſum cum Rege metipſum jus. De Gipwico Icenorum in Angliæ luſtro. *Regina Edeva* II. *partes habuit*, *& Comes* Guert *tertiam*, & de Norwico, *reddebat* xx. *libras Regi*, *& Comiti* x. *libras*. Proventuum *Burgi de* Lewes *erant* II. *partes Regis*, *tertia Comitis*. Et Oxonium *reddebat pro theo-*

Synod. Antioch. cap. 20. *Diſt.* 18. *cap.* 4.
Domeſday.

lonio, & gablo, & pro aliis conſuetudinibus per annum, regi quidem XX. *libras, & ſex ſextarios mellis, Comiti vero Algaro* X. *libras.* Suis denique Provincialibus LL. ferendarum nonnulla paret Normannicis poteſtas. Etenim Gulielmum Fitz-Osberni Herefordenſis Comitis (ita Monachus Malmeſburienſis) *in Comitatu ejus apud Herefordum manet legum, quas ſtatuit, inconcuſſa firmitas, ut nullus miles pro qualicumque commiſſo plus ſeptem ſolidis ſolvat.* Cornubienſium Chirographa de rebus metallicis tantundem adprobant, & Godivam Leofrici Comitis uxorem promiſſiſſimis capillis obtectam per Coventriæ frequentiam, ut irrogatis penſitationibus Cives hac lege exſolveret, obequitantem taceo.

Ex latifundiis Baronibus (univerſis militari obſequio ſubmiſſis prædiis) ſua fuere territoria (Mannors dicimus) atque in iis Curiæ (haruncce apud alias gentes à Romuli patrocinio, & clientela vult Udalricus Zazius μιμητικῶς originationem) ad beneficiarios, tertio quoque revoluto dierum ſeptenario, convocandos, juſque eis dicundum. Pervulgatus, & tralatitius earum uſus hodiernus. Priſcus accipiat ab Hovedeno hanc lucis ſcintillam. *Ioannes Mareſcallus Hen. II. conqueſtus eſt, quod cum calumniatus eſſet in Curia Archiepiſcopi terram quandam de illo tenendam jure hæreditario, & diu inde placitaſſet, nullam inde potuit aſſequi juſtitiam, & quod ipſe Curiam Archiepiſcopi ſacramento falſificaverat ſecundum conſuetudinem regni; cui Archiepiſcopus reſpondit: Nulla Iuſtitia defuit Ioanni in Curia mea, ſed ipſe, neſcio cujus conſilio, an propriæ voluntatis motu, attulit in Curia mea quandam* Toper / *& juravit ſuper illam quod ipſe pro*

Malmesb. de geſt. reg. lib. 3. *Ad lib.* 2. *ff.* de *origin jur.* *Roger. de Hoveden. in H.* 2.

defectu

defectu juſtitiæ à curia mea receſsit, & videbatur Iuſtitiarijs Curiæ meæ, quod ipſe injuriam mihi fecit, quia ſic à Curia mea receſsit, Cum ſtatutum ſit in regno veſtro, quod, qui Curiam alterius falſificare voluerit, oportet eum jurare ſuper ſacroſancta Evangelia. Rex, non reſpiciens ad hæc verba, juravit quod ipſe haberet de eo Iuſtitiam & Iudicium & Barones Curiæ Regis judicaverunt eum eſſe in miſericordia Regis; quin & D. libris multarunt. In jure cætera reddundo, remque adminiſtrando publicam eadem ferme quæ Saxonibus Magiſtratuum Vocabula.

FINIS.

CRONOLOGIA ANCILLANS.

Ann. Mundi.	
CIↃ. DCCCC. x.	*Samothes* (ſi quis fuit ille) imperat.
CIↃ. CIↃ. D.	*Brutus* in Danmoniis exſcenſionem facit*.
CCC.v.	*Dunuallo Molmutius* ſceptrum verſat,
CIↃ. CIↃ. CIↃ. D. XVI.	*Martia* Quintileni R. vidua, & Siſillii J. Tutrix.
CIↃ. CIↃ. CIↃ. D.C.XXVII.	Adpellit *Delæ* in maritumis Cantii, &
CIↃ. CIↃ. CIↃ. D. CCCC. xLII.	*Territa quæſitis oſtendit terga Britannis.* & Primus Britanniam Romanis C. *I. Cæſar.*
A. à CHR. D. in ſalutem miſſo.	

Lucan. & intactus Britannus Horat. epod. 7.

xLIV.

XLIV.	*Claudius* Cæſ. Aug. A. Plaut. legato tranſvectis legionibus in formam provinciæ paulatim redigit.
LII.	*Colonia* Veteranorum *Camalodunum* deducitur.
LXXXVI.	Subjugatur Britannia ductu I. *Agricolæ*, auſpiciis *Domitiani* Aug.
CLXXXIII.	*Lucius* I. Rex Chriſtianus Etenim Σύγχρονοι *Eleutherius* P. P. & Commodus Aug. Ex quo plane fallit Beda, & fallitur in ſuo de hac re ἀναχρονισμῷ.
CCCC. XXVIII.	E Germania adveniunt *Saxones*, *Angli*, *Jutæ*, *Dani*, *Friſones*. Tauro & Fœlice Coſſ. Ann.

	XXI. *Theodoſii* Junioris. Calculus ſcriptorum communis habet XLIX. ſupra CCCC. verum quem adpoſui termino vetuſtis nixus Faſtis hanc circumſcripſit Epochen V. Magnus & auctoritate & judicio *G. Camdenus Clarentius.*
D. LXI.	*Ethelbertus* Anglo-Saxonum primus R. qui Chriſto nomen dedit.
D. CCC,	*Egbertus.*
DCCC. LXXII.	*Aluredus.*
DCCCC. LIX.	*Edgarus.*
CIↃ. XVII.	*Canutus* Danus, alias *Cnuto.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

CIↃ. XXXVI.	*Haroldus.*
CIↃ. XLII.	*Edwardus* Confeſſor.
CIↃ. LXVI.	*Gulielmus* Normannus, pugnato in planitie juxta *Haſtings* prælio, dominium inſulæ acquiſivit.
CIↃ. LXXXVIII.	*Guil.Rufus* ſecundo genitus Victoris F.
CIↃ. C.	*Henricus* I. minor. Rufi frater.
CIↃ. C. XXXV.	*Stephanus* ex Adela ſorore Henrici nepos Comes Bleſenſis.
CIↃ. C. LIII.	*Henricus* II. è Matilda Aug. & Gauf Com. Andium Hen. I. nepos.

JANI ANGLORUM
JOANNIS SELDENI
FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

VARIÆ
ET
INSIGNIORES
RERUM IMPERIJQUE
IN
ANGLIA
MUTATIONES,

A primâ Gentis in Inſulam ex Germaniâ migratione uſque ad hæc tempora, excerptæ

EX

MARCI ZUERII BOXHORNII
V. CL.
HISTORIA UNIVERSALI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

TEMPORA MUTANTUR, ET NOS MUTAMUR IN ILLIS.

ANNO

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

ANNO DOM. CCCC XLIX.

HAC fere tempeſtate Angli, celebres Saxonum in Germania populus, in Britanniam auxilii ferendi cauſa contra Scotos & Pictos invitati, mox ſub ſuam ditionem Britanniam redegere, & à nomine ſuo Angliam dixere, egregio exemplo, in maximo præſentiſſimoque diſcrimine res earum gentium verſari, quæ implorare externorum auxilia, militarem imprimis manum, vel neceſſe vel conſultum habent. Saxones ergo primo à Vortigerno Rege & Britannis acciti, ad propulſandas Barbarorum incurſiones, in Britanniam veniunt, ducibus Hengiſto & Horsâ fratribus, circa annum Domini CCCCXLIX. Poſtea vero plures è tranſmarinis regionibus advolarunt, pulſiſque paulatim Britannis, illorum ſedes occuparunt, patriamque (præter VValliam) in ſeptem regna diſtribuerunt, Heptarchiamque conſtituerunt: in qua tamen qui plurimum poterat, Rex gentis Anglorum, ut eſt apud Bedam, Lib. II. Cap. V. dicebatur, adeo ut Monarchia in ipſa Heptarchia ſemper fuiſſe videatur.

Quas Regiones, quoſve Comitatus, hæc Regna complexa fuerint, tabella potius, quam multa verborum congerie, ut ſimul & ſemel intueatur Lector, proponere libet.

1. *Cantii Regnum continebat.*	*Cantium, ab Hengiſto inchoatum circa Annum Domini* 457.

2. *Suſſexiæ, ſive Auſtralium Saxonum Regnũ continebat*	*Suthſexiam.* *Suthreiam*	*Hic Principatus haud diu duravit; paucique in eo, & nulli fere celebres reguli.*

3. *Eaſtangliæ, ſive Orientalium Anglorum Regnum continebat*	*Norfolciam.* *Suthfolciam.* *Cantabrigiam, cum inſula Ely.*

4. *Weſtſexiæ, ſive Occidentalium Saxonum Regnum continebat*	*Cornwalliam.* *Devoniam.* *Dorſetiam.* *Somerſetiam.* *Wiltoniam.* *Southamptoniam.* *Bercheriam.*

5. *Northumbriæ Regnum continebat*	*Lancaſtriam.* *Eboracum.* *Dunelmiam.* *Cumbriam.* *Weſtmariam.* *Northumbriam, & Regiones Scotiæ, uſque ad Edenburgi fretum.*

6. *Eaſt-*

6. *Eaſtſexiæ, ſive Orientalium Saxonum Regnum continebat*
- *Eſſexiam.*
- *Middelſexiam.*
- *Hertfordiæ partem.*

7. *Merciæ Regnum continebat*
- *Glooceſtriam.*
- *Herefordiam.*
- *Wigorniam.*
- *Warwicum.*
- *Leiceſtriam.*
- *Rutlandiam.*
- *Northamptoniam.*
- *Lincolniam.*
- *Huntingdoniam.*
- *Bedfordiam.*
- *Buckinghamiam.*
- *Oxenfordiam.*
- *Staffordiam.*
- *Salopiam.*
- *Nottinghamiam.*
- *Ceſtriam.*
- *Herfordiæ partem alteram.*

Regum Saxonicorum ſucceſſiones in ſingulis Regnis Heptarchiæ.

Cantuariorum Reges.

Pagani.	1. *Hengiſtus.*	31
	2. *Esk.*	24
	3. *Otha.*	20
	4. *Immericus.*	29

Chri-

Chriſtiani.	5.	*Ethelbertus.*	56
	6.	*Eadbaldus.*	24
	7.	*Ercombertus.*	24
	8.	*Egbertus.*	9
	9.	*Lotharius.*	12
	10.	*Edricus.*	

Regis dubii, vel externi.

Chriſtiani.	11.	*Withredus.*	33
	12.	*Edbertus.*	23
	13.	*Ædilbertus.*	11
	14.	*Alricus.*	34
	15	*Ædilbertus.*	3
	16.	*Cuthedus.*	8
	17.	*Baldredus.*	18

Regnum { *Cœpit*, *An.* *Chr.* 457. / *Deſiit*, *An.* 823.

Auſtralium Saxonum Reges.

Pagani.	1.	*Ælla.*	32
	2.	*Ciſſa* (*filius Ællæ*)	75

Progenieſq; eorum poſt eos, quorum tamen nomina, præter unum aut alterum, fere ignorantur, ipſa etiam regio plerumque in Cantuariorum, aut Occidentalium Saxonum poteſtate fuit.

Chri-

Chriſtiani.	3. *Ediltwach*, al. *Ethelwolfius.*	25
	4. *Berthum.*	
	5. *Authum.*	

Regnum { *Cœpit*, *An* 491. / *Deſiit*, *circa An.* 600.

Orientalium Anglorum Reges.

Pagani	1. *Vffa.*	7
	2. *Tityllus.*	10
	3. *Redwaldus.*	44
	4. *Eorpwaldus.*	12
Chriſtiani	5. *Sigebertus.*	
	6. *Egricus.*	
	7. *Anna.*	13
	8. *Ethelbertus.*	
	9. *Ethelwaldus.*	9
	10. *Adulfus.*	19
	11. *Ælfwaldus.*	7
	12. *Beorna.*	24
	13. *Ethelredus.*	52
	14. *Ethelbertus.*	5

Regnum { *Cœpit*, 575. / *Deſiit*, 793.

Occiſo Ethelberto ab Offa, Regnum Orientalium Anglorum conjunctum eſt cum Regno Merciorum. S. Ed-

mundus

mundus tamen poſtea regnavit, qui Martyr obiit An. 870.

Occidentalium Saxonum Reges.

Pagani.	1. *Cerdicius.*	16
	2. *Kenricus.*	26
	3. *Ceaulinus.*	31
	4. *Celricus.*	6
	5. *Ceolwulfus.*	14
Chriſtiani.	6. *Cinegilſus.* al. *Kingilſus.* *Quincelmus conſors regni cum patre.*	31
	7. *Kenewalchius.*	31
	Sexburga Regina.	1
	8. *Eſciwinus.*	2
	9. *Kentwinus.*	9
	10. *Cedwalla.*	2
	11. *Ina.*	38
	12. *Æthelhardus.*	14
	13. *Cuthredus.*	14
	14. *Sigebertus.*	1
	15. *Kinewulfus.*	29
	16. *Brithricus.*	16
	17. *Egbertus.*	37

Regnum { *Cœpit*, 519. *Deſiit*, 1066.

Nor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Northanhymbrorum Reges.

Pagani.	1. *Ida*	12
	2. *Ælla cum filiis.*	30
	3. *Edelricus.*	4
	4. *Ethelfridus ferus.*	24
Chriſtiani.	5. *Edwinus.*	17
	6. *Oſwaldus.*	9
	7. *Oſwius.*	28
	8. *Egfridus.*	15
	9. *Alfridus.*	19
	10. *Oſredus.*	11
	11. *Kenredus.*	2
	12. *Oſricus.*	11
	13 *Ceolwulfus.*	8
	14 *Egbertus*, aliàs, *Eadbertus.*	20
	15. *Oſulfus.*	1
	16 *Ethelwaldus*, al. *Mollo.*	6
	17. *Aluredus.*	9
	18. *Ethelredus.* al. *Ethelbertus.*	4
	19. *Alfwoldus.*	11
	20. *Oſredus.*	
	Ethelredus iterum.	

Regnum { *Cœpit*, *An. Chr.* 547. / *Deſiit*, *circa An.* 792.

Æthel-

Æthelredo interfecto finem accepit Regnum Northanhumbrorum, quod poſt interregnum 33. annorum occupavit Egbertus Rex Weſt-Saxoniæ An. Chr. 827. Nominantur tamen etiam poſtea quidam Reguli Northumbrorũ Danicis temporibus.

Orientalium Saxonum Reges.

Pagani.
- 1. *Erkenwinus.*
- 2. *Sledda.*

Chriſtiani.
- 3. *Sebertus.*
- 4. *Sexredus.* / *Sewardus.* / *Sigebertus.* — *fratres reg.* 3.
- 5. *Sigebertus parvus.*
- 6. *Sigebertus bonus.*
- 7. *Swithelmus.*
- 8. *Sigherus & Sebba.*
- 9. *Sigehardus & Senfredus.*
- 10. *Offa.*
- 11. *Selredus.*
- 12. *Swithredus Rex ultimus.*

Regnum *Cœpit*, 527. *Deſiit*, 747.

Numeri ideo non adjiciuntur quia de annis horum Regum, itemq; Orientalium

talium

talium Anglorum, nihil admodum certi memoriæ proditum eſt.

Merciorum Reges.

Pagani.		*Cridda.* *Wibba.* *Cheorl.* — *Reguli.*	
	1.	*Penda.*	
Chriſtiani.	2.	*Peada & Oſwi duces.*	3
	3.	*Wulfherus.*	16
	4.	*Æthelredus*, al. *Ædiredus.*	30
	5.	*Kenredus.*	4
	6.	*Ceolredus.*	8
	7.	*Ethelbaldus.*	41
	8.	*Beornredus.*	1
	9.	*Offa.*	38
	10	*Egferus.*	1
	11.	*Kenulfus.*	2
	12.	*Kenelmus.* *Ceolulfus.*	1
	13	*Beornulfus.*	3
	14.	*Ludecanus.*	2
	15.	*Withlafus.*	13
	16.	*Bertulfus.*	13
	17.	*Burhredus.*	22
	18.	*Ceolwulfus,* ſub quo regnum hoc Merciorum omnino exſtinctũ eſt.	

Regnum { Cœpit { *Criddæ*, 582. / *Pendæ*, 625. } / *Deſiit*, 874. }

Anglorum Reges poſtquam in Monarchiam ſeptem Regna coaluerunt.

Anno Chriſti

800.	*Egbertus.*	37
837.	*Æthelwulphus.*	20
857.	*Æthelbaldus.*	5
862.	*Æthelbertus.*	5
867.	*Æthelredus.*	5
872.	*Alfredus*, al. *Aluredus*	29
901.	*Edwardus ſen.*	23
924	*Æthelſtanus.*	16
940.	*Edmundus.*	6
946.	*Edredus.*	9
955.	*Edwinus.*	4
959.	*Edgarus.*	16
975.	*Edwardus Martyr.*	4
979.	*Ethelredus.*	37
1016.	*Edmund. ferreum latus.*	1
1017.	*Canutus.*	19
1036.	*Haroldus.*	4
1040.	*Harde-Canutus.*	2
1042.	*Edwardus Confeſſor.*	24
1066.	*Haroldus.*	1

Ex

Ex his patet falli haud dubie cætera diligentiſſimum Onuphrium, cum ſcribit Britanniam à Saxonibus occupatam in IV. tantum aut V. regna fuiſſe diviſam. Verba hac de re ſupra reddidimus. Heptarchia conſtituta fuit.

Quanquam autem in hac ſerie Regum Angloſaxonum (ſive nobiliſſimus Spelmannus, ſive quis alius ejus auctor ſit) ſub ejuſdem finem dicatur, ſeptem regna in Monarchiam coaluiſſe ſub Egberto, Rege Occidentalium Saxonum, qnia eum & alii primum Monarcham volunt, verius tamen videtur, regna Merciorum & Anglorum Orientalium, non exſtincta eſſe penitus ſub Egberto, & Aluredum Magnum, ejus è filio nepotem, primum Monarchiæ auctorem fuiſſe.

Hac expeditione factum eſt, ut principes, leges, inſtituta, conſuetudines, linguam, adeoque literas ipſas Germanorum aut Saxonum recipere atque admittere coacti Britanni fuerint; quemadmodum ex prope infinitis legum librorumque monumentis, Angloſaxonum notis ac lingua, quæ ipſis Germanis vulgo jam ignota ſunt, & periere, ſcriptis facile unicuique poteſt conſtare. Cujus ego rei ideo meminiſſe hic debui, ut Germanicarum Antiquitatum ſtudioſi ſic admonerentur, in ſola illa regina inſularum Britannia, ut Germanorum colonia, ſupereſſe hodieque plurima monumenta, ex quibus veterum Germanorum vita, mores, leges, magiſtratus, & quæ ejus generis ſunt alia, nullo negotio poſſunt cognoſci. Et, ſi ætatem mihi Deus ac otium fecerit, nonnulla eorum, præter ea quæ per Anglorum doctiſſimos vulgata jam ſunt, in publicam lucem aliquando editurus ſum.

Sola tamen Cymbrorum, qui ſe Cymræcos vocant (quod nomen ab illo vetuſtiſſimo Cymbrorum non abludit) à vicinis autem VValli hodie appellantur, ditio, cincta montibus, & ſic pene

invia, capi tunc non potuit aut expugnari. Atque hæc ratio eſt, quare VValli iſti ad hunc uſque diem plane alio ſermone, quam Angli, id eſt, vetuſtiſſimo Britannico & incorrupto utantur. Quod Lexicon Cymræcum, aut Cambricum, à doctiſſimo Davieſio, ex auctoritate Iacobi I. Magnæ Britanniæ Sereniſſimi Regis, ſuperioribus annis in lucem emiſſum, abunde poteſt teſtari. Et, ut obiter hoc addam, cum id nuper admodum ego inſpicerem, ſæculo & cupidis ejuſmodi antiquitatum ingeniis gratulatus ſum, cum illa non ſit alia lingua, quam qua & Britanni, & Germani, & Galli, ante Chriſtum natum utebantur. Nam Britannorum ac Gallorum ſermonem eundem fuiſſe, memorat Tacitus in Vita Agricolæ. Vetuſtiſſimus autem ſermo Gallorum idem cum Germanico fuit; ut ab eruditiſſimo Iſacio Pontano in Originibus Gallcis, ſicut & ab aliis, & à nobis quoque alibi, luculenter eſt demonſtratum.

Eadem illâ Saxonum irruptione territi Britannorum plurimi alas in Gallia, præſertim Aremorica, ſedes ſibi ſuiſque quæſivere. Atque hæc Britanniæ Aremoricæ, quod etiamnum nomen manet, in Gallia origo eſt.

ANNO DOM. MC LXXI.

ANgli Hyberniam invadunt, expugnatamque in ſuam redigunt poteſtatem. Neubrigenſis Lib. II. Cap. XXVI. *Iiſdem temporibus Angli ſub ſpecie militantium Hyberniæ inſulæ irrepſerunt, eandem poſtea creſcentibus viribus invaſuri, & partem ejus non modicam armis ſubactam poſſeſſuri. Eſt autem Hybernia (ut accepimus) inter inſulas ſecunda à majori Britannia magnitudinis, ſed eadem (ut ait venerabilis Beda) ſerenitate, & ſalubritate aëris multo præſtantior, egregie pabuloſa atque piſcoſa, & glebis ſatis uberis, ſi non deſit induſtria boni cultoris; ſed populos*

pulos habet moribus incultos & Barbaros, legum & diſciplinæ fere ignaros: in agriculturam deſides, & ideo lacte magis quam pane viventes. Hanc autem ſingularem præ cunctis regionibus habet à natura prærogativam & dotem, ut nullum gignat venenatum animal, nullum reptile noxium. Quinimo certa citaque mors eorum eſt, ad primum Hybernici aëris intractum: ſi forte aliunde advehantur. Porro quicquid inde advehitur, contra venena valere probatum eſt. Sane hoc quoque de hac inſula mirabile eſt, quod cum major Britannia, æque Oceani inſula, nec ſpacio longiori ſejuncta, tantos bellorum caſus experta ſit, totiens exteris gentibus præda fuerit, totiens externam dominationem incurrerit, expugnata & poſſeſſa primo à Romanis, deinde Germanis, conſequenter à Danis, poſtremo à Normannis: Hibernia, Romanis etiam Orchadum inſularum dominium tenentibus, inacceſſa, raro & tepide ab ullo unquam expugnata, & ſubacta eſt: nunquam externæ ſubjacuit ditioni uſque ad annum à partu virginis MC ſeptuageſimum primum, qui fuit Regis Anglorum Henrici ſecundi octavus decimus. Quod enim Britones dicunt eandem inſulam ſuo paruiſſe Arturo: fabuloſum eſt, ſicut & cætera quæ de ipſo mentiendi libidine petulantia quorundam confinxit. Quomodo autem Hybernici, incidendo in poteſtatem Regis Anglorum, longam & nunquam à ſæculo interruptam, & quaſi ingenitam finiërunt libertatem, expoſitu facile eſt, cum res ſit recentis memoriæ. Denique mutandi ſtatus illi regioni hæc fuiſſe occaſio traditur. Hybernia juxta priſcum Angliæ morem in plura ſe regna conſcindens, & conſueta Reges habere plurimos, iiſdem plerunque diſcripantibus diſcerpebatur: & quanto externorum inexpertior erat bellorum, tanto interdum indigenis tanquam propriis viſceribus in mutuam cædem ruentibus miſerabilius eviſcerabatur. Contigit autem quendam Regem terræ illius à finitimis impetitum Regibus coartari nimis, & defectu virium, crudelitatem hoſtium pene experiri.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

viri. Inito ergo conſilio & miſſo feſtinanter in Angliam filio accerſivit viros militares, & juventutem ſtrenuam, ſpe lucri profuſioris illectam. Quorum ope ſublevatus, primo reſpirare: deinde roborari, poſtremo ſubactis hoſtibus triumphare cæpit. Nec ſuos adjutores abire paſſus eſt, ſed tanta eos largitate donavit, ut obliti populum ſuum & domos patrum ſuorum, ibidem eligerent habitare. Cum autem ferociſſimi totius Hyberniæ populi contra eundem Regem indignari, & tumultuari inciperent, quod gentem Anglicam Hyberniæ immiſiſſet: illi metuentes paucitati ſuæ, accitis ex Anglia viris inopia laborantibus & lucri cupidis, vireis paulatim auxerunt; & quia nondum habebant Principem, erantque adhuc tanquam oves non habentes Paſtorem, accerſiverunt ex Anglia præficiendum ſibi virum nobilem & potentem Comitem, ſcilicet Richardum. Qui nimirum cum eſſet magnanimus, & ſupra vireis rei familiaris profuſus, ampliſſimis reditibus exinanitis, & exhauſto fere patrimonio creditoribus erat ſupra modum obnoxius; atque ideo proclivius ad majora invitantibus adquievit. Armatorum ergo juvenum plurima validaque manu contracta in terra juris ſui, claſſem transfreturus in Hyberniam præparabat. Cumque jam ſolvere pararet, affuerunt qui ex parte Regis transfretationem inhiberent. Ille vero nullius rei, quam in Anglia poſſidere videbatur, remoratus affectu, nihilominus transfretavit, atque expectantes ſocios optato lætificavit adventu. Iunctis mox copiis aliquid audendum aggrediendumque ratus, quo in poſterum barbaris foret terribilis, pervicaci impetu irruit ſuper Divelinum, urbem maritimam, totius Hyberniæ Metropolim, portuque celeberrimo in commerciis & commeatibus noſtrarum æmulam Lundoniarum. Qua fortiter celeriterque expugnata & capta, plurimos etiam longius poſitos metu perculſos in fœdus venire coëgit. Inſiſtebat finitimis pertinacius, priſcam tueri nitentibus libertatem: munitiones locis opportunis conſtruere: & dominationes paulatim proten-

dens;

dens. Porro quantulamcumque nationis barbaræ gratiam per affinitatem affectans; fœderati Regis uxorem accepit, & partem regni plurimam, nomine dotis percepit. Cujus tam fauſti ſucceſſus cum regi innotuiſſent Anglorum: motus quod eo non ſolum inconſulto, ſed etiam inhibente rem tantam fuiſſet aggreſſus, & præclaræ adquiſitionis gloriam illi potius, ut præcellenti, aſcribendam in ſe convertiſſet, omne ejus in Anglia patrimonium fiſco addixit: &, ne quod ex Anglia ſubſidium Hyberniæ inferretur, commeatus navium interdixit. Fortiora quoque comminans, in gratiam maturius redire compulit jam pene regnantem. Itaque extorſit ei nobilem civitatem Divelinum, & cætera, quæ in adquiſitione potiora videbantur: parte vero reliqua cum patrimonio ſuo Anglico integro illi reſtituto, juſsit eſſe contentum. Quibus actis idem Comes, qui paulo ante exinanito prodige patrimonio, fere nihil aliud quam nudam nobilitatem habuerat, Hybernicis Anglicisque opibus inclitus, in multa felicitate agebat, quam tamen poſt annos aliquot mors immatura corripuit. Plane hoc ipſo declaratum eſt, quam vanum ſit quod in homine illo ita evanuit: & quam fallax, quod eundem ſibi incumbentem repente, elabendo deluſit. Ex Hybernicis manubiis, quibus multum inhiaverat, & pro quibus etiam tam multum cum periculo ſudaverat ſalutis, nihil ſecum hinc abiens homo ille potavit; ſed laborioſe periculoſeque quæſita ingratis relinquens hæredibus: ſalubrem quoque multis ex ſuo occaſu doctrinam reliquit. Rex autem Anglorum poſt modicum in Hyberniam cum ingenti militia transfretavit; Reges inſulæ, qui eatenus rebelles exſtiterant, adventu ejus pavefactos ſine ſanguine ſubjugavit, rebuſque pro voto diſpoſitis, eodem anno in Angliam cum ſalute & gaudio remeavit.

AN. DOM. MCCXCIV.

CIrca hæc tempora graviſſimi in Anglia motus Regem Eduardum inter & Clerum excitati ſunt. Eduardus Rex, inquit Franciſcus Godwinus, Epiſcopus Landavenſis in Commentario de præſulibus Angliæ, ubi de Archiepiſcopo Cantuarienſi, Roberto VVinchelſo, Clero VVeſtmonaſterii congregato flagitavit ab iis, ut bello magno ingruente à Gallo, & ærario exhauſto, in bellicos ſumptus omnium Eccleſiaſticorum annui proventus dimidium velint contribuere. Ad onus tam intolerandum (ſi forte id fieri poſſet) deprecandum, miſſus eſt præter alios, Gulielmus de Monteforti, Eccleſiæ Paulinæ Decanus, qui una cum ſociis ad Regem introductus, verba paucula eloquutus, ad pedes regios corruit derepente mortuus. Qua re nihil ille commotus, miſit poſtridie Ioannem quendam de Haveringh militem, qui ad Clerum congregatum admiſſus elata voce interrogavit, ecquis adeſſet qui petitioni regiæ auderet refragari? Si quis (inquit) talis exiſtat, prodeat in publicum, ut cum illo agamus tanquam pacis & Reipubl. perturbatore. Ita obmuteſcentibus præ metu omnibus, concedere viſum quicquid fuerat poſtulatum. Cæterum cum reverſus Archiepiſcopus Synodum coëgiſſet, conqueri cœperunt vehementer omnes de vi ſibi illata, atque ille dicere, contra jus faſque ab illis factum, quando onus hujuſmodi Eccleſiæ humeris impoſitum ſuſcepiſſent; quippe in Concilio Lugdunenſi decretum nuper, non licere Eccleſiaſtici ordinis cuiquam, magiſtratui laico pecuniam dare, ſine ſummi Pontificis nutu & conſenſu; ideo credo, ne à Clero Principes aliquid perciperent emolumenti, antequam lucri bonam partem, paciſcerentur Pontifici communicandam. Hunc igitur Canonem ſe in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

ſe inviolatum in poſterum ſervaturos recipiunt. Verum enimvero, quamvis tam recenter Rex adjutus ab illis, de ſubſidio hac vice non interpellaret eos; tamen poſt annum unum aut alterum, in debellanda Scotia ingenti abſumpta pecunia, ordinum conventum (quem Parlamentum vocamus) ut nervos belli pecuniam compararet, Berwici indixit. Ubi cum laici liberaliter dando voluntati regiæ morem geſſiſſent, Clerus ne teruncium quidem largitus eſt, Lugdunenſis Concilii decretum obtendens, quo prohiberi ſe dicebat, de Eccleſiaſticis facultatibus quicquam detrahere, & principibus conferre, inconſulto Papa. Quapropter prorogatis comitiis, ut Londini poſt unum aut alterum menſem Ordinis iterum conveniant, imperatum. Interim vero omnia Eccleſiaſticorum hominum frumento jam plena, horrea, occludi Rex præcipit, & publicis ſigillis obſignari. Deinde (quod plurimum valuit ad iſtorum frangendam pertinaciam) legum patrocinium uniuerſo Clero ſubtrahit, quem protectione ſua per edictum excludit, ut illius ordinis nemini poſthac licuerit alicui litem intentare, cum aliorum quærelis quibuſcunque ipſis eſſet reſpondendum. Die proinde conſtituta cum conveniſſent, non auſi amplius refragari; manus dant omnes, Archiepiſcopo duntaxat excepto; qui, cæteris quintam partem annui fructus Regi concedendam decernentibus, hoc ſolum præfatus, Salvet unuſquiſque animam ſuam, exurgens derepente, diſceſſit. Quam ob contumaciam Rex iratus, bona ejus omnia fiſco adjudicat, neſcio quid præterea minitans. Brevi tamen poſtea bellum Gallo illaturus, antequam diſcederet, in gratiam hominem recipere conſultum putavit. Reverſus autem, multa ac graviſſima impegit ei crimina, ac proditionem inprimis, quaſi cum proceribus conjuraſſet, ſe abſente; quos, ut exauthorato ipſo, car-

 ceri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

ceribuſque perpetuis damnato, filius ſuus Edwardus regno præficeretur, molitos, palam erat. Utrumvero Archiepiſcopus hic noſter tam ſcelerati conſilii particeps fuerit, haud plane conſtat. Hoc attamen conſtat, clementiæ regiæ humillime ſeſe ſubmiſiſſe, & in genua procumbentem veniam admiſſorum multis lachrimis effuſis petiiſſe, idque ea animi dejectione, ut qui noxium negaverit conſtantiam animique magnitudinem tanto præſule dignam non poſſit in eo non deſiderare. Rex igitur ſubmiſſione hujuſmodi nequicquam delinitus, faceſſere juſſum preſcribit, bona omnia mobilia & immobilia fiſco adjudicat, ac aqua denique & igne interdicit, ſub gravi pœna interminatus ne quis tecto recipiat, aut aliqua re juvet. Eo jam redactus erat, ut miſero fuerit fame pereundum, niſi Eccleſiæ ſuæ Cantuarienſis Monachi clanculum aliquandiu foviſſent, donec in Galliam trajiciendi faculias data eſt. Quod illis poſtea magna conſtitit. Nam Rex, id quam primum reſcivit, ipſos etiam proſcripſit, octoginta homines victum oſtiatim emendicare coëgit, donec poſt aliquantum temporis exoratus, Monaſterio rebuſque ſuis illos reſtituit.

ANNO DOM. MCCCLXXVIII.

Anglorum res, regnante Eduardo III. foris adverſus Gallos feliciſſime hac tempeſtate geſtæ, domi graviſſimo plebeiorum motu afflictæ ſunt. Poſt bellum enim Gallis illatum, tandem pugna ad Creſſiacum famoſiſſima ac luctuoſiſſima commiſſa eſt; in qua pars maxima Gallicæ nobilitatis, una cum principibus aliquot, cecidit. Deſiderata poſt prælium triginta militum millia dicuntur. Victor Eduardus, utendum hac tam liberaliter favente fortuna ratus. Caletum, muntiſſimam portuque nobilem civitatem obſidet ac undecimo poſt cœptam obſidionem menſe, capit; manſitque

in

in Anglorum poteſtate uſque ad annum Chriſti MDLVIII, quo ad Gallos denuo Henrici II. Regis virtute armiſque recuperata rediit.

Domi regis anglorum meliorumque civium pacem inſana commotæ multitudinis, ſed numeroſa admodum, manus afflixit haud leviter ac turbavit. Originem tanti motus hic proferre, hujus noſtri inſtituti eſt. Sacrificus quidam, verba ſunt Franciſci Godwini. Epiſcopi Landavenſis, in vita Simonis Sudburii, qui anno MCCCLXXV. Ad Archiepiſcopatus Cantuarienſis ſedem eſt evectus, id temporis (Ioannem Balum appellabant) concionibus ex infima & egena plebe permultos ad id induxerat, ut exiſtimarent, per omnia ſervandem æqualitatem; hominem homini non præſtare, non nobilem ignobili, non opulentum pauperi, non doctum ignaro: communes omnium mortalium parentes, & primos quidem illos ad eum vixiſſe modum, nullo prorſus obſervato diſcrimine. Itaque author illis fuit, ut ad magnum numerum collecti, Regem interpellarent; futurum, ut illi multum adoleſcenti perſuadeatur: quod ſi non fiat, ferro ſe in libertatem vindicarent. Hunc Archiepiſcopus in carcerem aliquando conjectum, neſcio qua tandem religione motus, expedivit, magno certe ſuo & exitiabili malo. Dimiſſus enim cœpit aliquanto etiam pertinacius urgere inſtitutum ſuum. Qui Londini tum erant tenuiores, odio locupletiorum (ut fieri ſolet) laudare factum, per literas etiam invitatis illis Londinum pervenirent, patefacturos ſe urbem promittentes. Collecti adeo ex hac fæce ad ſexaginta pene millium, duces ſibi præponunt Tiletum Strauw, alioſque infimæ ſortis homuncioces; tumque Londinum petunt, nobilium aut paulo opulentiorum domos quo iter faciebant ubique diripientes, ipſis etiam plerumque, ut quemque cepiſſent, obtruncatis aut peſſime mulctatis Londinum

num cum perveniſſent, mittit ad illos Rex qui percontetur quid ſibi velint; ad quæ illi, cupere ſeſe gravibus de rebus cum illo verba facere, deſcenderet igitur ad colloquium. A conſultatione pleriſque viſum, faceret quod peterent: Archiepiſcopus vero & Robertus Haleſius, Theſaurius Regius, nec decorum nec tutum exiſtimabant, ut ſalutem ſuam fidei committeret hominum flagitioſorum; à quibus quam nihil boni aut æqui eſſet ſperandum, ea ſatis demonſtrare quæ paucis ante diebus perpetraſſent. Quapropter, conſultius futurum, noctu, vino ſomnoque ſepultos, inermes, diſcinctos atque diſſipatos opprimere. Hæc eorum ſententia quanquam non probaretur, neſcio qua ratione tamen ad ſeditioſos emanavit; qui iracundia perciti, in arcem Londinenſem, ubi Rex tunc erat, inpetum fecerunt, &, cum ſatis præſidii non eſſet ad reſiſtendum, irrumpunt, ac Archiepiſcopum Haleſiumque magnis clamoribus ad cædem depoſcunt. Archiepiſcopus, quid eſſet eventurum præſagiens, omnem eam noctem præcibus impenderat, & tum forte miſſam celebraquando irrumpentium tumultus primum eſt auditus. Sacro finito, magna animi conſtantia percuſſores opperitur, & cum morari viderentur, ſacello egreſſus, Vadamus, ait, ſecuri. præſtat mori quam, quando non juvat, vivere; neque ſane tempus hucuſque datum eſt in toto vitæ curriculo, quando majore animi conſcientiæque tranquillitate mortem oppetere potuiſſem. Seditioſis obviam datis & clamantibus ubi eſt proditor, Adventum veſtrum (inquit) gratum habeo, mei filii, eccum vobis Archiepiſcopum quem quæritis ut credo, proditorem non item. Correptum è veſtigio trahunt ex arce ad locum maleficis plectendis deſtinatum. Quo cum perveniſſet, quanquam omnia ubique horrendis clamoribus circumſonare & nihil præter minas audiret, neque ullam cruen-
tas

tas nebulonum manus evadendi ſpem ſupereſſe cerneret; his tamen vocibus circumſtantes dicitur affatus; Quid eſt, chariſſimi filii, quid eſt quod paratis facere? Quodnam eſt delictum meum tam grave, ut mortem mereatur? Cavendum vobis eſt ne, me interfecto, qui Paſtor & Archiepiſcopus veſter ſum, (ut de judicio divino nihil dicam) univerſa Anglia interdicto ſupponantur. Plura dicturum, promiſcuis clamoribus undique perſtrepentes, interpellarunt, ſe nec interdictum nec ipſum Pontificem flocci pendere, neque igitur aliud ſupereſſe quam ut cervicem exhibeat amputandam qui regni populique Anglicani proditor extitiſſet. Ille nihiloſecius pergit, & incredibili facundia (*ut erat vir eloquentiſſimus,* inquit VValſinghamus, *& incomparabiliter ultra omnes regni ſapientes ſapiens*) ad pietatem in Deum & Principis obſequium hortatur, non tam proficiendi ſpe, quam officio ſuo fungendi propoſito. Noviſſime, poſt remiſſam carnifici necis ſuæ offenſam, perſecutoribus veniam à Deo precatus, cum ſe miſericordiæ divinæ commendaſſet, flexis genibus, gladii ictum intrepidus expectavit. Percuſſus tandem leviter, manum vulneri admovit, verba hæc ultima edens, Ah manus Domini eſt, quando repetito ictu, digitorum aliquot amputatis, proſternitur. Octavo tandem vulnere mutilatus, capite truncatus eſt. Cædes hæc deteſtanda patrata eſt mane Junii XIV. MCCCLXXXI. quo toto die, & parte proximi, corpus in loco ſupplicii jacuit, nemine auſo attingere. Capita vero ejus & Haleſii, ſimili crudelitate perempti, poſtquam pileos clavis affixerant, haſtis prælıgata per vicos civitatis ad ludibrium circumferunt, & tandem ſuper Pontem Londinenſem ſuſpendunt. Hunc finem vitæ habuit inclytus hic Præſul, qui, quanquam ſacerdotio & canitie reverendus; ſapientia, eruditione, pietate, facundia, comitate præditus, & propter has aliaque, animi imo &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

corporis etiam, virtutes, quæ haud deerant, ſumme fuiſſet venerandus; liberare tamen eum non potuerunt hæc omnia à furore multicipitis illius belluæ (plebis inquam,) cujus iracundia & ſævitia accenſa, nulla exiſtit fera tam atrox, tam crudelis, tam immanis. Habet idem Godwinus eodem de motu hæc in vita Henrici Spenceri, Epiſcopi Norwicenſis, A militia, inquit, ad præſulatum traductus, infulis etiam ſuſceptis, nil niſi bellum & arma ſpirabat. Accepta proinde ab Urbano VI. poteſtate contra ſchiſmaticos (ſic appellabantur qui à Pontifice Rom. injurioſius tractati, illius imperium aſpernabantur (anno M CCC LXXXIII. cum inſtructa claſſe & exercitu magno in Belgium trajecit, invito Rege; qui eam ob cauſam Epiſcopatus reditus fiſco inferendos decrevit, & biennium integrum ab eo detinuit. Ille interea ſtrenui Imperatoris functus officio, fuſis profligatiſque hoſtium triginta millibus, ſeptem autem interfectis; Dunkerkam, Neportum, Burburgum, Poringam, & Gravelingam, aliaſque maritimas urbes, flammis & incendio delevit. Magis laudo (quod priore loco à me fuerat commemorandum) inſignem ejus fortitudinem cum prudentia conjunctam, quam anno M CCC LXXXI. in rebellibus compeſcendis ac domandis demonſtravit. Seditioſorum ingens numerus in diverſis inſulæ regionibus arma ſumpſerat. Horum pars longe maxima Londinum verſus profecta eſt, ducibus Tylero & aliis ex infima plebe, quibus erat in animo, nobilitatem omnem, & ordinem etiam Eccleſiaſticum (exceptis forte aliquot Franciſcanis) tollere è medio, ut ſic opibus eorum fruerentur. Ex iſto hominum genere, præter illos quos Londinum diximus profectos, ingens multitudo ſecedentes, in Nortfolcienſi & Suffolcienſi comitatibus, ducem ſibi præpoſuerunt Joannem quendam Litſterum, tinctorem Norwicenſem, quem ple-

beiorum

beiorum Regem nominarunt. Scenicus iſte Rex, ut factioni ſuæ authoritatem conciliaret, comprehendere moliebatur Guilielmum Suffolciæ Comitem; qui dum cœnaret, ea de re admonitus, illico ſe poripuit è menſa, & ementito habitu famuli Rogeri de Bloys, equitis aurati, per devia incedens, ad Regem tandem pervenit. Hac ſpe fruſtrati, omnibus paulo nobilioribus manu injecerunt, quos Sacramento adegerunt conatus ſuos pro virili promovendi. Et inter eos cum Robertus quidam Salius, Eques auratus, haud diſſimulanter præ ſe ferret cœpta hujuſmodi illorum ſibi non placere; unus ex mancipiis illius domino cerebrum diſperſit. Ex cæteris vero, qui illius exemplo territi ſcelerata eorum conſilia probare videri volebant, Stephanus quidam Haleſius, itidem Auratus, homo ſpecioſus, Regi præclaro dapifer & prægustator deſignatus eſt, aliiſque alia ſimiliter ſunt munia aſſignata. Cum conveniſſe viderentur omnes copiæ, Londinum placet proficiſci, ut ſe ſociis conjungant. Cumque in viam ſe dediſſent, legationem viſum ad Regem mittere, quam obirent Gulielmus Morleius & Ioannes Bruſius, præcipuæ nobilitatis Equites, una cum tribus aliis ſuæ ſortis & conditionis. Spencerus, Epiſcopus ille bellicoſus, moram tunc temporis trahebat Burleyæ prope Stanfordiam; & audito tumultu à ſeditioſis in Diœceſi ſua excitato, licet periculo res non careret, accedere tamen voluit ad illos, ut eorum conſilia quonam tenderent (ſi qua daretur facultas) inveſtigaret ac perficeret. Habebat tunc in comitatu ſuo non plures quam haſtatos octo, & ſagittariorum numerum perexiguum. Inſtructus tam tenuiter & Ickmingamam perveniens, nobiles iſtos in diverſorio reperit, quos jubet edicere, ſi ſeditioſorum quempiam ibi loci hærere comperiſſent. Equites (ruſticorum metu plane defixi) tergiverſari primo, nec quicquam

prodere; Epiſcopum exiſtimantes, copiis deſtitutum, in periculum ſeſe inconſulto & temere præcipitare. Tandem vero cum inſtaret ille, ut bona fide ſecum agerent, metuentes ne, ſi ultra diſſimularent, ſeditioſorum partibus non coacti, ſed ſponte viderentur adhærere, rem totam aperiunt; tumultus concitandi duces duos præcipuos hic adeſſe fatentur; tertium ad obſonia quærenda in oppidum profectum. His ergo duobus, nihil moratus, capita fecit illico amputari, & tertium inveſtigatum ſimili affecit ſupplicio; tumque ad Northwalſham (ubi conſediſſe hanc colluviem acceperat) iter è veſtigio arripuit. Proficiſcenti in via ſe adjungunt nobilium quamplurimi, qui præ metu hactenus ſe occultarant, & è plebe non pauci, hac ſeditionis lue ac contagio nondum infecti. Cum ad locum perveniſſet ubi caſtra rebelles muniverant, in imparatos & nil tale cogitantes impetum facit continuo, & ipſe armatus inter primos vallum traſcendit, munimenta disjicit, cumque perrupiſſet, cum obviis fortiter ſe defendentibus manum conſerit. Sed VValſingamum, ſi placet, audiamus hanc pugnam his verbis explicantem.

Antiſtes belliger, velut aper frendens dentibus, nec ſibi nec hoſtibus parcens, ubi majus conſpicit eſſe periculum, dirigit robur ſuum; hunc perforando, illum dejiciendo, alium vulnerando non ceſſat lædere vehementer, donec omnes copiæ quæ eum ſequutæ fuerant, foſſa tranſcenſa, ad confligendum paratæ forent Tum pugnatum eſt acriter ab Epiſcopalibus, nec ſecus à ruſticis, donec (ut aſſolet) nequitiæ conſcientia partem terreret injuſtam, & animum ab audacia & voluntate ſubtraheret moriendi. Fugiunt tandem meticuloſi plebeii, & quia nulla alia reſtabat via, ultra impedimenta ſua (quæ à tergo locaverant (per ſaltus evadere conantur. Sed præſul imperatoris circumſpecti ubique gerens officium, hos conatus elidit, & fugere meditantes cædendo impedit, impediendo cædit, donec

captis

captis majoribus turbæ concitatoribus, & ipſo eorum Rege Ioanne Liſtero, quotque volebat ad vitam reſervatis, plena potiretur victoria. Quibus ita geſtis, nondum quievit Epiſcopus, donec perſcrutatis per totam regionem malefactoribus, juſtitia fieret de iiſdem. At Liſterus inprimis, bellus iſtorum Rex, Northfolcoram idolum, ad furcam pertractus, pœnam luit proditoribus apud nos uſitatam. Sic VValſingamus, paucis mutatis. Hic delirantis plebis Anglicanæ motus peſſimi nocentiſſimique exempli fuit, & ſequutis poſt temporibus Germaniæ inprimis pacem turbavit.

AN. DOM. MDCIII.

Eliſabetha, Angliæ Regina, innupta moritur. Succeſſorem dixit, habuitque Iacobum VI. ejus nominis Scotorum Regem, Magnæ autem Britanniæ I, conſanguineum proximum. Sic Scotia & Anglia ſub uno eodemque Principe conjunctæ ſunt, Regnaque Magnæ Brittanniæ, novo nomine, appellatur.

Nunquam alias majoribus hoſtium inſidiis expoſitum & pene oppreſſum Magnæ Britanniæ Regnum fuit, pulvere pyrio in effoſſam ſub Parlamenti aula humum illato, quo Rex, & ſoboles Regia, & procerum optimi quique ac maxime, è medio tollerentur. At eæ inſidiæ mox per conſcios detectæ ſunt.

AN. DOM. MDCX.

Epiſcopi Scotiæ, cum ſolo Epiſcoporum nomine juriſdictionem ſummam in Eccleſias exercere non poſſent, ut quidem volebant, impetrant à Rege titulum Commiſſariorum Regiorum in cauſſis Eccleſiaſtices, ſive JVDICVM CELSÆ COMMISSIONIS. Sic enim loquuntur. Hæc magnorum, qui in Scotia dein ſequuti ſunt, motuum eſt origo.

AN. DOM. MDCXXV.

Cæſaris, longe lateque per Germaniam victoris, & pro arbitrio ſuo paſſim ſacra omnia & profana mutantis, res potentiamqne auctas Europæorum Principum alii grantulanteſque, matrimoniis aut fœderibus Auſtriacorum illigati; alii dubii, ſibique ex tantis Cæſareæ potentiæ incrementis haud ſine cauſſa metuentes, excepere.

Ludovico XIII. Galliarum Regi dubium fuit, an armis etiam reſtituendi aut juvandi eſſent illi Principes, qui Religionis à Romana diverſæ erant. Convocat ergo Clerum Galliæ, ejuſque hac de re judicium exquirit. Reſponſum à Clero eſt, ſcripto in vulgus edito; Fœdera, cum hæreticis & infidelibus, ut loquuntur, Principibus licita eſſe: Principes afflictos oppreſſoſque, licet in ſacris diſſentientes, tamen eſſe legitimos; & ditionibus non ejiciendos, & ejectos, eorum, quorum intereſt, ope manuque eſſe reſtituendos.

Iacobus I. M. Britanniæ Rex, dum eadem de re cogitat, hactenus ſpe matrimonii inter filium & Hiſpanam, inanibuſque Cæſaris promiſſis lactatus legationibus deluſus, cum corruptis etiam aulicis diſſidiiſque procerum commiſſus, moritur. Succedit ei filius Carolus, nominis I.

AN. DOM. MDCXXXVIII. XXXIX. XL.

Epiſcopi Scotiæ Angliæque, agente id ac urgente inprimis Gulielmo Laudo, Archiepiſcopo Cantuarienſi, Angliæque, ut vocant, Primate, curant excudendum, obtrudendumque Eccleſiis, CODICEM NOVUM LITURGIARUM, SIVE COMMUNIUM PRECATIONUM, ET IN ECCLESIA OF-

OFFICIORVM. Hunc, cum continere deprehenderetur plurima, quæ repudiata Romanæ ſedis Sacra ac inſtituta ſaperent, Paſtores plerique & Proceres non admittendum cenſuere.

Igitur adverſus Epiſcopos Synodus Glaſguæ in Scotia celebratur, excluſis Epiſcopis, ut reis. In ea, & Epiſcoporum uſurpata in Eccleſiis auctoritas, & novus ille Liturgicus Codex; & quinque Cerimoniæ, Pertenſes dictæ, I. Genuflexio in S. Cœna. II. Celebratio quinque dierum, Nativitatis, Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini, & miſſi Spiritus S. III. Baptiſmus privatus IV. Cœna privata. V. Confirmatio paſtorum ad ritum Anglicanum, quæ obſervanda maximopere hactenus Epiſcopi contendebant, damnantur. Inde atroces Epiſcoporum Angliæ Scotiæque in Eccleſiam & Regnum Scoticum conjurationes.

Fine anni Briſacum, Germanici haud dubie clauſtrum & arx Imperii, à Gallis; ductu Saxowimarienſis Ducis Bernhardi, expugnatur. Ita non modo celeberrimum Alſatiæ munimentum, ſed, ut Auſtriaci appellant ipſi, clavis Germanici Imperii in Gallorum manum venit ac poteſtatem.

Tandem à Carolo I. M. Britanniæ Rege, impetrant Epiſcopi, iiſque addicti in aula, ut in Anglia claſſicum contra Scotos caneretur. Mox concurrunt Anglici & Scotici exercitus in utriuſque Regni confiniis; ſed tandem, miſſis ultro citroque legatis, à Scotis obtinetur, ut militem dimittant, ſed ea lege, ut & Synodus alia Eboraci cogeretur facta à Rege legato Joanni, Comiti Traquariæ, poteſtate, ut, pro ſuo judicio, Regis nomine, omnia ejus Synodi decreta confirmaret. In ea vero Synodo eadem quæ in Glaſguenſi, decernuntur, & à legato Regio, cum videret nullum alias futurum motuum finem, laudantur. At cum à Scotorum ſupremo Senatu mox convocato, ſolenni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

lenni more, ejuſdem Synodi decretorum confirmatio impetrari deberet, legatus Regius, aliis jam acceptis à Rege mandatis, noluit ejus leges ac decreta rata eſſe: cui cum obluctarentur Proceres, nomine Regis mox Supremum hunc Ordinum Senatum conventumque diſſolvi finirique juſſit. Inde Procerum querelæ, Regi in Scotia ritè ac majorum more convocatum Senatum Ordinum ſupremum ſolvendi finiendive non eſſe, aut fuiſſe unquam, poteſtatem.

Sic alii atque alii, majoreſque inter Scotos & Regem motus exorti ſunt, & à Scotis in Angliam idoneo cum exercitu penetratum eſt. Tum Epiſcopi, iiſque faventes, convocandi in Anglia Supremi Senatus, tot annis dilati, conſilium ſuppeditant. Ergo & ille convocatur, magna Epiſcoporum ſpe futurum, ut ingentibus promiſſis lactati Angliæ Ordines ante omnia ingentem pecuniæ vim ſtatim offerrent, quâ bellum jam adverſus Scotos gereretur. At in eâ exſpectatione mox deluſos ſeſe deprehendunt, Aſſeſſoribus inprimis Inferioris Domus, ut vocant vulgo, aut Parlamenti, contendentibus, cauſas horum motuum ante omnia inſpiciendas eſſe & fontes, ac ſatisfaciendum Procerum Angliæ tot expoſitis hactenus, & tot dilatis querelis ac poſtulatis. Inde Epiſcopi ſibi metuere, & urgere, ac obtinere etiam à Rege, ut Senatus hic quoque confeſtim ſolveretur.

Inter hæc nomine Re is cum Scotis iterum agitur de fine tandem inteſtinis motibus imponendo; cum intelligerent ſatis Epiſcopi bello, quod imminebat, gerendo, impares ſeſe eſſe. Tum poſtulare Scoti; I. Vt proxime conſcripti Ordinum Senatus, quanquam iniquo aliorum conſilio ſolvi eum Rex juſſiſſet, decreta ſuo nomine jubeat rata eſſe. II. Vt Scoti in Anglia Hiberniaque pronuncientur nulli omnino pœna obnoxii, ob fœdus in Scotia contra Regis & Regni hoſtes factum. III. Vt in belli hujus

faces

faces ac auctores ſeverè animadvertatur. IV. Ut naves Scotorum in Anglia & Hibernia detentæ hactenus ſimul cum mercibus interceptis reſtituantur. V. Ut de injuriis, damnis, ſumtibuſq; hoc bello factis Scotis ſatisfiat. VI. Ut edicta Regia contra Scotos promulgata abrogentur & revocentur. VII. Denique, ut ex conſilio & conſenſu Ordinum Angliæ Regni, in publicis Comitiis, milites in limitibus diſpoſiti removeantur, & quicquid commerciis utriuſqe, Anglorum Scotorumque, gentis officere, obſtare, vel obeſſe poſthàc poſſet, auctoritate regia tolleretur.

Inter iſta Epiſcopi, Primateſque Angliæ, iiſque faventes, nihil æque qnam continuandum adverſus Scotos bellum urgebant. Sed & tum quoque plurimi Angliæ procerum, ſimul cum Londinenſibus, ſupplices ad Regem litteras dedere, quibus Regni Religioniſque ruentis, per Epiſcoporum inprimis factionem, monopolia, magno ſubditorum damno, nonnullis permiſſa, onera & vectigalia ſolito majora imperata, Regni Senatus Supremi longum jam ſilentium aut intempeſtivam miſſionem, publici nervos ærarii omnes acciſos, denique præſentiſſimum periculum Regi ex bello Scotico imminere, exponunt, rogantque ut primo cum Scotis inducias faciat, aut pace tranſigat, Comitia Parlamenti Anglici quamprimum indicat, in quibus de omnium turbarum, malorumque auctoribus, majorum more, quæreretur. Rex poſtulatis tandem, adactus neceſſitate, annuit. Ita Parlamentum in Anglia cogitur; in quo dum rei Epiſcopi offeruntur, & iccirco à Comitiis arcentur, dumque in Proregem Hiberniæ Staffordum, & Archiepiſcopum Cantuarienſem Guilielmum Laudum, civilium motuum præcipuos auctores creditos, capitali ſupplicio animadvertitur, ſtudia Regis ac Procerum & populi ſcinduntur, aſperrimoque civili aut inteſtino bello, quod facile aut temere

mere cœptum difficulter plerumque finitur, inter ſeſe committuntur.

AN. DOM. XLIX.

Inter hæc Angliæ, Scotiæ, Hiberniæque Rex Carolus I. regnorumque Proceres, ſubditique, in contraria ſciſſi ſtudia, maximi terroris motibus belliſque domi inter ſe committuntur. Ex quibus, capto tandem rege, & ſecuri ab Anglis publice percuſſo, regiaque omni ſobole regio nomine ac jure exuta, magna converſio rerum ac mutatio facta eſt.

Hæc ex Clariſſimi Boxhornii Hiſtoria Univerſali hactenus excerpſimus.

FINIS.

VIRI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

VIRI NOBILISSIMI CLAUDII SALMASII DISSERTATIO.

De parricidio apud Anglos in perſona Regis, CAROLI I. *ſacrilegorum hominum nefariæ conſpiratione admiſſo, præmiſſa Defenſioni Regiæ.*

HOrribilis nuper nuntius aures noſtras atroci vulnere, ſed magis mentes perculit, de parricidio apud Anglos in perſona Regis ſacrilegorum hominum nefaria conſpiratione admiſſo. Quoſcunque infandus hic rumor attigit, haud ſecus ac ſi fulmine adflati eſſent, derepente his *arrectaque horrore comæ, & vox faucibus hæſit.* Si qui molliore ingenio nati ſunt, lacrymas etiam non tenuerunt, nec abſtinuere gemitu. Fortius vero animati, tanta indignationis flamma exarſerunt ut vix ſe caperent. Nemo certe non diras imprecatus eſt tanti ſceleris, tam inauditi, tamque inuiſitati auctoribus. Ut enim improviſa magis feriunt, ita inopinatos cum oppreſſiſſet res adeo nova, nemo ſic ferus ac ferreus repertus eſt atque ab omni ſenſu humanitatis alienus, vel à regiæ majeſtatis reſpectu averſus, cujus in pectore luctum privatum cum publico mœrore conjunctum non excitaverit miſerabilis tam ſacri capitis & mirabilis cædes. Fatendum quippe eſt, ex quo regium in orbe nomen gubernandis populis natum notumque fuit ad hæc uſque tempora, quæcunque in medio ſæcula fluxere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

xere nullum ſimile huic factum vidiſſe nec audiviſſe. Ejuſmodi certe eſt ut inter ptobra ſæculi nunc memorari debeat, inter portenta olim numerandum, niſi fides hiſtoriæ noſtræ laboret apud poſteros, vix credituros quicquam tale hoc ævo contigiſſe. Enimvero vel ad ſecuritatem ſuam temporum ſequentium intereſt ut pro fabula habeatur, quod geſtum hodie negare non poſſumus. Nam ſi repertæ nunc ſunt belluæ tam immanes ſub humana facie, quæ eouſque veſaniæ nullo exemplo prioris ævi incitatæ proceſſerunt, quid putamus olim futurum ubi exemplum proditum fuerit quod ſequantur aliquando gentes aliquæ, quæ ſciant & credant noſtra ætate rem eam fuiſſe perpetratam, quam ipſæ videantur poſſe cum venia imitari. Longe itaque magis expediet venientium poſt nos annorum hominibus, ſi in monumentis noſtris hanc hiſtoriam legerint eodem modo & pari incredulitate, qua boves loquutos, amnes retro verſos, ſtatuas ſudantes, pluvias ſanguineas, hodie in priſcis memoriis videmus. Hoc vero intereſt quod prodigia ejuſmodi per ſe innoxia, ſed tanquam futuræ alicujus cladis prænuntia cum voluptate & riſu tranſire ſolemus. Nam pleraque eorum quæ pro oſtentis apud antiquos habita ſunt, cauſas interdum habuere ſuas naturales, quamvis ſint ex raro contingentibus. Iſtud vero quod factum jam deteſtamur, quia nunquam factum fuiſſe miramur, cum inſtar prodigii ſit habendum, quod nec in homines poſſe cadere putaremus niſi jam cecidiſſe videremus, ſi pro incredibili non eſt habitura poſteritas, cum malo id ſuo maximo croditura eſt. Quod enim fidem ſuperat, præcipue ſi contra bonos mores fiat, ſi humanitati bellum indicat, ſi in crimen nefandum cedat, quando mox fidem nanciſci incipit, quaſi obice ſublato fas omne abrumpit, & quod vetitum antea fuit, præjudicio quodam ut licitum eſſe videatur, quia factum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

ctum ſit, facit. Inde eſt quod cum majore excuſatione peccant qui ad peccandi magiſtrum exemplum provocant, quique patrocinium ſcelere ſimili quod antea commiſſum fuiſſe conſtiterit, repeiunt. Hac ratione quod in Anglia factum facinus cum horrore accepimus, quia exemplo caret, tanto minus ignoſcendum, magiſque adeo execrandum, curandumque enixius ne hoc ipſo tempore penetret ad plures, & ne pro exemplo ſit perniciem trahente veniens in ævum. Digni itaque omnium odio & inſectatione qui fecerunt, digniſſimique porro quos flamma ferroque perſequantur non ſolum quotquot ſunt in Europa reges & principes jure regio imperantes, ſed etiam omnis magiſtratus, omneſque adeo reſp. bene conſtitutæ & moratæ. Hæc enim fanaticorum factio non ſola regum ſolia appetere geſtit, ſed omnes poteſtates quas ipſa non fecerit conatur ſubvertere, cum nihil aliud niſi rerum mutationem captet & cupiat, non ſolum in repub. ſed in Eccleſia, cum perpetua novandi libidine qua ſibi imperandi omnibus nullique parendi licentiam adſtruat. Dum id aſſequantur quod volunt, pari ſtudio de repub. regnum conſtituere parati, ut de regno remp. nunc efficere contendunt. Non ſolum regni ſubverſionem, ſed etiam legum everſionem ſibi cordi eſſe ſatis oſtendunt. Nec enim regem ſuum legitimum tollere alia via potuerunt niſi per omnium legum quibus regnum illud erat fundatum abrogationem. Ne quis autem erret, non pro regio regimine popularem conſtituere gubernationem in animo unquam aut voto habuerunt. Res ipſa indicat quid voluerint. Pro uno rege quadraginta tyrannos impoſuerunt, cum triginta ſibi ſufficere crediderit olim Athenienſium civitas, plus ſatis onerata ſi vel unum perpeſſa eſſet. Nam quanto rei malæ plus, eſt, tanto gravius & pejus eſt onus. Cui autem dubium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

bium eſt quin ſi unus ex illis Triumviris Anglicanis ſceleſtæ in regem factionis ducibus & anteſignanis, in republica natus eſſet, quin eundem animum ad eam evertendam allaturus fuerit, quem attulerunt ad regem tollendum? Regem quidem apparet eos, ſuſtuliſſe, ſed nec minus manifeſtum eſt regnum ſibi retinuiſſe, dum quod ſub uno erat in plures diviſerunt, & triginta ac ſeptem ſocios tyrannidis adſcivere qui imperium ſecum tenerent, gravique & intolerando ſervitio cives ſuos premerent. Nam ſub ſpecie libertatis tyrannidem ſæviſſimam velle eos exercere vel cæcis clarum eſt. Vocari illi ſe quidem *libertatis publicæ cuſtodes* in actis publicis poſtulant. Æque bono jure latro quia viatorem ſpoliaſſet, ſe crumenæ ejus cuſtodem apellari vellet. Ita draco gazæ cuſtos eſt cui incubat, à nemine tangendæ. Ita avarus pecuniæ pauperibus extortæ curam gerit, quam arca conditam ſervat nulli erogandam. Ita fur cuſtodiam ac tutelam habet rerum, quas domino ſurripuit. Egregios ſcilicet libertatis conſervatores & vindices, quam regi primum eripuerunt, deinde & Senatui! Nec libertatem eripuiſſe contenti, vitam etiam porro pluribus procerum injuſto judicio ademerunt, poſtremo & regi, nequid ad ſummam deeſſet ſceleris, quod una hac impietate ſuprema cumulatum reddiderunt. Regnum nolunt niſi ſuum ſit. Reges abominantur niſi ipſi ſint. In republica fieſſent, magiſtratum averſarentur quem ipſi non conſtituiſſent. Ita rempublicam amant in regno, in republica regnum, ſed utrobique imperium affectant, nec quemquam regnare aut imperare præter ſe juſtum atque æquum exiſtimant. Inde eſt quod *Independentium* nomen adoptarunt, utpote qui à nemine pendere & à ſe omnes volunt. Ex ſectæ ſuæ præſcripto nullum bonum regem putare poſſunt qui vel optimum non ferrent, cum palam profiteantur, dominatum regium cujuſcunque principis,

licet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

licet in eo virtutes omnes rege dignæ eminenter elucerent, reipublicæ inutilem eſſe, immo gravem. Tantum eos odium regiæ appellationis tenet, cum poteſtas ipſa perplaceat, ut ab ipſo Deo oblatum regem non recepturi videantur, jam datum deturbaturi; ſanctiorem quinimmo ipſo Davide, Salomone ſapientiorem nullo modo toleraturi. An miretur jam aliquis ſi regem, nulli veterum Chriſtianorum regum pietate, juſtitia, religione, & clementia ſecundum, regno & vita privarunt; præterea ſuum & legitimum, poſtremo eum cui fidelitatem juramento non ſemel nec vice ſimplici promiſerant? Quia regnum extinctum voluere, ideo regem extinxerunt, cujus maximum apud eos fuit crimen quod rex eſſet. Nec porro etiam mirum ſi innocentia vitæ non potuit eum tueri, qui nocens erat eo ipſo quod regnabat, non quod male regnaret. Non multis argumentis colligendum, nec longa & difficili conjectura quærendum quid factioſos iſtos ac rebelles in tantum furorem impulerit. Non ſanè crimen regis hoc fecit, ſed ſuum. Nempe affectatio tyrannidis. Si id ſolum ſpectaſſent, ſi de eo tantum cogitaſſent quo modo forma ſtatus publici mutanda ſibi in melius foret, ſatis illis eſſe debuiſſet, ablato rege, & abolita regia dominatione rempublicam qualis erat relinquere, penes Senatum cujus proxima ſemper à rege fuit auctoritas, ſummam poteſtatem pati reſidere. Abſque nulla alia novatione, ſtatus hic popularis fuiſſet. Democratiam ſi duntaxat optaſſent, non alia melior conſtitui potuit, quam ex tribus populi ordinibus, ex quibus compoſitus ille Senatus fuit. Nonne ex Epiſcopis conſtabat qui Eccleſiam; ex Optimatibus qui Nobilitatem; ex Deputatis urbium qui Plebem repræſentarunt? Sed Eccleſiaſticum ordinem in Epiſcopis præcipuè conſiſtentem non ſolum Senatu ejiciendum, ſed etiam penitus abjiciendum cenſuerunt. Non dicam jam quo conſilio-

ſilio & qua mente, nec quam recte id fecerint. Mitto etiam dicere de antiquitate eorum, de inſtitutione ad hoc primum facta ut ſchiſmata de Eccleſia tollerentur. Non addam in ipſa Reformatione apud Anglos fuiſſe ſervatos. Sed illud conſtat neceſſarios vel inde videri oportere, & omnino vel fatentibus multis ipſis Presbyterianis retinendos, quod quandiu fuit Epiſcopatus mille peſtiferæ ſectæ & hæreſes in Anglia non pullularunt, & inter eas vel teterrima iſta cui nomen *Bruniſtarum*, & *Independentium*. Illi ipſi ſunt qui Epiſcopos primo, deinde & Optimates è Senatu extorres dederunt, mox & regem è regno ac vita. Saltem nobiliorem populi partem, jus ſuum ſedemque in Senatu retinere paſſi eſſent, ſi veram ac genuinam Democratiam conſtituere laborabant, An Democratia eſt quæ ex viliſſima tantum plebe conflata eſt, excluſis Optimatibus? Hanc vero ὀχλοκρατίαν Græci veteres dixere. Quam & vitium Δημοκρατίας ita eſſe ſtatuerunt, ut Tyrannis eſt exceſſus veræ ac legitimæ Monarchiæ Sed non ea cura quietem horum Reipublicæ turbonum ſollicitavit, ut meliori regimine, quale eſſe populare ſibi videri ſimularunt, mutari cuperent ſtatum qui tunc in Anglia ab uno regebatur. Plebis nomen in quo ſepremam anctoritatem quaſi de jure naturali reſidere affirmant, ambitioni ſuæ prætenderunt, ut hoc ſpecioſo prætextu ipſi arripere tyrannidem poſſent, ad quam tanto ambitu, tanto conatu jam dudum viam affectabant. Idque eventus planiſſime docuit. Pro uno quippe plures inde reges, ſive tyranni potius, exorti ſunt. Immo vel ad unum ſummam rerum rediiſſe exinde videre eſt. Quem enim alium dare merito poſſumus titulum præſidi illi Conſilii ſupremi, quod nunc vice & loco Regis qui jam nomine nullus eſt, omnia pro abitrio temperat ac gubernat? Rex ille quidem vere cenſen-

dus;

dus, quamvis nomen abſit, quia res adeſt quæ ſine titulo minus habet invidiæ, ſed non minus habet auctoritatis. Nonne ad eundem plane modum, & ſimilem prorſus imaginem cum Auguſtus Cæſar rempublicam occupaſſet, ſub nomine *Principis* imperium tenuit, quo nomine tunc temporis Romani eum qui primus eſſet Senatus, appellare conſueverant. Ita iſte præſes & princeps Conſilii non regio nomine, ſed regia poteſtate, adſumptis quaſi adſeſſoribus & conſiliariis, illis ipſis quibus auctor ac dux fuit conjurationis ſceleratæ ſectariarum, regem non alia cauſa neci dedit, quam ut ſella non quidem Regia ſederet, ſed cum auctoritate plus quam Regia ac vere Tyrannica. Ita ille inquam nequiſſimus latro quaſi tyrannum occiderit, pro præmio tyrannicidii fruitur ipſa tyrannide, cum ob regem parricidialiter obtruncatum nefarii ſceleris pœnas meritas ſuſtinere deberet. Sic pretium facinoris ejuſdem ſæpe alter crucem patitur, pro quo alter potitur diadema. Ne quis vero dixerit hos cum duce ſuo ſicarios, faces ac fæcem patriæ ſuæ, regali tantum potentia niti, cum à nomine regio tantopere abhorrere videantur. Si ipſe iſte rex, quem morti inſontem adjudicarunt, vel centeſimam partem eorum facinori commiſiſſet in legibus divinis & humanis violandis, quæ iſti ſcelerati commiſerunt, tam merito tyranni nomine dignum eum ducerem, quam immerito in ſententia capitali contra eum lata hoc elogio donatus eſt. Per Angliæ regni vetera ſtatuta non licuit regi legem ullam condere citra populi aſſenſum. Quam legem hi ſcelerati ac perditi latrones non temerarunt, cum omnes etiam illas quibus tanquam jura ſtabilita videbantur, plane abrogaverint? Nulla lex eſt qua regem fieri reum liceat, accuſari, condemnari capitis ſupplicio affici. Hæc illi tyranni omnia ſine lege fecerunt. Quanto ergo faſtigio regiam potentiam iſta potentia ſupergreſſa eſt, quæ regem ipſum,

ipſum, legem auctorem conditoremque cunctarum quibus populus tenetur, judicio nullo, nulla lege, nullo jure morti addixit? Si rex quem libet ex ſuperiore vel inferiore domo auguſti illius Conſilii ſui Senatorem tali ſupplicio, non rite, ac ſine juris ordine curaſſet afficiendum, tyranni notam non effugiſſet. At iſti regem ipſum mactandum carnifici publico tradiderunt, nulla ſibi in eum competente juriſdictione. Quantæ vero eſt potentiæ, quam infinitæ ac pluſquam Tyrannicæ, non unam aut alteram legem abolere, ſed per mille amplius annos receptam, probatam, uſitatam regiminis formam repente evertere, & in alium ſtatum tranſmutare? Hoccine fieri potuit, abſque legum omnium, & veterum regni inſtitutorum everſione; Quinimmo & nominatim leges omnes civiles & criminales quibus per tot annos uſa eſt Anglia, refigendas ſanxit, novaſque figendas. An hoc ſine maxima reipublicæ perturbatione & omnium rerum confuſione peragi potuit? Quis olim Romæ dictator ſive ad tempus, ſive perpetuus; tantum potuit impune, quantam iſti poteſtatem per vim & violentiam armorum uſurparunt? Cæſar cum armis libertatem civium oppreſſiſſet rempublicam æquis legibus antea temperatam in perpetuæ Monarchiæ jus ab uno diſpenſandæ convertit. Hoc alicui Cornelio Syllæ, hoc Iulio Cæſari licuiſſe, principibus ſuæ ætatis viris generis & virtutis merito, fortaſſe minus intolerandum. At idem Manios aliquos, terræ filios, vix domi nobiles, vix ſuis notos, licere ſibi credidiſſe quis ferat? Nec eſt quod quis dicat contrarium Cæſari inſtitutum eos tenuiſſe, & pro Regno vel Monarchia rempublicam æquabili jure adminiſtrandam ſubſtituiſſe. Pro legitima quippe, proque juſta regia poteſtate, tyrannicam invexere popularis ſtatus fuco coloratam. Quod enim de populi regimine in Anglia ſtabiliendo jactarunt, ad populum factæ

phaleræ

phaleræ fuere. An Democratia eſt in qua quadraginta homines nefarii regis ſui carnifices, ſummam habent rerum poteſtatem, à qua non licet provocare? Ne quidem Ariſtocratia eſt, in qua optimates & primores populi cum ſummo jure plebem regunt. At iſtæ ſicariorum viles & impuræ animæ optimatum conſeſſum aboleverunt, locum ei nullum in parte procurandæ reipublicæ eſſe voluerunt, ad plebem in ſpeciem totum regendi jus tranſtulerunt, ſed revera ſibi vindicarunt; id eſt paucis è fæce plebis ortis reſervarunt, immo vel uni nebuloni, fanatico, homini obſcuro, turbarum omnium quæ per tot annos Angliam dilacerarunt, auctori, incentori, promotori. Non æquiores fuerunt conſeſſui plebis, quæ alteram partem habuit auctoritatis in adminiſtranda ſub republica pleriſque eorum in carcerem & vincula conjectis quos tyrannidi ſuæ minime favere animadverterunt. Idque poſt inſeſſam armatis urbem, poſt direptum ærarium publicum, poſt tractum è carcere ad cauſam capitis dicendam Regem. Priuſquam hæc omnia tyrannicæ violentiæ facta edidiſſent, ſcriptum emiſerant ad Senatum ex utroque conſeſſu optimatum & plebis etiam tunc compoſitum, quo edicebant, pro imperio ſcilicet, quid ſuæ voluntatis eſſet ſtatuere de Regis condemnamnatione, de Principis VValliæ ad judicium citatione, de Senatus finiendi poteſtate, de novo reipublicæ gubernandæ ſtatu inſtituendo. Hanc eo ſcripto ſibi placere formam gubernationis oſtendebant, quæ ſupremum Senatum, ſicut erat antiquitus, haberet, non perpetuum, ſed annuum aut in ſingula biennia renovandum, tam ex plebeii ordinis viris quam ex proceribus congregandum. Hic ſtatus aliquam ſpem oſtentabat æquabilitatis, & non falſo gaudio libertatis novæ populum lactare videbatur. Democraticum ſaltem apparebat hoc regiminis genus. Nullum in ea declaratione quam

eo tempore dederunt de quadraginta viris imponendis verbum, qui ſummam rerum tenerent, & cum regio imperio omnia pro libitu adminiſtrarent. Ad hoc tyrannicum inſtitutum devenerunt poſtquam urbem in ſuam poteſtatem armis redegere, poſtquam è Senatu alios ejecerunt quibus volentibus non futuram eſſe novam tyrannidem ſciebant, poſtquam denique regem nefando judicio condemnatum, capite truncandum carnifici tradiderunt. Et cum hæc fecerint perditiſſimi nebulones, audent tamen rempublicam nominare, quæ tyrannica eſt gubernatio. Audent magnum ſigillum inſignire libertatis publicæ elogio, quam ipſi nomine tantum tenus populo reliquerunt, reapſe vero vi & armis oppreſſerunt. Hoccine eſt æquam libertatem facere omnibus, & in populo dicere ſummam poteſtatem atque à Deo datam reſidere, cum nulla ad eum provocatio à quadraginta tyrannis detur? cum legum ferendarum nullum jus habeat? cum magiſtratuum creandorum penes eum poteſtas non ſit? Hæc nempe omnia jura ſunt quæ Democratiam conſtituunt, quæ imperium ſummum populo conſervant. Cum populus Romanus, regni ſede dejecto Tarquinio Superbo, recuperatæ libertatis vindices & cuſtodes duos conſules pro rege creaſſet, an tantum & tam merum pœnes eos ſtetit illud annuum imperium, ut non faſces ſummitterent populo pro concione, & jus provocationis adverſus ipſos darent? Populus ſuffragiis ſuis magiſtratus omnes majores minoreſque creabat, leges omnes à Senatu latas confirmabat. Nonne ex eo *Rogationes* dictas conſtat, quod conſules populum in concione rogabant, an illam legem ferri vellet? Inde verba illa ſolennia quibus ad populum in ferendis legibus utebantur, *velitis, jubeatis, Quirites*. Si tale imperium & talis hodie poteſtas populo permittitur Anglicano ab illis quadraginta tyrannis, tum conceſſero eam novam

novam quam inſtituerunt reipublicæ formam nomine δημοκρατίας eſſe ſignandam, ipſos rite appellandos libertatis populi *vindices & cuſtodes*, ut fuere primi conſules apud Romanos poſt reges abdicatos. Nihil hic par aut ſimile, ſed omnia diverſa & contraria. Duces exercitus rebellis regem Senatui ſuo ereptum in duriore carcere captivum diu detinuerunt, urbem regni ſedem armis occuparunt, armatis militibus civium domos repleverunt, ærarium publicum ſpoliarunt, ex regni Conſilio utriuſque ordinis Senatores in vincula conjecerunt, conſeſſum judicum ſelectorum ex ſola inferiore domo contra jura ac leges regni ad regem condemnandum propria auctoritate conſtituerunt, manu deinde carnificis infami pegmati impoſitum & publico ſpectaculo populi ſui expoſitum capite minuendum curarunt, quadraginta latrunculos cum ſummo imperio ad regnum obtinendum & jus dicendum crearunt, leges civiles omnes abrogarunt quibus per plures ætates uſa fuit Anglia, & alias ad libitum ſubrogarunt, pœnas arbitrarias criminibus irrogarunt, ut ſic major eſſet judicum & magis infinita poteſt. Excepto cœdis crimine nullum eſt delictum quod capite puniendum decreverint Si non ſunt hæc tyrannica, & quidem ſupra omnes veteres tyrannos exempla, quid ſit Tyrannis neminem ego ſcire arbitror, nec ipſe ſcio. Raptum vi & armis imperium armis nunc tueri contendunt, ut videantur prorſus Turcico more hodierno velle imperare, aut antiquo Romano, ſed qualis in uſu eſſe cœpit poſt everſam ab Auguſto rempublicam & peſſundatam populi libertatem. Imperii ille Romani uſurpator certum legionum numerum inſtituit opportunis orbis ab ipſo gubernandi locis conſtitutarum, quas opponeret externis bellorum motibus ſi qui ingruerent à gentibus nondum ſubactis. Præter has copias habuit & Prætorianas cohortes inteſtinis rebellioni-

bus retundendis in urbe collocatas & caſtris ibidem poſitis ſemper paratas, nunquam à militia dimittendas. Ad eundem uſum Turcarum quoque imperatori ſui ſunt præſto Ianiſſarii, Prætorianis illis Romanis militibus ſimiles qui nunquam militiæ munere vacant, ſed ſemper excubant ad regis cuſtodiam, quem & ſæpe ſolio per ſeditionem dejiciunt, & tumultuario judicio alium imponunt, eodem plane more quem & illi Romani exercitus in deſtituendis & conſtituendis ſuis Cæſaribus non raro uſurparunt. Placuit hoc exemplum Romanæ Turciæque conſuetudinis edecumatis religionis non Reformatoribus, ſed decoctoribus, non tamen ex illa parte quæ regem tollit, & regnum ſervat. Nam Pagani Muhammedanique milites longe melius quam Chriſtiani, rege uno ſublato alterum ſuffecerunt, nec ſtatum reipublicæ mutarunt. Novitii verò Chriſti ſectatores, immo impuri potius Sectarii, regium nomen pariter cum regno ſuſtulerunt, ut ſpecie publicæ libertatis propriam tyrannidem adumbrarent. Turcarum & Paganorum militum tam ſtudioſis & ſeriis imitatoribus in regibus ſuis interficiendis, non miror & alium ex utraque infidelium natione arriſiſſe morem, præter receptos publice ceremoniarum ritus, quaſlibet alias extrarias admittendi religiones. Hoc fecere Romani, hoc faciunt Turcæ. Illi Græcas ſuperſtitiones, Judaicas & Ægyptiacas cum patriis ſacrorum ritibus introductas coluerunt, hi Chriſtianos & Judæos tolerant, quos tamen damnant, cum unam apud ſe eſſe fidem veram à Muhammede acceptam jactent. Anglicani prophetæ quam magis religionem probent, incertum eſt. cum nullam improbent, & colluviem omnium ſectarum recipiant, & in magiſtratu non requirant certam, cui permittunt credere quodlibet, dum in ipſorum verba juret. Hanc unam videntur amplecti & colere religionem, quaſi veram, quaſi optimam, & quaſi ſuam

quæ nullum agnoſcit ſuperiorem neque in Eccleſia neque in republica. Cum tales ſint iſti Fanatici nebulones in religione, in converſatione, in adminiſtratione reipublicæ, quis non eos patriæ publicos hoſtes dixerit? Hoc parum eſt, communes generis humani hoſtes judicandi ſunt. Putes eos tantum regibus infenſos & infeſtos eſſe quos per ſummum nefas necare ludum habent? Nullus eſt in orbe Chriſtiano Magiſtratus, nulla in terris poteſtas, quantumlibet ordinaria, quantumlibet à Deo ordinata, ut omnes quæ ſunt, inde eſſe conſtat, quam non pari odio proſequantur & perſequi parati ſint, quam non æque exterminatam omni ope cupiant, quia ubique apud eos eadem imperandi effrænata libido, eadem parendi imperita contumacia. Inde *Independentes* vocantur. Ut diſciplinæ Philoſophorum ex præcipuo alioquo doctrinæ ſuæ dogmate nomen adſciverunt, Sceptici quia dubitant, Dogmatici quia adfirmant. Critici quia judicant, ſic iſti quia pro principali axiomate habent ſectæ ſuæ nefariæ, nullis magiſtratibus, nullis regibus, nullis legibus ſubjici velle, *Independentiæ* ideo appellationem adamaverunt, ut rem ipſam quæ nomine ſignatur præ omnibus ambierunt. Magiſtratus cujuſcunque generis & poteſtatis eodem eos loco habere quo reges vel uno argumento evinci poteſt. Cum regem ſuum ignominioſe trucidarunt, non à ſe regem occiſum præ ſe tulerunt, ſed primarium populi Magiſtratum. An ſi in aliqua republica libera viverent, & tantum poſſent quantum in Anglia potuerunt, magiſtratui civitatis magis parcerent quam regi pepercerunt? Si bene mihi noti ſunt non aliter eum tractarent quam regem ſuum acceperant. Forſitan ut aliquo colore deturbare illum poſſent, tunc regium nomen ipſis allubeſceret quod arriperent, aut ſub alia ſaltem appellatione imperium ſibi ſimile adrogarent. Omnis ſane mutatio illis placeret qua omni-

bus adprobare poſſent id quod ſunt, & quod vocantur. Ut nunc res eſt, vexillum erectum oſtentarunt omnibus Nationibus quæ regio dominatu gubernantur, ad reges ſuos non ſolum expellendos, ſed etiam ignominioſo & infami mortis genere publice detruncandos. Nec quid velint aut quid optent diſſimulare amplius ſuſtinent, nempe, ut quod in Anglia ad effectum perduxere, ubique terrarum parem exitium ſortiri videant. Omnes quippe exteros reges votis ſuis interficiunt ut proprium ſecuri percuſſerunt. Enimvero ſi precibus eorum locus eſſet, aut ſi tam improbas Deus ſoleret audire, nullus hodie rex uſpiam Chriſtianis populis imperitaret. Nec enim dubitant Fanatici quaſi cælum ſtet pro partibus ſuis, aut quaſi eventa vaticinari noverint, nullum caput coronatum intra decennium ulla in parte terrarum amplius repertum iri, affirmare. Adeo nimirum potens & efficax exemplum id ſequuturis ſe monſtraſſe opinantur, aut adeo pronos ad ſequendum qua præiverunt via populos futuros ſibi perſuadent. Quid ergo ceſſant regis ſi tuti eſſe volunt, ſi ſecuri, ſi ſalvi, ex toto orbe concurrere & convolare atque in unum convenire, ut junctis copiis & viribus arma expediant ad illas regnorum rerumque publicarum peſtes exterminandas? Iſti ſunt qui regum capita quaſi pilas habent, qui de coronis quaſi trocho ludunt, qui non pluris faciunt ſceptra imperialia quam bacula morionum capitata, quique viliores ſordidis ac laceris pannis ſummorum magiſtratuum inſulas ducunt. Ad hæc, magni Magnæ Britannia Regis ſanguis immani ſcelere perduellium effuſus ad ultionem ſui vocat omnes Chriſtiani orbis Monarchas ac Principes. Hujus Manibus dignius illi parentare non poterunt, quam ſi in integrum reſtituant legitimum beati ac glorioſi martyris hæredem & ſucceſſorem, ſolioque paterno eum reddant, inferiis datis, ac mactatis pro

victimis

victimis ad ſepulcrum defuncti ſanctiſſimi regis belluis illis efferat ſſimis, quæ in tanti regis necem conjurarunt, tam crudele auſæ nefas, auſoque potitæ. Proprii etiam periculi ratione ad hanc vindictam de impuris latronibus ſumendàm provocari debent, ſi honoris ſui, ſi ſalutis aliqua eos tangit cura, ſi cogitatio ulla ſollicitat. Enimvero ſi regia Majeſtas ad crimen & accuſationem civium rebellium veſaniæ paſſim pateret, actum eſſet de regibus. Pejor evadet eorum quam ſubjectorum conditio niſi maturè obviam eatur adeo effrænatæ licentiæ, quæ jam in aliis Europæ graſſari incipit, latiuſque ſerpere porro perget, exemplo regibus nimium pernicioſo. Sine intermiſſione, cum his belligerandum eſt, donec inſtitutum fuerit ad ſempiternam memoriam punitionis ſontium exemplum, ſicut contarium huic rebellionis & impunitatis jam oſtendi cœptum eſt, & ne ubique propagetur, cautio eſt cum improborum exultatione & bonorum gemitu. Vos igitur, Angli, Scotique, vos Hiberni, vos etiam univerſi Chriſtiani populi, inviſam hanc ſtirpem ſectamque nefandam, & genus omne futurum exercete odiis. *Nullus amor* cum his *vobis, nec fœdera ſunto.* Nam quæ pax, quæ pactio, quæ amicitia, quæ ſocietas, cum talibus regi ulli aut Principi unquam Chriſtiano poteſt eſſe, qui nullis legibus tenentur, nulla religione alligantur, nullius poteſtatis ſive civilis, ſive Eccleſiaſticæ auctoritate moventur? Alia etiam ratione cum his in amicitiam coire & fœdera jungere regum nullus, nulla reſpublica, nullus Magiſtratus jam queat aut velit, qui toties perfida dixere ſacramenta, toties fidem fregere, ſi modo fregiſſe dicendi ſunt, quam nunquam habuerunt. Non claſſicum cano, non bellum ſuadeo, niſi quatenus paci graves homines, reipublicæ turbatores, ſeditionum faces, regum vel bonorum oſores, boni publici intereſſe ut non ſint amplius, dico.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

EJUSDEM
DE EODEM FACTO DISSERTATIO.

Excerpta ex Defenſione Regia.

DE facto dicturus, tot novitatum monſtris me circundari ac terreri ſentio, ut quid primum exequar in eo exponendo, quid deinde, quid poſtremo, neſciam. Inter difficultates quæ occurrunt ad exprimendam ut par eſt tam incredibilis flagitii immanitatem, hoc unum facile dictu ſuppetit, quod iterum iterumque repeti debet, idemque veriſſimum: Nempe ſolem ipſum dum annuum conficit curſum iniquius & atrocius factum nunquam adſpexiſſe alterum. Nam ſi per ſe conſideretur, ab orbe condito quo primus homo ſimul à Deo creatus eſt, & rex ac dominus ſuper omnia ab illo creata conſtitutus, memoria non extat facinoris iniquitate & atrocitate huic comparandi. Inde enim origo regum regiique regiminis petenda eſt. Hæc cum primo homine & cum ſolo novo cœpit, quoniam primum parentem numeroſus ex eo deſcendens natorum & qui ex his nati ſunt populus pro rege habuit & obſervavit ut primum ſui generis auctorem. Ad hoc inſtar reges poſtea alios, nihil pertinentes ad genus ſtirpemque & cognationem priorum, à gentibus electos vel ſumptos liquet à quibus regerentur & quos pro patribus colerent, qui & *Patriæ Patres* exinde nuncupati ſunt. Ut patres veri, ita reges qui pro patribus ſunt, non ejuſdem moris & naturæ omnes eſſe poſſunt. Alii indulgentes, mites,

mites, faciles, clementes: alii aſperi, ſeveri, duri, partim etiam crudeles. Qui patrem natus occideret etiam dyſcolum & durum, pro parricida merito eſſet puniendus. Parricidii crimen an minus ille incurrit qui regem id eſt patriæ parentem interficit, quamvis moroſum, iniquum. impotentem, crudelem, & tyrannum? Immo magis. Quanto & magis pro parricida foret cuello inſuendus, qui bonum patrem filius necaret, & civis qui bonum regem? De facti hujus qualitate inde æſtimandum eſt, quod rex bonus, juſtus, clemens, religioſus, pius pacificus de medio ſublatus eſt. Sed nulla hic prodigio ſimilis facinoris novitas notari debet, inquiet aliquis. Summum hoc quidem nefas, ſed fieri ſolet. Multa utriuſque generis parricidia novit hæc ætas, veteri non ignorata. Quam multi olim reges, & quidem tales de quibus nihil queri poterant ſubditi, ſeditione vulgi, factione procerum, aut tumultu militum occiſi fuere? Enimvero in hoc facto ſpectandum non eſt tantum, ut ejus enormitas infanda propius meliuſque appareat, quæ perſonæ id fecerint, aut in cujus necem id factum ſit, vel quomodo. Sed hæc omnia ſimul, & alia iuſuper quæ extrinſecus circa hoc negotium contigere. Circumſtantias vulgo vocant. In his igitur, in agendi modo, in perſonis tam quæ facinus peregerunt quam quæ paſſæ ſunt, prodigioſa & nunquam alias viſa vel audita facinoris magnitudo conſiſtit. Ad perſonas quod attinet quæ grande & incredibile hoc ſcelus admiſerunt, conſtat & plures olim, nunc, & omni tempore ſimilis peccati affines fuiſſe repertas, ſed gentiles, infideles, Romanas, Turcicas, non Chriſtianas. Si de ea quæratur quæ paſſa eſt, cum regia ſit majeſtas, non utique & hoc novum, ut regi cruentas manus intulerint cives ſacramento fidelitatis ei obſtricti, ſed ut non ſolum Chriſtianum, verum etiam reformatam Religionem profitentem,

Reformati & ipſi tali ſupplicio mactaverint, res eſt novis annalibus inſerenda quam nulli veteres habent ex quo reformatio religionis introducta eſt. Si agendi modus inſpiciatur, plurimi non ſicca morte reges ad generum Cereris, ut cum poëta loquar, deſcenderunt. Aut gladius privati parricidæ aliquem luce privavit, aut miles ab aliquo procerum ſubornatus vitæ principis inſidias fecit, aut potio veneni alium exanimavit aut carceris mala manſio pædore & fame alium cruciatum ſuſtulit, alium in carcere carnifex ſtrangulavit. Sed quis unquam audivit quis legit, regem legitimum, hæreditarium regnum poſſidentem, Chriſtianum, Reformatum, accuſatum à ſuis ſubjectis, cauſam capitis dicere coactum, condemnatum, ſecuri percuſſum? Cauſa etiam commiſſæ in regia perſona cædis aut ſummæ ſceleris detrahit aut ad ſummam addit, quo minus aut magis ſceleratum exiſtimari queat quod actum eſt. Si per tumultum aliquis occiſus eſt militarem, ſi per ſeditionem popularem, ſi per factionem optimatum extinctus eſt, non alia cauſa quæri ſolet quam quæ oculis patet, tumultus, factionis, ſeditionis. Furor itaque rebellium mentes præcipites egit in tale facinus. Irati milites ob gravem militiam, infenſi populi ob tributorum onera, proceres vel odio vel metu vel ſtudio dominandi incitati in regem conſpirant. Cauſa furoris in his omnibus partes ſuas agit. Poſt factum eos qui fecere plerumque pœnitentia capit. Si id non fit, ipſa amentia quæ venia digna non eſt, miſerationem ſaltem mereri videtur, ut qui per ebrietatem aliquid mali commiſere, culpam vino ſolent imputare. At illi qui conſiderate & cum ratione peccant, quique ad immane aliquod facinus via & ordine progrediuntur, defendere ſemper tanquam juſtum id quod egerunt parati, nunquam facti pœnitentia ducuntur. Vetus & prtfunda improbitas ſuiſque quaſi radicibus nixa perditas & profligatas mentes

mentes occupat. Hæc ſumma vitiorum ac ſcelerum immanitas, ſi modo eam ſequatur impunitas, pro innocentia eſt. Conſuetudo male faciendi ipſis in naturam vertit. Tales ſunt de quibus nunc loquimur. Fallitur enim ſi quis putat cæco animi impetu & neſcio quo præcipiti inſanæ mentis ardore, explicuiſſe illos tantum nefas. Conſilio & ratione meditatum diu ante facinus peregerunt. Ne longe hujus rei argumenta petere neceſſe habeamus, quod agunt nunc, & quod antea egerunt, inſpiciamus. Regem amovere & regium dominatum amoliri cum ſe in animo habere ſemper præ ſe tulerint, hodie regnant. Non odio igitur regis, non metu, non criminibus ejus adducti de eo tollendo cogitarunt, ſed quia Reges ipſi eſſe voluerunt. Nulli parere & omnibus imperare jam pridem didicerant Hæc eorum diſciplina, hæc ſecta. Multorum annorum molitionibus, machinationibus, meditationibus ad hoc deteſtandum & horrendum facinus patrandum ſeſe compararunt. Ne caſu putemus in execrationem omnium incurriſſe. Hoc voluerunt. Egregiam quippe laudem gloriamque magnam quaſi ob rem bene geſtam ſibi deberi ſtatuunt, tanquam præclare de republica meriti. Ultro etiam jactant, moleſtum eſſe ac grave populis regium imperium. Quoties moleſte & odioſe regnant, impune poſſe regno exui. Ab hac doctrina inducti ſi mille rebus meliorem regem habuiſſent quam habuerunt, non ei vitam conſervaſſent. Decreverant dudum cum rege ipſo regnum funditus extirpare. Sed tempora modoſque diu ac multum captarunt quibus ad optatum ſceleris finem pervenire poſſent Non rebellio concitati populi ea ſimplex fuit, ſubita ſeditione & factione vel procerum vel militum ad regem ſuum occidendũ inflammata. Torſerunt prius variis crucibus ac morte gravioribus ſuppliciis, quem tandem ignominioſo & ultimo conficerent. De carcere in carcerem eum

traduxerunt, cuſtodiis ſæpe mutatis, ſæpe novatis, libertatis interdum ſpe oſtenſa, interdum & reſtitutionis per pactionem inter partes faciendam. Dum de hac tractatur, & cum jam rex omnia promiſiſſet quæ ab ipſo poſtulabantur, repente totum negotium diſturbatur. E carcere rex educitur, in domnum Regiam adducitur, coram judicibus ſelectis ſiſtitur cauſam dicere tanquam reus cogitur, non reſpondens condemnatur, ſecuri percutitur. Sed quo modo? Eo certe modo quo nullus unquam rex ſupplicium capitis paſſus eſt. Ut latro, ut ſicarius, ut parricida, ut proditor, ut tyrannus ante domum ſuam, id eſt regiam Aulam, populo ſuo ſpectante, in infami pegmate poſitus, inter duos carnifices conſtitutus, & quidem larvatos, quaſi ad rem faceret hoc in duobus his ſervarum eſſe ut perſonati ſtarent, cum tot alii carnifices ore non tecto, palam locum ſupplicii armis circundatum cuſtodirent, quot nempe pedites & equites armati circumſtabant. Nam & ex eorum numero duo illi ſpiculatores ſumpti ſunt, qui regi caput amputarent, excubantibus & curantibus cæteris ut tuto poſſet amputari. Quid dicam quot & quantis ille armatorum lanionum numerus vexationibus & injuriis ſpectatores è populo affecerit, ſi qui viſi ſunt triſtiores cum cruentæ illius tragœdiæ crudeliſſimus & ultimus actus perageretur? Qui oculos clauſit, qui averſos tenuit ne tam horrendo ſpectaculo eos inquinaret, non impunè hoc illi fuit. Qui miratus eſt, qui ſtupuit, qui expalluit ad ictum nefariæ illius ſecuris, ictum ipſe pugni vel calcis vel fuſtis reportavit. Qui mœſtitiam denique vultu aut geſtu aliquo vel voce declaravit, male mulctatus receſſit. Verbera inflicta ſunt ingemiſcentibus & flentibus. Et quaſi ſcelus eſſet admittere, tantum ſcelus non ſiccis oculis intueri, non tulit hoc impia ſceleratorum militum protervitas. Mirata eſt antiquitas

ſimul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

ſimulque deteſtata in ſæviſſimo quodam tyranno hanc novam crudeliſſimæ tyrannidis diritatem, qui in propinquis & parentibus eorum quos cruciatos occiderat lacrimas & ploratus tanquam crimina vindicabat. Quid dicendum de iſtis? An eſt nullum genus ſævitiæ & tyrannidis quod non exercuerint in perſona regis ſui, cum ne illo quidem genere abſtinuerint, quod veteribus è gentilibus ipſis viſum eſt novum, inuſitatum, ac dirum? Cives qui regem ſuum ſub manibus carnificis elevatam ſecurim tenentis jam jam cervicibus ejus infligendam adgeniculatum videbant, Tyranni iſti flere vetuerunt, triſtes eſſe noluerunt. Si qui inviti tale ſpectaculum aſpicere viſi ſunt, pugnis & baculis eos depexuerunt. Et quærat jam aliquis quo animo tetræ iſtæ belluæ ac moloſſis ſuis ferociores tale parricidium commiſerint, qui talibus oculis ſpectarunt? Si Caligulas, ſi Nerones, ſi Domitianos crudelitate & ſuperbia rex ille ſuperaſſet, non tamen ita tractandus fuit à Chriſtianis ſubditis, ipſe Chriſtianus. Certè ex quo Chriſtus meliore doctrina imbuit ſuos, & mitiores ſanctioreſque mores mentibus eorum induit, nemo regum ad hoc uſque tempus ab his qui tam piæ profeſſioni ſacramentum dederunt, ita crudeliter, & immaniter, & cum tot ac tam atrocibus contumeliis obtruncatus memoratur. Longè abfuiſſent veteres ſuum, id eſt Chriſtianum, tam indignis modis accipere, qui malos, impios imperatores, infideles, idololatras, religionis cui nomen dederant perſequutores, flamma & ferro & omnibus ſuppliciis in ſe graſſantes pro ſuis tamen habuerunt, foverunt, coluerunt. Meminerant hoc ſibi mandatum ab auctore omnis pietatis, ſanctitatis ac miſericordiæ, exemplo proprio eam in ſe diſciplinam quam ſuis diſcipulis tradidit, etiam ſanxiſſe geſtiente. Veniſſe quippe in hunc mundum eum ſciebant ſub principe uſurpatore & per hoc ty-

ranno, ſub alio eundem pati voluiſſe qui non uſurpatione tantum tyrannus eſſet, ſed etiam vita & imperandi modo. Si crudelitas gentium propria fuit & infidelitas, cur non contrarias virtutes Chriſtianis ut proprias aſſignabimus, ſi quidem hoc nomine digni videri volent? An ego pro Chriſtianis & fidelibus habebo, quibus non ſolum gentes infideles, ſed etiam belluas ipſas humaniores eſſe re ipſa compertum eſt? Illæ reges peſſimos & quos hoſtes publicos pronuntiaverant ob infinita & enormia flagitia, ſuſtuliſſe de medio contentæ, ultra mortem in eos non ſævierunt. Iſtæ ut famem ſatient, vel ut ſe vindicent hominem obvium occidunt, nec ultra pergit eorum ſævitia. Cur iſti perditi & profligati Alaſtores tanto apparatu & choragio crudelitatis & diritatis, totque contumeliarum & injuriarum generibus in rege ſuo tollendo uſi ſunt, quem non alio fini tollere deſtinabant, quam ut ne amplius ullus apud ſe rex eſſet? non ſub alio criminis titulo, quam quia rex erat? Si rex illis non placebat, ſi regius diſplicebat dominatus, nonne poterant ſimplici regis cæde defungi? An neceſſarium fuit ut mille mortes ante ultimam pateretur? Ut poſt ultimam, etiam contumeliis pateret ejus cadaver? Utque in ipſo mortis genere eam infandam ignominiam ſubiret quæ ne tyrannis quidem ullis unquam impoſita legitur, ſed ſolis ſicariis & latronibus ſemper irrogari ſolita eſt, ut publice puniantur, & turbis circum fuſis ſpectaculum ſui ludibriumque præbeant? Remiſſa ſæpe fuit ſub bonis principibus talis ignominia etiam perduellionis reis in aliqua dignitate antea conſtitutis. Cujus hoc fuit feritatis, ut ſubjecti viles regi quondam ſuo, etiam tunc legitimo, non hanc veniam indulſerint ut in ſecreto mori permitterent? Si Regi parcere nolebant, ſua ſaltem cauſa id feciſſent. Non tanta paſſim apud omnes invidia nunc flagrarent, nec in tantam omnium deteſtatio-

nem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

nem incidiſſent. Cur non & tam tetri & execrandi ſpectaculi gratiam fecerunt tot hominibus è plebe regis ſui amorem adhuc ſpirantibus, & ſine horrore ſub carnifice morientem videre non ſuſtinentibus? Demus id, quod tamen non poteſt concedi, ſceleribus ſuis meruiſſe regem ut ſic tractaretur à ſubjectis, an Chriſtianos & Reformatos ſubditos hæc immanitas decuit in regem ſuum, quæ ne in barbaris quidem unquam & feris nationibus inventa eſt? Cur pugione aut veneno aut laqueo intra privatos aulæ parietes hoc negotium non confecerunt? Ita multos olim Tyrannos à ſuis necatos Annales memorant. Turcæ ſic ſuos hodie imperatores mactant. An veriti ſunt homines pii nefando homicidio polluere manus ſuas, & conſcientiæ ſuæ hunc cauterem inurere, ſi regem ſecreto ſtrangulaſſent, vel alio modo ſuſtuliſſent? An cita mors & gladio properata ab interfectoribus nocentiores parricidas feciſſet, quam per judiciales moras tracta, quam theatrali ſpectaculo traducta, regemque velut nocentem exhibitura? Illa omnino ut minus ignominioſa regi fuiſſet, ita ipſis parricidis minus invidioſa. Si viro forti cujuſcunque ſit conditionis, morte ipſa genus mortis plerumque gravius videtur, quanto magis regi? Infamia quippe ad mortem addita duplicium eſt patienti,& in majoris ceſſura crudelitatis titulum necis auctoribus. Sed video quid moverit viros juſtos & ſanctos,ac violentiæ omnis inimicos. Cum rege quē pro bono publico trucidandum judicabant, jure agere maluerunt, quam vim adhibere in eo vita exturbando. An vero ulla vis violentior & injuſtior quam quæ juſtitiæ nomine & colore prætexitur? Quid ſi latrones viatorem exceptum inſidiis gladio occidere ſtatim nollent, ſed ex ſuo nomero lectis judicibus cum eo lege agerent, & pro crimine objicerent, quod avaritia laboraret, quod non ſatis pecuniæ domo ſua egrediens ſecum ſumpſiſſet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

quod ipſos declinare atque evitare conatus eſſet, quod non bona fide nec ſtatim quo loco pecuniam ſuam abſtruſam in veſtimentis repoſuerat, indicaſſet? Quis non ad ludibrium & contumeliam inſtitutum tale judicium latronum exiſtimaret? An alia poteſt recipi interpretatio illius nefandi judicii, quo ſicarii & ſcelerati, per ludum jocumque regem ſuum ſolio vitaque depulerunt? Animo fixum immotumque illis ſederat regem necare. Ita latrones de viatoris vita auferenda apud ſe ſtatuunt. Sciebant carnifices regis, non eum reſponſurum eſſe ſi coram judicibus delegatis cauſam dicere cogeretur. Norunt utique & viarum inſeſſores, mercatorem deprehenſum per ludibrium à ſe quaſi lege interrogatum nihil repoſiturum. Videt hic de ſua vita jam illos ſtatuiſſe, hoc vero agere, ut jocantes inſuper & contumeliam adjungant ſceleri ſuo. Vidit & rex necem ſuam decretam eſſe parricidis, quidquid pro ſe allegaturus eſſet. Hoc unum illis curæ eſſe ut non ſimplici fato occumbat, ſed ut infami & ignominioſo interitu nocentis more pœnas luat. Ita ſe pro innocentibus eſſe habendos arbitrati, ſi ſpiecie legis & judicii inſontem animam è corpore regio expellerent. Mitto contumelias quæ ſupplicium præceſſerunt. Sint illæ pro corona ſpinea, pro verberibus, pro cæteris ludibriis quibus in crucem iturus per militum inſolentiam obnoxius fuit Rex regum. Quid de illis dicemus qui cadaveri Regis illuſerunt? Chriſti corpus, quamvis quaſi pro merita noxia ſervili crucis ſupplicio affecti, & inter duos latrones cruciarios poſiti, ſtatim redditum fuit ad ſepulturam. Quotidie videmus, noxios qui loci paulo ſunt honeſtioris, anima per carnificem extorta, continuo tradi propinquis ſepulcro majorum reponendos. Regis exanime corpus diu jacuit omnibus expoſitum ad videndum. Sed quo modo? An gratis ac ſine mercede viſere cupientibus licuit?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Immo pretium ſtatutum ſine quo non liceret ad inſpiciendum accedere. Primo quatuor ſolidis taxata ſpectandi licentia, poſtremo vel uno dato admiſſi ſunt qui oculos ſatiarent, qui ſanguine ejus vel ſanie potius imbuta ſudaria domum referrent. Utrum ad ludibrium an ad memoriam rei? ludibrioſam utique, niſi hoc fecerint ut in martyribus ſuis olim factitavit antiquitas, quorum ſanguinem ſervabat ut miraculis ſerviret. Ecquis vero huc nomine ſæculis colendo cultoque dignior in iſta temporum præſertim extremitate, quam rex pius & religioſus ab impiis & perfidis civibus contra jus ac fas crudeliter & ignominioſe mactatus? Quapropter eos vel ſtupore planè oppreſſos fuiſſe oportet, vel amentia occæcatos, qui in hoc nefario facto perpetrando non execrandos ſe populo Magnæ Britanniæ, non deteſtabiles, non Deum ſibi, non omnes homines & eſſe & futuros inimicos præviderint, regem autem ipſum quem ſic immaniter trucidarunt, gloria apud poſteros fruiturum ſempiterna & pro martyre in famam iturum. Nam ſive τὰ ὑποστατικὰ facti, ſive τὰ περιστατικὰ *ſubſtantiam* & *circumſtantias* inſpiciamus, Deum in eo offenſum videbimus religionem violatam, rempublicam læſam, Eccleſiam turbatam, jura omnia legeſque ſubverſas. Primum, imaginem ipſius Dei in rego deſtruxerunt. Deinde, quia ab eo poteſtates omnes, & quia per eum reges regnant, Dei voluntati hoc modo ſe oppoſuerunt qui à ſummo numine ſibi datum regem adjecerunt. Religio Chriſtiana quæ præcipit poteſtatibus ſummis obediendum eſſe, & regem honorandum, eumque etiam ſi moleſtus ſit ac dyſcolus dominus ferendum, contemptui ab his habita eſt & temerata, cum contra ejus præſcriptum tam impie venerunt. Præterea ſublato religionis protectore, qui puritatem ejus in regno ſuo cuſtodiendam

dam curabat, colluviem omnium ſectarum introduxerunt, quibus & licentiam & impunitatem dant libere ſacrilegos ſuos cœtus tenendi, & ad magiſtratum etiam aſpirandi. Quantum per eos detrimentum paſſa ſit reſpublica, tot annorum bella quibus concutitur ac vexatur, & præter mala quæ jam inde infinita experta eſt, illæ etiam ſine dubio, quas futuras jam jamque impendentes ominari licet, calamitates indicant. Poſtremo non poterant gravius rempublicam lædere quam legitimum ejus dominum ac principem tam nefarie ac parricidialiter tollendo. Eccleſia vero in quantum diſcrimen per eos adducta ſit, apparet ex multitudine hæreſeon quibus diſtrahitur, ex turbis quas inde perpetitur, & ex eo quod improbantes & abominantes eorum facinus paſtores cnm ſumma injuſtitia perſequuntur. Leges omnes ab illis ſubverſas fuiſſe, & eas quidem quibus tanquam fundamentis nitebatur tam reſpublica quam eccleſia quis neſcit, niſi qui ignorat, nihil eos hactenus feciſſe vel arma contra regem capiendo, vel eum incarcerando, vel accuſando, vel judicando & condemnando, quod aliquam juris formam habeat, quodque legi civili, eccleſiaſticæ, divinæ conſentaneum ſit? Leges ipſas regni pedibus penitus conculcaſſe eo facto apparet, quod cum fuerit ſupra mille abhinc annos retro hæreditarium, rege occiſo nullam habueruut rationem legitimi ejus ſucceſſoris & hæredis. Nam quid illi obeſſe potuit crimen patris, ſi crimen illud fuit? Cur eum regno paterno & avito fraudarunt? Quid in illos commiſit quo hanc pœnam viſus ſit commeruiſſe ut eodem quo pater fulmine concideret? patrimonio & omnibus fortunis excideret, non tantum ſolio? An quia favit patri? An quia eum vivere etiam voluit? Hoc enim ſcilicet ſcelus fuit ſceleratorum hominum interpretatione, quod niſi feciſſet, inexpiabile in ſe facinus admiſiſſe bonis omni-

omnibus viſus eſſet. Sed eſto, filius qui omnia fecit ne pater infami ſupplicio afficeretur, in eodem cum patre reatu & ruina debuit involvi? Quid iſte minimus natu filius qui apud hos barbaros & Moloſſicæ feritatis homines educatus & ſervatus eſt uſque ad mortem patris, an & hunc crimen patris luere innocentem oportuit? Concedamus hoc & illis. Ex malo fortaſſe ſeminio natum ſibi imperare noluerint. Quid Regina Bohemiæ peccavit? Qua in re & quo facto ſibi ipſa impedimento fuit ne ad ſucceſſionem coronæ ſuo loco vocaretur, excluſis illis quos factionis fanaticæ improbitas cenſuit non admittendos? Nulla unquam tam barbara gens & tam fera extitit, nulli adeo perditi unquam ulla in gente reperti ſunt quibus vel in mentem inciderit tam injuſtum & immane facinus audere. Janiſſarii qui Turcæ ſunt, ſolo nomine fideles, re ipſa ipſa infideles, ubi imperatorem ſuum ſtrangularunt, vel alio quo violento fato occumbere coëgerunt, filium protinus, ſi filium habet, ſolio imponunt, ſi non ſit, aliquem ex ejuſdem cognatione, ex Ottomanorum ſcilicet ſtirpe, regnaturum ſubſtit. Romani exercitus quibus tralatitium fuit tumultuario judicio principes ſolio imponere, quia tunc non fuit imperium hæreditarium, alium ſtatim quærebant quem in locum dejecti reponerent. Mutandi ſtatus cogitationem nullum unquam induerunt. Quod cum iſti Cacodæmones facere aggreſſi ſunt, quis illis hoc juris dedit? Quo titulo hanc poteſtatem ſumpſere? Sanguinis civium quam talis mutatio allatura eſt, & jam attulit effuſionis, quis reus erit præter illos? Atqui hoc maximum criminum fuit quod regi impegerunt. Omnis mutatio in republica tametſi in melius fiat, tamen hoc ipſo mala eſt, quod ſine multis magniſque reipublicæ cladibus ulla in ea converſio fieri non poteſt. Sed nec poſſunt dicere quis melior ſit civitatis ſtatus, cum de eo ab antiquis diſputatum ſit &

nunc

nunc diſputetur, nec dum ſatis conſtet quorum verior habeatur ſententia. Illud ſane compertum eſt, optimum eum ſtatum regendæ reipublicæ videri quem longus uſus probavit. Cognita & uſitata mala expertis ſæpe minora ſunt quam nova & incomperta, quibuſque nondum aſſuevimus. Si mutanda eſt forma gubernationis à longo tempore receptæ, ſaltem cum bono modo moreque fiat, omnium nempe quorum intereſt uno conſenſu & una voce, circa necem ac damnum præcipue eorum ad quos ab antiquo regiminis cura pertinuit. Si optimates regant, neceſſario conſentire debent in mutationem ſtatus quæ à populo expetitur, ſive regius placeat ſive popularis. Exemplo ſit quod ſequendum in ea re videtur, factum Regis Lacedæmonii qui diminutionem ſuæ poteſtatis Ephororum creatione aſſenſu ſuo comprobavit, minorem eam hoc pacto futuram ſe pati dictitans, dum haberet diuturniorem. Quid ſimile à nequiſſimis parricidis de quibus agimus factitatum? Tria Regna Britanniæ magnæ ſub unius imperio fuere. Duo in totum abhortuerunt à regis abdicatione ac trucidatione nefaria. Tertium ne quidem totum in illud facinus deteſtandem conſenſit. Quinimmo ne pars quidem ejus niſi minima. Ne illa quidem quæ majori jure id potuit, cujuſque adeo conſenſus ut hanc rem omnino neceſſarius requiri & exigi debuit. Duæ in eo regno legitimæ fuere poteſtates, major altera, altera minor. Regia illa, iſta Senatus, ſive, ut vocatur, Parlamenti. Rex ſupra Senatum, non Senatus ſupra Regem. Secundum Regem tamen maximam ejus fuiſſe liquet auctoritatem. An Rex accuſari vel judicari tanquam reus potuit, ſi Senatus auctor non eſſet? Senatus iſte in duas domos diviſus fuit, in ſuperiorem quæ optimatum erat, & inferiorem quam ex plebe deputati componunt. Iſtæ duæ domus cum efficiant ſupremum illum regni conſeſſum, utraque

que conſentire debuit, tam in deſtitutionem & condemnationem regis, quam in mutationem ſtatus. Præcipua de duabus ac prima, quæ conſtat ex proceribus, aſſenſum ſuum tantum abeſt ut commodarit huic facinori, ut horrorem tam atrocis ſceleris non diſſimulaverit. Inferior quando aſſentiri cœpit, aut quomodo? Poſtquam major pars nimirum recte ſentientium inde vi proturbata eſt, aliis in vincula conjectis, aliis ingreſſu Senatus prohibitis. Quos in eo remanere permiſerunt, vel fautores factionis in regem extitere, vel etiam præcipui hujus auctores. Iſti ſunt qui regem judicarunt, qui condemnarunt inauditum, qui ſecuri percuſſerunt, qui regimen regni antiquum ab uno temperari ſolitum in alium qui à pluribus tyrannis teneatur mutare præſumpſerunt, contra jus, contra fas, contra leges Regni, contra ſacramenti ſui fidem, contra ſolennem conventionis pactionem quæ inter duo regna inita fuerat, in qua & expreſſe cautum fuit de Regis Majeſtate comiter ab omnibus conſervanda, deque perſona ejus protegenda. Quis hoc fœdus violavit; quis fidem Senatui datam fregit? quis fidelitatem regi promiſſam non præſtitit? Iſti ipſi qui contra Senatum arma ſua converterunt, qui cum ſtipendiarii eſſent Senatus, leges illi dederunt, qui regem quem in poteſtate Senatus habebat, ut in ſua eſſet, arte & dolo effecerunt, qui alteram & præcipuam Senatus domum extinxerunt, qui alteram debilitarunt ſaniore & meliore ſui parte mutilatam, qui regem ad cauſæ dictionem adegerunt, qui & morte infami affecerunt, qui ſtatus mutationem ſine aſſenſu populi, ſolo ducum & militum arbitratu, id eſt ſuo, decreverunt. Quid tyrannis eſt, ſi hæc non eſt, & quidem omnium tyrannidum quæ unquam fuere aut poſt erunt teterrima ac diriſſima? Eam vero Regis necem quis negaverit ad infamiam ſæculi pertinere, nec ſæculi tantum

ſed

ſed & nationis, nec nationis modo ſed & religionis? Sæculum certè noſtrum hanc notam ex eo ſibi inuſtam nunquam eluet, quod homines tulerit, quibus crudelitate & immanitate pares nulla retro ſæcula tulerunt. Natio ipſa Anglicana quæ talia monſtra produxit, maculam hanc ſibi eo nomine imprimendam nunquam deleverit. De religione quid dicam? Parum eſſet de infamia inde in ſæculum & nationem redundatura, niſi plagam penè mortiferam & inſanabilem eo facto acciperet religio Reformata. Sed bene eſt quod ſe noſtros dicere non poſſunt, quamvis de nobis exierint. Quis pro Reformatis hos velit habere, qui vita & religione adeo deformes ſunt, adeo nefandi, adeo ſcelerati, immo etiam adeo prophani; Hodie inter Chriſtianos Reformati hoc eſſe deberent, quod olim inter paganos Chriſtiani. Pagani quo tempore cum maxime principibus ſuis ſuperſtitionis licet ejuſdem cultoribus manus impias & violentas inferebãt, Chriſtiani pro iis preces ad Deum fundebant, pro ſalute eorum pro vita pro mora finis, hoc eſt ne diſſolveretur imperium. An pro bonis & benignis imperatoribus hoc faciebant? Immo pro talibus qui publici hoſtes appellari à Senatu ſuo, id eſt pagano, merebantur, qui à ſubjectis ſuis facta conſpiratione quotidie attentabantur, qui Chriſtianam perſequebantnr religionem, qui omnibus ſuppliciis in eam ſæviebant, ferro, flamma, fame, laqueo, tormentis, exilio, relegatione, omnium numerum & honorum privatione ac bonorum ſpoliatione. Iſti verò Anglicani *Independentes*, qui Reformationis ipſius facere ſe dicunt reformationem, quique curva in religione ſe corrigere poſtulant, ipſis Paganis hac in re longe deteriores & ſceleſtiores inveniuntur. Siquidem iſti bonos principes in oculis ferebant, fovebant, colebant, adorabant. At quinam illi erant quos ferre non poterant, quos depellere gubernaculis reipu-

blicæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

blicæ geſtiebant? Non ſolum reipublicæ hoſtes, ſed generis humani peſtes, aliquos Nerones, Caligulas, Vitellios, Domitianos, Heliogabalos. Talibus non regibus ſed tyrannis juſta arma inferri poſſe, ſine ſcelere eos interfici poſſe credebant. Chriſtiani contra qui tunc temporis vixere ſub eorum imperio nati, in alia omnino ſententia erant. Nam cum durius ab iiſdem quam pagani tractarentur cum quotidie ad leonem, ad gladium, ad metallum religionis cauſa damnarentur, paganis nihil tale metuentibus, non tamen eundem animum nec æque infenſum imperatoribus ſuis atque illi gerebant, ſed mitem, placidum, benignum, patientem, mori per mille cruciatus præoptantem, quam mortem inferre perſecutoribus ſuis, quam pacem publicam turbare, quam vel impiis votis necem illorum & peniciem à Deo poſcere. At vero iſti qui reformatæ religionis reformatores videri volunt, longiſſimo inter vallo ipſis paganis immitiores & infenſiores regibus ſeſe oſtendunt, tantum abeſt ut ad Chriſtianorum veterum pietatem & patientiam accedant Illi nec malos principes oderant. Hi vel bonos occidunt. Pagani ſolis tyrannis ac decreto Senatus publicis hoſtibus pronuntiatis ſeſe opponebant, eorumque imperium abnuebant. Hi pro tyrannis mactant quos ipſi nulla ratione, nullo jure tales judicarunt. Chriſtiani antiqui paganis imperatoribus libenter & æquo animo parebant: Hi nec Chriſtianos principes pati poſſunt, cum tamen inter Chriſtianos pro Reformatis, id eſt, pro puriſſimis & ſanctiſſimus Chriſtianis ſe haberi poſtulent. Immo cum & ſe nomine *Catharorum* ideo noſci velint. Immicos odio habere Chriſtus vetuit, his bene velle ſuos voluit. Iſti quid facerent extraneis regibus & inimicis, qui ſuum tam libenter tam cupide accuſarunt, damnarunt, necarunt, nihil tale meritum, bene de ſe quinimmo modis

omni-

omnibus meritum? Xyſtus in ſententiis dicit, *fidelem hominem, electum eſſe hominem; electum autem hominem; hominem Dei eſſe; hominem Dei eſſe; qui Deo dignus eſt; Deo dignum eſſe qui Deo dignum agit*. An Deo dignum agunt, qui infideles ipſos, paganos, idololatras, nullam veri Dei notitiam habentes, ſuperant feritate, crudelitate, immanitate, nequitia, perfidia, impietate, & omnis generis improbitate, qui tamen populum ſe Dei electum dicunt, & fidelium delibatum florem? Quid nunc reſpondebimus Jeſuitis? Quo ore, qua fronte nos Reformati ipſis imputabimus quod habeant doctrinam regibus infenſam, in regum necem armatam, & populos ad rebellionem incitantem? Qua ſunt malitia præditi & qua calumniandi cupiditate ardent, non ſibi extorqueri ſinent, quin hæc doctrina propria ſit Reformatorum, quam & tam belle in uſum norint convertere, quia pro Reformatis, & Catharis, & Sanctis ſe jactant qui tam infandum ſcelus nuper commiſerunt. Tros Rutulusve fuat, nullo habebunt diſcrimine. Omnes qui ſe Reformatos dicunt pro Independentibus habebunt & ἀναρχίας vitio laborantibus. Hæc nux pinea pro pomo illis erit ſi in Reformatos jacienda ſit. Faterer quoq; ſi hæc eſſet omnium Reformatorum opinio; nos etiam in noſtra Reformatione Jeſuitas habere, immo pluſquam Jeſuitas, & ipſis Jeſuitis longe pejores. Hoc illi ſaltem docent, non alium regem eſſe amovendum niſi qui tyrannus judicatus fuerit. Tyrannus autem an habeatur qui pro tali abjiciendus eſt, ad judicium ſapientium & doctorum referre profitentur. Iſti vero qui? An ſapientia clari, doctrina celebres, virtute nobiles, nobilitate illuſtres? Immo fanatici, indocti, obſcuri, improbi, fæx plebis, armis tantum noti & ad vim faciendam apti. Hi ſunt qui de rege judicarunt, qui juſtum injuſte damnarunt, pium impie trucidarunt.

Jeſuitæ

Jeſuitæ regem ſolum tyrannice imperantem amoliri ſtudent, regnum relinquunt. Iſti omnibus Jeſuitis ſceleratiores & violentiores, omnes omnino reges cum regnis ſuis exterminandos pronuntiant. Regem quantumlibet bonum, pium, juſtum, inutilem eſſe, odioſum, moleſtum & importunum reipublicæ, ſcriptis ſuis prædicant, & re ipſa ſicut docent agunt, dicta factis probant. Ut ſuum ipſi nefario ſcelere à ſe peremptum, ita perire debuiſſe pro bona publico palam conteſtantur, idem etiam de aliis omnibus Europæ regibus fieri debere proclamant. Eodem loco & numero omnes habent cum Turciæ tyranno. Galliæ, Hiſpaniæ, Moſchoviæ, Poloniæ alioſque reges Tyrannos eſſe, jure expelli throno & vita poſſe, immo opertere, ab his qui ſalvas velint eorum regnorum reſpubl. Qui ſic bellicum canunt excitandis & incendendis populorum adverſus principes ſuos legitimos ſeditionibus, quid mereri videntur? Nonne ut omnium ſimul Europæ principum conſentientium & in unum convenientium armis opprimantur & extinguantur, pœnaſque luant talis impietatis, cui nulla poſſunt digna ſupplicia pro meritis irrogari? Nam quot ſcelera in uno ſcelere commiſerunt? Ut magnum diſcrimen quod vitæ impendet vitari ſæpe non poteſt aut vinci ſine multis minoribus periculis, ita magnum ſcelus quale ab his monſtris admiſſum eſt, non potuit ſine infinitis aliis flagitiis perpetrari. Cum uno parricidio junxerunt juris divini, naturalis, juris gentium, omnium legum publicarum privatarumque everſionem, reipublicæ perturbationem, libertatis populi oppreſſionem Senatus abolitionem, nobilitatis exterminationem, innocentium damnationem, peculatum & ærarii publici direptionem, ſollennis conventionis infractionem, perfidiam, jurisjurandi violationem, ſtatuum omnium confuſionem, immo ſubverſionem. Nam regalem ſta-

tum regis cæde ſuſtulerunt, & ſtirpis regiæ à ſucceſſionis jure ac ſpe remotione; Optimatum, regni proceres ex Senatu ejiciendo, cujus digniorem, potiorem prioremq; partem conſtituebant. Popularis vero ſtatus genus penitus aboleverunt quadraginta tyrannorum Conſilium eligendo cum ſumma poteſtate ad rempublicam adminiſtrandam, novum autem & inauditum ſæculis prioribus ſtatum inſtituendo qui *Militaris* debet appellari. Hanc enim στρατοκρατίαν priſcis incognitam vero nomine oportet nuncupari, quæ forma hodie in Anglia regiminis per hos inſpiratos fanaticos introducta eſt, non δημοκρατία, non ὀχλοκρατία, quamvis penes plebem abſolutam poteſtatem reſidere verbo tantum tenus videantur ſtatuiſſe. Scelerati igitur cum tot rebus deprehendantur, totque criminibus nocentes, doctrina peſtifera, facto nefario, exemplo pernicioſo, quod illos fatum manet niſi ut omnes gentes, omnes ætates, improbos ac deteſtabiles eos deputent, iiſque imputent quidquid turbarum ac tumultuum ſuo tempore & in ſuis rebus publicis ſuſcitabitur? Et merito ſane. Excuſatius quippe in poſterum peccabunt quicumq; hujus facti præjudicium ſequentur. Nam ſi qui ſunt ſequuturi, eis crimen iſtorum excuſatio futura eſt, qua factum ſuum defendent. Quid excuſationem dico? Ea eſt harum peſtium doctrina ut etiam audeant affirmare ſe ſolos ſapere & recte ſentire, ſe ſolos eſſe puros & ſanctos, ſe Deo volentia facere præceptiſque ejus conſentanea, dum regum coronas pedibus conculcant, ſceptra confringunt, thronos deſtruunt, paludamenta concindunt. Peccare docentem hiſtoriam, non ſolum in hujus ævi monumentis poſteritas cum ſua eget pernicie, ſed etiam exitioſum hoc dogma imbibet niſi obviam prompte eatur. Nam vel propter hanc impiam doctrinam, non ſolum ex

omni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

omnibus regnis ubicunque invenientur exturbandi ſunt, ſed omnia etiam regna conſpirare debent ut ex eo regno quod intoleranda tyrannide oppreſſum nunc occupant, ejiciantur. Enimvero de multis pravè factis hoc dici poteſt, quædam vitioſa eſſe ac minus emendata, quæ tamen non ſunt ſcelerata. Hoc vero ſceleratiſſimum eſſe, non unius aut alterius, aut plurium opinione, ſed omnium omnino, quis neget? Magnum vero eſt argumentum & indubitatum, rem ita ſe habere ut creditur, cum omnes unanimiter idem de ea ſentiunt, cum una voce, quod ſentiunt, pronuntiant. Ubi diſſidentes ſunt ſententiæ, tum ſcias nihil certi poſſe in alterutram partem definiri, tametſi plures in alteram diſcedant. Nam ſæpe etiam ex turba idem aſſerentium, peſſimi judicii conjectura capitur. Ubi vero nulla eſt diſſenſio, ſed omnes unum idemque de re aliqua opinantur, audaciter veritas illa adſtruenda eſt ut non dubia, quæ conſenſu unanimi univerſorum recipitur. Hic enim aut nuſquam locum habet quod vulgo jactatur, *Vocem populi, vocem eſſe Dei.* Heic vero plus eſt, Nam omnium principum, regum, gentium, vocem eſſe dici poteſt. An aliquis eſt cui videri aliter queat, niſi ex factione ſit fanaticorum, quam, hoc planè deteſtandum eſſe & execrandum facinus, ſive parricidium verius, quod in regia perſona admiſſum eſt? præcipue cum gentium omnium hæc una vox ſit, & in ſingulis gentibus omnium hominum, omnis conditionis, ſexus, generis, ætatis, quæ modo rerum quæ aguntur intelligens eſſe videatur. Nonnulla ſequius facta, ſi defendi non poſſunt, excuſare tamen licet. Quædam ſi jure defendi non poſſunt, ſaltem ratione aliqua vel aliquo colore obvelantur. Hoc vero velim ſcire, quo jure vel qua ratione defendant, quo colore excuſent? Nam crimina quæ in regem poſt necem ejus collegerunt infames impiæ cauſæ

 pa-

patroni, ejuſmodi eſſe oſtendemus, ut appareat eos regem non propter ulla cirmina vera occidiſſe, ſed ea conquiſiviſſe quibus quaſi jure condemnari poſſe videretur, immo id ſingulariter quæſiviſſe ut regem propter regnum tollerent, non regnum propter regem. Hunc enim revera ſuſtulerunt, regnum vero ipſi ſub alio nomine uſurpatum nunc tenent. Expoſitis his tot partibus tanti ſceleris, ipſiſque omnibus ſceleratis, ad jus ipſum explicandum deſcendemus, ut ſciamus de tam nefario ac parricidiali facto, an juris vel umbra dari poſſit, qua inſani ejus auctores illud excuſare ſaltem queant.

FINIS.

APOPH-

APOPHTEGMATA CAROLI I. MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ ET HIBERNIÆ REGIS,

THEOLOGICA,

MORALIA,

ET

POLITICA.

Ex quibus, ut alia, ita & quid de nupera rerum in Anglia converſione judicandum ſit, colligere licet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Apophtegmata Carolina.

I. THEOLOGICA.

MAturis jam factis peccatis noſtris juſtum eſt apud Deum, ut gloriam illam ſuam ex adverſis *noſtris repetat, quæ illum in* ſecundis *fraudavimus.*

Sola futuræ Reformationis conſilia non ſemper juſtitiæ Divinæ ſatisfaciunt, nec priorum delictorum ultionem obſtruunt.

Veniam à Dei miſericordiâ ſperare debemus; non ex noſtro emendandi propoſito.

Vindicat Gloriam ſuam Deus judiciis ſuis; ſimulque oſtendit, quam periculoſum ſit ei diſplicere, placandi in poſterum fiducia

Quia non maturè ſatis piguit de peccatis noſtris, fecit Deus, ut jam pigeat de remediis immaturis.

Calamitates, quæ in Perſonas quaſpiam vel Nationes cadunt, Divinæ Iracundiæ ſunt effectus juſtiſſimi; qui tamen demum, ita diſpenſante Dei miſericordia, proficere nobis poſſunt in futuram benedictionem, & meliores nobis in fruendo animos præſtare.

Tum demum Afflictiones noſtras, non plagas hoſtiles, ſed paterna verbera fidenter exiſtimabimus, cum illa affectus noſtros humilitate induerit Deus, atque eum patientiæ modum, qui pœnitentes filios deceat, ſimul dederit.

Potior infinitis modis, cum perpeſſionibus noſtris, Divina gratia, quam pax cum peccatis.

Quemadmodum ob peccata noſtra in venenum cedunt Antidota; ita Gratia Divina tranſmutante, in Antiodata cedit venenum.

Qui actu aliquo tam inſignis injuſtitiæ, quem nulla poſſunt penſare vel publica commoda, damnum aliquod Politicum declinat, Dei Nomine & Loco in terris indignus eſt.

Miſera ſane tranſactio! accepta in conſcientias plaga mederi malis Reipublicæ; & excitata in pectore noſtro tempeſtate, æſtus populares & querelas compeſcere.

Multo minus extimeſcit Magiſtratus juſtus vitam propriam perdere, quam vel cuipiam per injuriam eripere.

Iuſtitia quæ voluntas Dei eſt, anteponenda omnibus adverſis clamoribus, queis iniqua hominis voluntas revelatur.

Principem non oportet quacunque ratione Politica adverſari rationi conſcientæ ſuæ, quod eſt atrociter peccare contra Deum rationis & Conſcientiæ judicem.

Dei Spiritus voluntatem Principis nemini ſubjicit, niſi luci illi Rationis, Iuſtitiæ, & Religionis. quæ lucet in corde ſuo.

Ad ſevera Dei & Conſcientiæ Tribunalia, iis, qui mala machinati fuerunt, nullus erit ſuffugii locus, nec præſenti impunitate, aut popularibus vindiciis liberari.

Obſtructa humana juſtitia, una homini Chriſtiano provocatio eſt ad Deum & Hominum Conſcientias, arrham ſcilict & præludium inevitalibus illius judicii, quod diſtricte in examen revocabit quæ hic perperam vel parum deciſa.

Afflictiones juſtorum haud magis in argumentum peccati, apud cordatos & pios, quam impunitas impiorum in teſtimoninm innocentiœ apud bonos valebit.

Quemadmodum in coërcendis Maris furoribus clariſsime ſe demonſtrat Divina Potentia; ita non minus manifeſtat ſe Deus in compeſcendo populo; quem cum inſano conſluxu & clamoribus omnes Legum fines & Autoritatis repagula tranſilire permiſerit, nullum certius indicium Deum vehementer eſſe toti genti infenſum.

Carere malit Vir Bonus illo quod maxime expetit, in Boni Publici gratiam, quam improbis mediis idem procurare.

Summus ille ſeditionum & Turbarum Vindex ſa-

penumero in pœnarum ſpeculo peccata demonſtrat. Plus quam probabile eſt, eodem, quo deliquerint, exemplo malorum autores puniendo; eſſe.

Aταξίας *noſtras gubernat Deus; & ſapientiæ ſuæ Gloriam, miſerias & ſtultitias noſtras detegendo, illuſtrat.*

Peccata noſtra Tumultus ſunt Animarum noſtrarum contra Deum noſtrum.

Quod aut nolit homo, aut nequit reprimere, Omnipotens Dei juſtitia & poteſt & vult.

Præfinit & coërcet impotentiam Affectuum noſtrorum Ratio, Errorum veritas, ſeditionum Leges ritè adminiſtratæ, ſchiſmatum denique Charitas.

Cui perſpecta & explorata eſt ſinceritas & integritas cordis ſui, licet nimius apud homines cautus videatur, & à Politica prudentia inſtructus, tamen nullis coram Deo opus habet, vel ocultis diſtinctionibus, vel arguto, quo evadat, ſophiſmate.

Tot Mundi Regna, quot diabolus oſtendit Salvatori noſtro, & eorum Gloria (ſi ſimul omnibus frui licuiſſet) tanti non ſunt, ut flagitioſa ingratitudine, & infami aliquo facinore acquirantur, unde Animæ periculum creatur omnibus Regnis & mundis potiori.

Dei omnia-explorans juſtitia per humana quæcunque velamina, & fallaces cordium tenebras clarè penetrat.

Erudiet nos Dei Gratia æquè ſapienter frui fruſtrationibus, ac ſi ſpes optimas & ſpecioſiſſima deſideria explevisset.

Miſericordiarum divinarum ſolatia etiam graviſſima perpeſſos ſæpe in Sanctorum Gloriam eſſurgere faciunt.

Spineam *potius* Coronam *cum Servatore meo geſtare malim, quam illam mihi debitam* auream *in ejuſmodi* plumbeam *commutare, cujus vilis & ductilis materia in quamvis facilè Formam inflectatur, nec* diverſis *modò* Factionum, *ſed* adverſis *ſibi invicem, & pugnantibus placitis obſequatur.*

Nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Nihil prorſus dignius novi Chriſtiano Principe, quam ut id ſemper firmum habeat, Conſcientiam ſuam Regnis anteponere.

Ità Deum velle credimus, ut Nativam, Rationalem, & Religioſam libertatem tueamur.

Licet juſtè exigat Deus, ut Intellectus noſtros & voluntates ſuæ ſubmittamus, cujus ſapientia & Bonitas, nec errare poteſt ipſa, nec in errorem inducere. & carnali noſtræ Rationi eousque negemus cum de ſacris Myſteriis & Mandatis agitur, ut ſimus his credere & parere potius, quam diſputare prompti; eum tamen à nobis expectat Cultum rationalem, ut nec quicquam adverſum Conſcientias noſtras, etiam ſui cauſſa, faciamus,

Oportet vere Chriſtianum ſummas contumelias & maximas injurias velle potius pati, quam ut vel minimum peccatum adverſus Conſcientiam ſuam admittat.

Regem Chriſtianum non decet, aliorum Affectibus & conſiliis, quæ à Ratione, Iuſtitia, Religione alienæ prorſus videntur, Rationem ſuam ſubjicere. Ita Deo inſerviet in veritate & integritate Cordis, licet hominibus quibuſdam parum placeat.

Veritas & Iuſtitia ad Pacem olim cum Deo, & Felicitatem perducturæ ſunt, quanquam plurimas, apud homines. ob has, moleſtias, quis perferat.

Scandalum à ſubditis eandum cum Principe Religionem profitentibus, obſtare aliis ſolet in amore veritatis, & in errore etiam indurare.

Adverſus mali exempli venenum, Conſtantia Prin*cipis Aliorumque eſt optima Antidotus.*

Experti quam vana prorſus & fluxa ſit omnis humana Gloria, eo ſtudioſius ambire debemus, perpetuis illis honoribus, & perfectione potiri, quam in Deo ſolum invenire fas eſt, & per Ieſum Chriſtum acquirere.

Illius potius memor eſſe ſemper cupio, Chriſtianum *Me eſſe quam* Regem: *quod enim hujus* Majeſtas *meritò aſpernetur,* Charitas *illius lubens tolerat: quod*

Sublimitas Regia *ad ulciſcendum ſtimulat*, Humilitas Chriſtiana *ignoſcendum docet; omnem eam paſſionum Impotentiam intra juſtos cancellos circumſcribens, quarum* Exceſſus *plus vel ipſis graviſſimis hoſtibus damni inferunt: cum per hos demum ad Animas uſque noſtras pervadat eorum Malitia, quæ alias nec longo extendi poterat, nec vehementer nocere.*

Nullo ita ſupplicio contaminatur cujuſpiam Honor, quam ſponte patrato inhoneſto facinore; quod, præter vulnus Conſcientiæ, æterno infamiæ ſtigmate urit Nomen & memoriam in omnem Poſteritatem, quæ à ſtudiis ſeculi & Partibus libera incorruptius multo judicabit.

Si quis Robur meum externum ſpectet, perexiguum certe, aut nullum eſt. Animus vero mihi ſupereſt (Dei gratia roborante) invictus, quo ſuperiorem me futurum haud dubito, ſi eum modum conſtantiæ Deus dederit, ut illum *potius quam* Homines, *metuam, &* internam Conſcientiæ *pacem cuivis* externæ Quieti *anteferam.*

Plus inſe mali habet vel minimum peccatum, quam maxima quæcunque Calamitas.

Quodcunque Religioſum *&* Apoſtolicum, *atque adeo prorſus* Sacrum *&* Divinum *non modo non* abolendum, *ſed omnino cum illo non* diſpenſandum.

Arma *præcipua, quibus contra Perſequutores ſuos uti ſolebant Veteres Chriſtiani, ſunt* Præces *&* Lacrymæ: *quæ quidem Bono Viro, ſi non in* Belli Victoriam, *at in Martyrii patientiam ſufficiant.*

Populi mei *multis & duris oneribus ingemiſco,* Meis *malis factus jam ſuperior. Subnixus alis* precum *&* fidei, *externi* Roboris *manum non deſidero.*

Infirma admodum ſunt munimina Gladius *&* Militia *adverſus* iræ *divinæ &* Conſcientiæ *flagella; quorum hæc ſemper nefarie commiſſa comitantur, illa olim proculdubio deprehenderit.*

Mihi non videbor carere, quicquid provida neceſſitas, *in Populi Mei pacem, & Dei Gloriam e-*

rep-

reptura eſt. Hic mihi ſatis præſidio eſt; qui ſi unus adfuerit, abunde poteſt compenſare, ut olim ſervo ſuo Iob, qui quid Honoris, Potentiæ, Libertatis, Chaldei, aut Sabei, vel ipſe etiam diabolus abſtulerit.

Eripiant mihi licet Homines omnia terrena propugnacula; nunquam tamen Innocentiam, aut Dei miſericordiam adiment, vel ad cœlum mihi viam intercludent.

Cum jam pridem declaraverim Me quibuſdam propoſitis, ſalvâ Conſcientiâ, aſſentiri non poſſe, haud æquum arbitror, ut diſtrictis Gladiis & injuriis belli obtrudantur. Mirum vero nullam aliam Talis iniri poſſe rationem, quam, qua Bellum mihi neceſſe eſt Animæ meæ inferre.

Incommunicabilis bonæ Conſcientiæ Gemmæ damnum nihil unquam reſarcire poteſt, vel reſtituere.

Multum apud Me valet (fateor) amor populi mei, & Pacis Publicæ; at Veritatis tamen ſtudium, & internæ Pacis plus pollet.

Careamus licet libero illo & fideli conſilio, quod & poſſent alii & vellent impertire; Nemo tamen efficiet, ne ſapientiam imploremus Admirabilis illius Conſiliarii, qui & Optima dictare poteſt, & corda noſtra ad obſequendum inflectere.

Omnibus placere non poſſum; quibuſdam placere nil moror. Felix modò ſim ut Deo placeam, haud magnopere metuendum, ſi cui alii diſplicuero.

Deo juxtà facile eſt honeſtis erroribus benedicere, ac fraudulenta conſilia diſſipare.

Sint licet graves miſeriæ, & Pax omnis gratiſſima; nunquam tamen vel minimo Conſcientiæ impendio vel illæ unquam effugiendæ, vel hæc comparanda; cujus plus meritò Dominus eſt Deus, quàm noſmet-ipſi.

Sunt Nonnulli, qui, ex avaro zelo, & iniquiſſimo furore id multum pro veritate Religionis ſuæ facere exiſtimant, ſi non aliam præter ſuam patiantur.

Eſt quoddam zeli genus, cui clemens æquanimitas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Tepor eſt; quique immanem ſe haberi, quam frigidum malit: quanquam crebrò etiam hi homines (quicquid ſimulant) plus pellis ſuæ cauſſa Urſum, quam malefici occidant.

Deus non ideo Innocentiam nobis aufert, quia, ut olim ſervi ſui Iob, patientiam noſtram hactenus experitur.

Qui conſcientiæ ſuæ proſpicit, fidemque in commiſſo liberat, ad illa convitiorum examina, quæ ex ore quorundam & pectoribus, non ſecus ac fumus è fornace & ſcintillæ evomuntur, vix ei vacat attendere, nedum prolixis Apologiis ſatisfacere conari, illis præſertim hominibus, qui abyſſi Improbitatis ſuæ conſcii: ægrè quenquam ſe ipſis minus improbum agnoſcunt.

Immanitas inter Chriſtianos ſub ſpecie Religionis exercita, quaſi Chriſtianus eſſe non licuerit niſi nos ſic mutuò crucifigeremus, horrendum peccatum eſt.

Non ſanè ita congruum videtur Piæ Reformationi, ut ſe Gladio incidi, & quaſi exaſciari permittat; ſed ut legitimis & æquis Diſputationibus poliatur, eorum ſcilicet ad quos Ius hæc ſpectat maximè, nec vi ullâ, ſed ratione expugnandos

Malè conſulitur aliorum conſcientiis, queis, non æque dubia ſua expedire idonei Milites in acie pugnantes, quam in docta & libera Synodo diſputantes Scholaſtici.

In Re certe Religionis, eæ maximà Veritates in judicia & conſcientias noſtras valent, quas ſecularis violentia minime omnium obtrudit, quæ veritatem præjudiciis infirmat, & nullâ prorſus ratione uſurpari debet, niſi cum omnibus ad rationaliter evincendum fruſtrâ mediis adhibitis: jam, cum excuſari non poſſit ignorantia, pervicacia meritò caſtigatur.

Si in tali Suprematu Presbyteratus à Chriſto inſtitutus fuerit, ejuſmodi planè inſtitutum eſt, quod eſt cæteris ejus omnibus diverſum; imò primus omnium & ſolus Chriſtianiſmi Articulus, qui tanto ſanguine Chriſtiano plantari & irrigari neceſſe habuit: in quo

quic-

quicquid unquam effuſum eſt, fluit curſu longe contrario primis illis Chriſtianiſmum *&* Epiſcopatum *plantantibus, qui hoc ſanguine ſuo patienter* fuſo, *non* aliorum profuſo *peregerunt. Nimis verò iſtud homines ſapit, parum Chriſti.*

Revera id cordati homines & docti cenſent nulla ſchiſmatis *&* ſectæ *manifeſtiora indicia, quam in Presbyteratu oſtendi.*

Conſtitutæ Eccleſiæ Leges nunquam à Principe abrogandæ ſunt, ni melioribus Rationis argumentis edoceatur, quam quæ è pera militari *depromuntur.*

Cæterâ Republicâ Eccleſiam, Chriſti *Gloriam mea* propria, *ſalutem denique* Animarum, *omni* Corporum *&* facultatum *conſervatione duco potiorem.*

Turbidi illi motus, qui nec hominem, *nec* Chriſtianum, *nec* fidelem ſubditum *decent, nullius apud cordatum quemquam momenti ſunt, vel ad* confirmandam *Religionem, vel quacunque in parte* labefactandam.

Factionum machina una, & Organum Vis eſt; belluarum *arbitratrix, non* hominum, *nedum* humilium Chriſtianorum, *& ſubditorum Fidelium in Re præſertim* Religionis.

Inflati plerique faciles, & magnifice de ſeipſis ſentire, quid in dogmata ſua & placita impendant, parum ſunt ſolliciti.

Omnino aliter fieri non poteſt, quin patefaciat ſe tandem divina juſtitia, & hominum fatuitas per prætexus illos omnes & Religionis velamina, quibus improbi Politici arcana ſua conſilia involvunt.

Quanto minus cauſſæ eſt credendi Hominibus, tanto magis nos Deo applicari oportet.

Pia ſimplicitas callidiſſimum Omnium eſt conſilium.

Durum certe, haud minori quam juramenti vinculo, ut quis ei obligetur, vel contra, de quorum morali neceſſitate haud conſtat, ſed quæ adhuc ſub judice

dice

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

dice *pleraque, doctorumque & piorum hominum controverſiis agitata: in quæ vel ut ipſi* juremus: *vel ab aliis* jurari *exigamus, haud certe poteſt cum judicio illo, & certitudine propria conſtare, nec cum ea in alios diverſe ſentientes æquitate & candore, qui Religionem decet.*

Religio non æque ſolum diſceptare, *ſed* diſſentire *etiam permittit, in materia duntaxat probabili.*

Iuramenta Populo imponere, ut in rebus dubiis periculoſum; ita prorſus in illicitis damnabile: illic vero prorſus ſupervacaneum, ubi ſuperiora jam legum & Religionis vincula in neceſſaria officia obligarunt.

Nunquam perſuaderi poterunt, in quibus quicquam ſalus conſcientiæ, vel optima ſua conſilia, nedum ea quorum indies Ambitio & Factio manifeſtior, per illicita quæcunque media promovere.

Ancipites & periculoſas Novitates, *& nulla prorſus Autoritate munitas; exploratis, & juramento pactis* Deo *ſimul &* Principi *officiis, & nulla omnino diſpenſatione tollendis, anteponere nullo modo debemus.*

Nullo voto, juramento, aut pacto poſteriori *obliterari poſſunt typi illi, & characteres, quos juſta & legitima juramenta* prius *animis noſtris inſculpſerant.*

Quod Fœderationes *ſuſpicioni magis facit obnoxias, illud eſt communem eſſe hanc & quaſi tritam viam in omnibus Reip. & Eccleſiæ factioſis perturbationibus.*

Tunc zeli forma maxime, & exquiſita Pietatis perſona induitur, cum pernicioſiſſima meditantur vafri homines contra omne fixum & ſacrum in religione & legibus.

Quiſque ſibi ſtatim Pontifex fit, & illa facile ſolvit ligamina, quæ non aliquod è verbo divino præceptum, *ſed* Aſtutia *factionis, vel* Terror *indidit.*

Principi, Eccleſiæ, aut Paci publicæ ire adverſum, nulla cujuſquam legitima vocatio obligabit.

Propenſiſſimo in debitas omnes Reformationes ſtudio ferri debet Pius Princeps, maturo modo judicio, & conſcien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

conſcientia bona ſuſcipiantur, atque in ea ſolum procedant, quæ (æqua prius deliberatione habita) ex Dei verbo, & Recta Ratione *evincentur prave admiſſa.*

Epiſcopi, *cæterique* Eccleſiaſtici, *cum fundis ſuis & reditibus ſtatim, ut pinguiſſimæ ferarum, mactandi; Reliquus*, ſchiſmatum, *&* Heræſium *macer Grex tolerari haud ægre impetrabit.*

Plane perſpicio, utcunque vela impleverit Religionis *ſpiritus, Utilitatem ſolam eſſe Cynoſuram, qua factioſi homines* curſum *ſuum in ſeditioſis hiſce* motibus *gubernant.*

Agros Sacerdotum *uſurpare, aut vendere &* Pharaonis *Theologia, & vera* Joſephi *pietas reſpuebat.*

Maximum mihi Titulum, *& precipuam* Gloriam *duco, ut ſim* Defenſor Eccleſiæ, *tum in vera* fide, *tum juſtis ſuis* commodis, *à ſacrilegio & Apoſtaſia perinde adhærens.*

Vivam potius, cum Deceſſore meo Henrico Tertio, eleemoſynis *Eccleſiæ ſuſtentatus, quam è* Præſulum *&* Miniſtrorum *ore panem ſuum violienter eripiam.*

Videmur vel tentare *Deum, vel* illudere, *ea mala deprecantes, quorum cauſſæ & remedia ſunt in noſtra poteſtate; cum his* non uti *flagitium ſit, illas non* devitare.

Abunde eſt, quo damna Reipublicæ ſine Eccleſiæ ruina reſarciantur.

Nulli Pietatis aut Reformationis reſpectus ſatis ſunt ſubdito abſolvendo ab illis juſtis moralibus, nullatenus remittendis vinculis à verbo Dei & Regni Legibus Conſcientiis eorum impoſitis, nedum in partem adverſam tranſire permittunt.

Nihil violentum & injurium cum Religione conſtare poteſt.

Deus nullius ſacrilegium approbat, qui zelum ſuum oſtendit in deteſtando idola.

Inten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Intentiones ſacrilegæ ſub Religionis vinculis tegi non debent.

Difficile eſt ei, qui propria innocentia & Divina ope non ſublevatur, non ſuccumbere in conflictu militiæ *in eum omni arte graſſantis, dum vel falſis calumniis veritatem opprimere conatur, vel fictis ſuſpicionibus, id quod ſolidi deeſt, in improba cauſſa, ſupplere.*

Concionatoribus populari facundia, nullum eſt flagitium pro Deo mentiri, vel quod ipſis Dei cauſſam appellare libuerat.

In Religionis *negotio diſcrepare poſſunt eodem alias* officio, obſequio, & fidelitate *conjuncti.*

Diverſæ Religionis profeſſio haud magis quam diverſa artificia, communem illam Relationem vel ad Parentes, vel ad Principes tollit.

Perſequutiones, quas vere paſſi ſunt, humilitas Chriſtiana haud tanti ducit, ut non mallet vel nunquam ſuccurri, *quam eo modo* vindicari, *ut periret ſibi Chriſtianæ* patientiæ *corona, quæ humilibus afflictis præparatur.*

Chriſtianæ patientiæ Corona humilibus afflictis præparatur.

Deus ſolus Conſcientiæ Dominus.

Familiare hoc cunctis fere Novitatibus, ut Reformationis nomine, in Eccleſia & ſtatu, inducantur.

Preces & Cultus Dei publicus magna Religionis momenta ſunt, quibus Animæ hominum cum Divina Majeſtate propriore commercio fruuntur.

Liturgia ad Eccleſiæ Anglicanæ doctrinam exacte formata fuit, eam ſcilicet, quæ ab omnibus Reformatis Eccleſiis ſana maxime & Orthodoxa agnoſcitur.

Nil de fructu aut excellentia Liturgiæ decedit, ob perpetuam conſuetudinem.

In formis perpetuis, *ſiquid oſcitantia paragatur, cordi potius, quam verbis imputandum eſt.*

Alii oratione multiplici, & extemporanea ſe effu-

ſione

ſione jactantes, formam tantum habent pietatis alii, intra certas verborum & conſuetas formulas, vim optime illius, & fervorem retinent.

Non omnino majus periculum eſt, ne conſueta precum formula obſtipetur & torpeat Spiritus precum & Devotionis, quam, ne confuſa & immediata varietas diſtrahat illum penitus, vel excludat.

Regi omnino impoſsibile eſt Regnum ſuum in pace ſervare, niſi eam in Eccleſiaſticos vim habeat, & ii viciſsim ita ab illo dependeant, ut ſit frænum aliquod poſitum Miniſtrorum linguis nimis alias proclivibus in ſeditioſam licentiam evagari: cum enim claves cœlorum tenere exiſtimantur, ita tenent plerumque cordium claves (plebis præſertim hominum) ut, prout varia oratione placuerit, pacem ſæpe & obſequium in Principem vel intromittere poſsint, vel excludere.

Indignum conſeſſu Comitiali Epiſcopum illum arbitror, qui ſecundum Conſcientiam ſuam ſuffragari non audet.

Eccleſiæ Regimen per Epiſcopos tum ſolidiſsimis Scripturæ fundamentis innititur, tum Chriſtianarum Eccleſiarum perpetuæ praxi.

Diſciplina & Regimine haud magis poteſt Eccleſia, quoad ſuum bene eſſe, quam verbo & Sacramentis, quoad eſſe diſtitui.

Qui arroganter uſurpant in verum Epiſcopatum, tumulo quodam futilium, leviculorum, & nullius eruditionis doctorum quaſi mole congeſta opprimere quærunt penitus & obruere Claritatem ſimul & Autoritatem Epiſcopalis Regiminis, quæ, citra omnem æquivocationem, aut ambigui nominis fallaciam evidentiſsime in Scriptura demonſtratur, tum in omnibus Eccleſiæ Hiſtoriis.

Quoad Religionem, Optimus Canon Scriptura eſt, & Univerſæ Eccleſiæ Praxis optimus Commentarius.

Non ſolum quoad Religionem, ſed ſiquis recta ratione naturam Gubernationis expenderit, omnino credi

non

non poteſt, bene inſtitutam ſubordinationem inter Presbyteros vel Miniſtros ullo modo Chriſtianitati magis repugnare, quam ſeculari & Civili Regimini: ubi. Plerumque è Paritate Confuſio & Factiones oriuntur.

Qui negaverit rectam Gubernationem *poſſe cum vera Religione conſiſtere, perinde eſt ac ſi dixerit, nec cum Harmonia Numeros, nec bona lineamenta cum bona forma conſtare.*

In Miniſtris, non ſecus ac aliis ſubſunt etiam ſeditionum *&* ſchiſmatum *ſemina.*

Satis perſpicuum eſt, nec Principum Gratiæ, *nec Presbyterorum* ambitioni, *ſed Apoſtolorum ſapientiæ & Pietati inſtitutionem* Epiſcoporum *in Eccleſia deberi.*

Tyrannis, *ut minime* Chriſtianos, *ita minime omnium* Eccleſiaſticos *decet.*

Exemplorum & praxeos Eccleſiæ, & Teſtimoniorum totum flumen ita in Epiſcopatum ruit, ut nec tenuiſſimus diverſæ parti rivulus relinquatur.

Eccleſias quaſdam nuperæ Reformationis, *rerum & temporum neceſſitas excuſat potius quam abſolvit, quod ab Antiquitate diverſæ ſint.*

Minimum Prudentiæ *aut* Charitatis *ſapere videtur in Chriſtianorum diſcrepantia latius plagam diducere.*

Epiſcopatus deſertores ſibi ipſis maxime inimici, & rem ſuam prodidiſſe deprehendentur.

Nunquam vim illam aut pretium obtinebit Presbyteratus, *niſi* Epiſcopatui *conjunctus fuerit, & eodem quaſi coronatus.*

Ut ſecundior ſit Miniſtris Aura populi, quam Principis Gratia, æque parum ſperari debet, ac, ut creſcant felicius planta manu rigatæ illis rore cœleſti & liberali perfuſis.

Inopia & contemptus Cleri oſtendent protinus, quale futuri ſint cadaver *cum à Capitis illius influentia, in cujus primatum jurarunt, dimoventur.*

Non-

Nonnulli magno Zelo proculdubio Epiſcoporum agris, ædibus, & vectigalibus inhiantes propter hæc multo promptius Epiſcopatum deglutiunt; quod nihilo levius crimen ſacrilegio eſt, cum Deum omnium datorem fraudant illa portione, quam olim pio animo Eccleſiæ & Prophetis donantes, ipſi grate viciſſim retribuerunt.

In Epiſcopatum abuſus, qui irrepſerunt, exſtirpari merentur, Uſu adhuc illius retento.

Proventus Eccleſiæ ſunt ſeculari invidiæ obnoxii, quæ jam omnina illi quærit eripere doctrinæ & pietatis incitamenta.

Malim, Conſtantini exemplo, errores patrum Eccleſiæ ſilentio velare, aut lenitate corrigere, quam perſonas eorum & ſacrum munus ludibrus vulgi exponere.

Perverſorum hominum conſilia pepererunt, & jam uſque parturiunt confuſiones, cum antiquos illos limites intra quos ſtetit pax Eccleſiæ ita omnes verſano impetu dirimant, omne genus erroribus, ſchiſmatis, & diſſolutione introducta.

Valent aliquoties peccata noſtra contra cauſſæ noſtræ juſtitiam.

Nocent ſæpe Publicæ cauſſæ Privata flagitia; nec qui vulgo generoſi & fortes audiunt, idonei ſemper à Deo habiti, qui juſtam cauſſam bello propugnent: quo enim proclivior quiſque eſt ſuæ arti, conſilio, aut virtuti tribuere, eo minus in ſuam Gloriam Deus per illos operatur.

Male admodum ex eventu æſtimatur vel Cauſſæ juſtitia, vel Conſcientiæ Pax, vel, in quem mittuntur Animæ noſtræ in futurum ſtatus.

Sæpe id precibus à Deo expetit Princeps pius, ut omnes ſubditi veram pietatem cum obſequii ſenſu conjungant, & in Deum æque atque animas ſuas ac in ſe fideles, ne quæ hic deliquerint, cæteros illos conatus prorſus irritos efficiant.

Varii rerum ſucceſſus ſunt diverſæ Divinæ juſtitiæ Metho-

Methodi, his, quaſi ventis contrariis, excutere nos volentis & repurgare, ut, puniendo peccata noſtra, puros ſimul illos præſtaret, & ita animos noſtros erudiret, ut futuras benedictiones & æſtimare melius poſſemus, & rectius uti.

Ea ſors peccata noſtra exſpectabat, ut non amplius quieſcere Divinam juſtitiam ſineret: Victa primo Dei patientia in ea nos ſupplicia damnavit, ut alternantibus victoriis mutuo collideremur.

Miſeræ omnes Victoriæ, *quæ peccata adhuc relinquunt* indomita, *queis effertur inſolentius ſuperbia, & ad cumulandas injurias animatur.*

Deus aliquoties ob peccata pacis, calamitates Belli inducit; & ob peccata Belli felicitatem Pacis denegat.

Leges & Religio ſancita Menſura & Canon Reformationis eſſe debet.

In rebus ejuſmodi, quæ non perinde ex profeſſo rationi *aut* fidei *aut bonis moribus adverſantur; & Scriptura haud ita clare & diſtincte præcipitur, ibi certe perpetua & univerſalis* praxis *Eccleſiæ optima eſt quam ſequamur Regula.*

Specioſa illa & popularia Chriſti ſcilicet Gubernationis, Throni, Sceptri, Regni, (*quod certe nunquam dividitur, nec, quod iſtorum, eſt Bifrons*) *tum illud* integræ & abſolutæ Reformationis *æque facile eſt cuivis Novæ formæ appingere; quam pulcerrimos colores deformi imagini.*

Qui reformare volunt publice, in ſe primum agant & experiantur in corde ſuo quæ in alios conſtituunt: intus enim ſiquid fuerit deforme, periculum eſt ne qui de Publico *videntur ſolliciti, in ea privata conſilia pertrahantur, quæ Publico bono multum obſtabunt.*

Recta quidem Ratio Reformandi Eccleſiam minime omnium conſiſtit cum civilis ſtatus perturbatione, *nec oppreſſa* fidelitate *crevit unquam* Religio, *cujus hæc pars præcipua & ornamentum eſt. Proximum enim à præcepto illo,* Deum time, *ſubjicitur,* Regem honora.

In-

Inſtaurari *poteſt proculdubio* Chriſti *Regnum*, Seculari *Principum neutiquam* everſo; *& cum ſtudia & affectus ceſſaverint, haud utique* Boni Chriſtiani *cenſebuntur, qui* Boni ſubditi *eſſe deſierint.*

Chriſti Reginem *in* ſtabilimentum *Regni Principis, non in* ruinam *cedit.*

Chriſtiana patientia per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam Deo ſervire novit.

Deo cuſtode Chriſtiano opus eſt, conſiliumque & ſolatium à conſcientia pura petendum.

Conſcientiæ integritas ſola gemma eſt, ſervari digna.

Se nimis perdit, qui in aliis ſpes extra collocaverit.

Parvi refert inter infelices *numerari, modo nigro* impiorum *catalogo inter prophanos & ſacrilegos principes non aſſcribar.*

Aurea in precibus Regula & perfectionis Vinculum *illo mutuo amoris & charitatis conſiſtit.*

Potius duco nullis precibus intereſſe, quam ſimulare Me eorum participem, quibus nec cor meum adſtipulari, nec lingua poteſt reſpondere AMEN, *niſi intellectui meo prorſus obluctari, & in animam meam mentiri velim.*

In ſacris & ſolemnibus officiis nec profana mihi placet audacia, nec inſulſa, & ſenſu deſtituta pietas, ſed eo judicio & humilitate & gravitate peragi, quæ ſe ſupplex demonſtret, & de Dei majeſtate, & de Eccleſiæ honore ſollicitum, tum & ſuam vilitatem cogitaſſe, atque illud etiam non ignoraſſe, vel quid *fas à Deo peti, vel* quomodo *peccatorem deceat Divinam miſercordiam pro ſeipſo & aliis implorare.*

Iuxta omnes illæ preces offendunt, in quibus aliquid protervius, ruſticius, perturbatius auditur, cum hic abſit neceſſe vel humilitas *in Deum, vel in homines* charitas, *vel quæ ipſi officio* Reverentia *debetur.*

Intellectus lux, & affectuum fervor ſunt illa maxime

xime neceſſaria in ſacris omnibus officiis, ſive ſunt illa ſolennia, ſive ex occaſione nata, ſolitaria, vel cum aliis conjuncta.

Mihi potius denuncietur Væſoli, *quam illud audiam horrendum* Væ vobis, hypocritæ, *ſi, quæ* corde *reſpuo, ea* præcibus *expetere ſimularem.*

Longe glorioſius eſt verbo *animas hominum ad Eccleſiam Dei convertere, quam eos* gladio *ſubigere in ſervitutem.*

Æque certe ſecutura eſt Religionis confuſio, ſi quiſque partes Eccleſiaſtæ *aut* ſacerdotis, *agat, quam in ea Republica, ubi omnes* Regnum *ambiunt.*

Mediis Ordinariis *neceſſario deſtitutos ſolet Deus* donis *ſuis & Gratia* extraordinario *quodam modo ſupplere.*

In præſenti pavore & diſtractionum ſpeculo peccata prius admiſſa contemplari licet.

Cæcum eſſe oportet qui manum divinæ juſtitiæ non videt: Qui ipſi tumultuantes *invitabant primo, & initium fecerunt exercitui, jam ab iiſdem ob* tumultus *caſtigantur.*

Difficile eſt intra unum peccatum continere, nec nova inſuper addere, dum ſuperiora noviſſimis puniantur.

In quos Leges nil poſſunt, Deus propriis ipſorum ſceleribus & manibus etiam caſtigabit.

Fatalis *quædam occæcatio* Voluntariæ *frequenter comes & ſupplicium.*

Iis, qui mature de peccatis reſipiſcere nolunt, haud liberum erit poſtea ærumnas defugere.

In Mundi inſtabilitate & mutationibus Divinam videre licet conſtantiam.

Nunquam illis inimici deeſſe poſſunt, qui peccato abundant nec diu arma retenturi, aut perniciem effugituri ſunt, qui manu ſuperba contra Deum & clariſſima conſcientiarum ſuarum teſtimonia pugnare perſeverant.

Deus poteſt, & vult etiam hominem verepium per per-

perpeſſiones ſuas exaltare & perficere, in quibus plus Miſericordiæ divinæ quam juſtitiæ, vel humanæ ſævitiæ apparet.

Florentem Principem ſatis præſtabit Pietas; *à miſeria ſaltem immunem cuſtodiet: quanquam* levi *admodum damno afficitur, qui in ſalutem* Animæ *perdit* omnia.

Afflictionem Calicem, *ut Dei* pharmacum *accipere oportet, quod deeſt ſuavitatis ſalubritate compenſans.*

Principem in Religione *firmum radicari oportet, ut* Ratione & judicio *rata fiat illa* Educationis Scriptura, *nec aliorum* traditis & conſuetudini *ſolum debeatur.*

Ut firmus ſit Princeps Religioni *non erit in* animæ *magis quam in* Regnorum *pacem.*

Perduellionis *plerumque* Diabolus *ſe in* Angelum Reformationis *transformat.*

Niſi Princeps fixo ſit animo & confirmato, in negotio Religionis, nunquam deerunt tentamenta, queis ſub Obtentu Reformationis *ſibi pariter & ſuis perniciem ſtruent.*

Religionis colore hominum teterrimi exitioſa ſua conſilia ordiuntur.

Geſtit quiſque æmulo ſtudio famam Zeli externa Reformatione *acquirere; ita* propriam *melius impietatem & turpitudinem velare ſperantes, quo ſeviorem in alios Cenſuram exercent.*

Principi cavendum eſt ne Factionem ullam foveat à Religione (in Eccleſia conſtituta, & judicio ſuo conſona) ex profeſſo diſcrepantem.

Cuicunque Parti adhæſerit Princeps, haud ita illos demerebitur, qui in Regiam Religionem ire prompti, quam illos penitus inconciliabit, qui ſe ſpretos primum exiſtimabunt ut deinde opprimantur.

Nihil Principi exiguum *videri debet aut contemnendum, in quo de* Pace Eccleſiæ *aut* Religione *agitur, ut negligentior fiat propterea vel immature reſor-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

formando, vel efficaciter coërcendo errores illos & ſchiſmata, quæ licet parva in initio inſtar Volæ manus *appareant ſeditioſis poſtea ſpiritibus ut vehementibus ventis impulſi toto cælo repente offunduntur.*

Vere-pius non eſt admodum ſollicitus quid injuriæ ſibi fiat ab hominibus, *dum quod rectum videtur coram* Deo *retineat.*

Semper ſolidam pietatem, & Fundamentales *illas veritates, queis & corda & vita emendantur, integra prorſus juſtitia, nec minus favore principem oportet propugnare.*

Videat Princeps ne illæ in ſacris circumſtantiæ & exterior *Religionis* Forma *omnia præmia doctrinæ induſtriæ & pietatis auferant.*

Pari ſint ut cunque ſævitia, juſtiori tamen odio proſequimur quos in Ovium veſtimentis Lupos deprehendimus.

Condonare poſſe inimicis meis, divini in Me amoris certius indicium eſt, quam ulla in rebus ſecundis felicitas.

Vera Religio *in* Anglia ſtabilita *omnium optima eſt, non in genere ſolum ut* Chriſtiana, *ſed ſpeciatim inſuper ut* Reformata: *ut quæ viam mediam tenet inter* pompam ſuperſtitioſæ *tyrannidis, &* cerebroſæ *Anarchiæ* obſcuritatem.

Proteſtantium in Anglia Profeſſio nec unquam Regulas tradidit, nec exempla oſtendit Belli contra Eccleſiam, Leges, aut Principem.

Cavendum eſt, ne, ob fictum Aliquorum & rabioſum zelum, quicquam veræ pietati detrahamus: ex fructu enim utrumque dignoſcere licet: nec ideo vini aut ficus aſpernanda ſuavitas, quia Cardui *forſan & vepres hos fructus oſtentant, ut arboribus cæteris dominentur.*

Id ſevera Dei juſtitia nonnunquam poſcit, ut populi perſtent in peccatis ſuis, & proſpero ſcelere deludantur.

Firmus Pietati & Virtuti *maneas, nunquam Regnum deerit.*

Conſcien-

Conſcientia Mea mille Regnis mihi charior.

In ſecundis Nobis nova non eſſe debet Mortis Meditatio, nunquam importuna exiſtimanda, cum ſint illa tam incerta: Eſt enim mors Eclipſis *ejuſmodi, quæ in* ſudo *æque ſit ac in nubilo tempore.*

Maxima ea eſt Chriſtianæ vitæ gloria mori quotidie *dum fide viva & ſpe vitæ melioris vincit illas mortes quotidianas queis ſic per partes occidimur, & ſimus indies nobis-ipſis ſuperſtites.*

Ne vitam illam, vel dolore nimiam, vel moleſtam tædio putare licet, in qua Deus occaſiones ſuppeditat ſi non agendi at ferendi ea Chriſtiana patientia in bona cauſſa & forti animo, unde maximum vitæ decus & è morte lucrum accedat.

Chriſtianam fortitudinem ſiquis recte æſtimet, puſilli eſt animi mori cupere, quia tædet vivere, & quo vacui arguimur illa vere Heroica & Chriſtiano digna Celſitudine, quæ ſe optime oſtendit in has fortiter ærumnas ſuſtinendo, quæ, quamdiu in hoc corpore verſamur, ſemper Nos velut umbra conſectantur, contractiores *nonnunquam aut* porrectiores, *prout* Sol *rerum ſecundarum vel in* Meridiem *aſſcendit, vel in* occaſum *declinat, qui, cum totus abſuerit, rore Cœli optime compenſatur.*

Sunt quidem Afflictiones, velut ille Sampſonis *Leo, primo ſuo inſultu* terribiles, *ſed à quibus* ſuavitatem *expreſſerit qui hic audet colluctari, & vincere, nec ægro nimis animo & imbecilli ferat his cucurbitis ſupereſſe marceſcentibus, dum cum Deo verſari permittatur.*

Mortem *ſperamus vincere* Chriſti *virtute & Amore, qui victoria* Reſurrectionis *ſuæ &* Aſſcenſionis *Gloria* Vim *omnem mortis abſorpſit.*

Charitas pulcerrima nos docet ratione & ulciſci hoſtes noſtros & vincere.

Quemadmodum maxima ad peccandum tentamenta felicitatis quadam apparentia tecta ſæpius involuta porriguntur, ita ſevera Dei ira maxime perficitur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

cum ſacinoroſa ſua conſilia nefarii homines conſum
maverint.

Compenſabit infinita ſua miſericordia Deus, quei
nunc humana iniquitate æquum putat nos privare.

Dei tandem rectiſſimo judicio omnes iſtæ arguti
refellentur, queis (ſophiſtarum magis quam Chriſtia
norum more) à ſucceſſu argumenta in Cauſſam faci
unt, quaſi ſic Deus oſtenderit illam ſibi approbari.

Sapiens Dei Providentia multa ſæpe permittit *eve*
nire, quæ à Revelato Dei verbo (ſola Bonæ Conſcien
tiæ *&* Actionum *clara, ſtata, tuta Regula) multum*
abeſt ut comprobentur.

Ero plus quam victor *corroborante Me Chriſto*
propter quem, Veritatis, Ordinis, Pacis *autorem,*
hactenus perpetior. In horum enim maxime gratian
contra Errores, Factiones, Confuſionem *pugnavi.*

Mors jam violenta (ſi ſubire oporteat) nihil aliud
eſt quam Mortalitas Martyrio coronata: ubi naturæ
debitum *ex peccato contractum valebit in* donum
Deo à patientia & fide oblatum.

Illuſtriora *erunt multo* charitatis *noſtræ in illos*
trophæa, *quam eorum in Me male adminiſtratæ* Vi-
ctoriæ.

Ita mecum reputo, multo minus deprecari oportere
præſentaneum cujuſcunque regis interitum, quam vel
minimi è populo damnationem æternam.

Præſtat nobis-ipſis mori, & in Deo vivere quam
nobis vivendo, Deo fraudari.

Cum morte luctari quivis poteſt infirmus licet &
mortalis; ſuperiorem vero in hac luctâ fieri, Dei gra-
tia opus eſt, qui eſt Deus Omnipotens & immortalis.

Apoph-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Apophthegmata Carolina.

II. MORALIA.

Haud mirum eſt, ſi homines Affectuum ſuorum impotentiæ relicti, vel multa ipſi mala faciant, vel aliorum Bonitate abutantur, cujus ingrata nauſea morbus omnium deploratiſſimus, & inſanibilis.

Injuſta odia, & ſuſpiciones maximas plerunque Gratias, quas indulgentiſſime quiſpiam in alios contulerit, corrumpere valent.

Uſu venire ſolet, ut inter Multos pauci admodum in eadem ſint ſententia: & id crebro etiam videre eſt in Majori eorum parte deteriorem pollere.

Certe haud amplius *Conſilium* appellari debet ubi non rationibus perſuademur ut *Homines*, ſed vi quadam & errore, *pecudum more*, adigimur ad cuicunque rei aſſentiendum quæ à Turbarum patronis excogitantur. Dignus eſt qui in æternum ſerviat, nullo prorſus miſerante, qui id pati poteſt, ut Rationale ſuæ Animæ imperium, Verborumque & Voluntatis Libertas, ita omnia ſimul mancipentur.

Ego nec tanti mea Regna facio ut illa velim ſervare Libertatis diſpendio, quæ cum mihi ut homini & Chriſtiano debetur, multo minus Regi neganda eſt, qui nullius ſuperioris præter Dei dictata, ut conſenſum obligantia agnoſcam. Emori ſatius eſt ſub hoc Regno Animæ meæ, qua Deo ſolum ſubjicior, Ratione & Religione me diregente, quam inanem Regis titulum uſurpantem conſtrictum me ita & captivum vivere, ut nec conſcientiæ nec rationis uſus permittatur, quo quid probem, quid improbem, prout Regem decet, declarem.

Certe conſcientia mea non teneor Conſcientiæ meæ adverſari, quod proculdubio facerem, ſi, quibus Ratio, Iuſtitia, Honos, Religio negandum jubet, Novis Rogationibus annuerem.

Error & paſſio ſunt umbra Rationis & ſufficere debet ſolidiore deſtitutis.

Coram Deo & Hominibus culpam haud meretur, qui rerum optimam Rationem perſpiciendi cupidus, ei demum obtemperat quod ſibi maxime videtur Rationi conſentaneum, & ſi forte in errorem per inſcitiam prolabatur, excuſabit illum mentis rectitudo. Nemo navis Rectorem incuſabit, quod, cum ſtellam polarem non videat, ad eas ſaltem quas videt, curſum dirigat. Mihi certe magno argumento eſt laborare *Rationum* inopia, & ſolidis Argumentis deſtitui, qui vim iſtam auxiliatricem ad propugnanda ſua infirma conſilia, & Rogationes promovendas accerſunt.

Patiar forte in iis (quorum me Dominum eſſe arbitror) privata ſcilicet Re mea & *Perſonalibus privilegiis* cedere: quod vero ad *veritatem*, *juſtitiam*, *jura Eccleſiæ & Coronæ & Regnorum meorum publicum bonum* ſpectat, quæ omnia, quantum in me eſt, tueri debeo, hic firmus ſum & ſtabilis, & idem uſque perſtabo, in nullius unquam hominis gratiam in ea conſenturus, in quibus Cor meum Linguam vel madum redarguet, nec id coram hominibus affirmaturus, quod in conſcientia mea coram Deo negavi.

Præclara meritæ Fœminæ virtutes vel inter feros *Indos* præſidium invenire credibile eſt, cum minus his capitaliter infenſa ſit agreſtis eorum *barbaries* quam ficta quorundam *aſtutia*.

Hoc ſaltem ſolatio ex Reginæ meæ incolumitate fruar, quod ſim dimidio mei duntaxat, illa ſalva, periturus.

Fruſtra ſperatur *Humanitas*, ubi *Fides* in Principem diſputatur.

Quo-

Quocunque nexu Regio vel parentela munitus tuto non poteſt inter illos verſari, qui, quo firmius Religionem ſuam amplecti credantur, omne prorſus obſequium abjecerunt.

Ea eſt nonnullorum hominum in majores ferocia, ut, quod deeſt juſtitiæ, immanitate, & impudentia ſuppleant.

In adverſis, velut in obſcura nocte ſtella, virtus clarior.

Uxor fidelis maritum, non fortunas, amat; & ſympathia in adverſis ejus tangitur.

Ea eſt Nonnullorum ingratitudo, ut, qui paſti pane noſtro, & munificentia ditati, ſuperbe ſe contra nos extulerint, è domeſticis facti adverſarii.

Eſt hominum genus, qui cætera omnia, in quæ maxime obligantur officia, Religionis hoc Corbina excuſant, & ægrius aſpiciunt, quam peccant in eos qui non Principes illis magis quam Patroni beneficì extiterunt.

Neceſſarium videbatur nonnullorum conſiliis, ut probroſis Criminationibus & omne genus inſolentiis Reginam è Regnis meis pellendam curarent, ne exempli illius influctu (raræ certe in conjugem Charitatis, in Regem Fidei) eos omnes, quos corrumpere ſatagebant, vel ad amorem mei & obſequium pertraheret, vel in iis conſtantes retineret.

Præclare vincit, qui indigne licet ab inimico acceptus, nullo odio incenſus, aut præcipiti iracundia ita abreptus eſt, ut quicquam dicat aut faciat ſe-ipſo indignum, vel illa animi *Moderatione*, quæ, cum ad Magnum *Chriſti* exemplum proxime accedit, Chriſtianum inter Maximas injurias optime decet.

Clementia debitum quoddam eſt, perſolvendum Petentibus, iis ſaltem, quos credibile eſt haud in malum deinceps abuſuros, cum Deus ipſe nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

aliud à nobis in *Miſericordia* ſuæ pretium, quam *preces* & *laudes* accipiat.

Agnoſcunt imbecillitatem ſuam, quamque ſint à veritate & juſtitia inopes, qui armis malint, quam argumentis contendere.

Ut generali & implicito conſenſu in omnia ab aliis allata vel propoſita adſtringatur quiſpiam, tam cœcæ eſſet penitus obedientiæ, qualis nunquam à libero homine ſperaretur, quam, cum à nullo prorſus exigere debeamus, multo minus à Rege ſubditi.

Recta ſit quantumvis *intentio*, nec ſcandalum excuſabit, nec exempli contagium.

Eſt quoddam *Zeli* genus, cui clemens æquanimitas *tepor* eſt, quique immanem ſe haberi, quam frigidum malit: quanquam crebro etiam hi homines (quidquid ſimulant) plus *pellis* ſuæ cauſſa urſum quam *maleficii* occidant, cum ſit his *præda fiſci* charitate illa potior quæ aut Vitas conſervat aut ſanat errores.

Ubi omnia ſiniſtre accepta ſunt, procliviores ſunt homines quod falſum & deterius eſt credere, quam quod verum & bonum eſt diligere.

Sunt Nonnulli qui Abyſſi improbitatis ſuæ conſcii, ægre quenquam ſe-ipſis minus improbum agnoſcunt.

Reginm eſt bene facere, & male audire. Illud faciam modo, hoc feram libens.

E Regia munificentia *audacia* nonnullis creſcit ultra fines modeſtiæ & gratitudinis *agendi* ſimul & *flagitandi*.

Nunquam (Laus Deo) *iracundia* mihi major quam *miſeratio*.

Inter hoſtium malitiam & aliorum errores non inferius diſcrimen agnoſco, quam à febre diſtat peſtilentia; à prurigine *Novitatis*, lepra *perfidiæ*.

Quemadmodum mentientibus neceſſarium eſt bene *reminiſci*; ita malitioſis bene *comminiſci*.

Plus

Plus mihi ad ferendum patientiæ, & ad ignoſcendum charitatis, quam eſt otii quo reſpondeam ad plurimas haſce calumnias, queis Nonnulli me falſo reſperſerunt.

Libertatis, ſenſu vulgari, eſt id prorſus facere, quod cuique libuerit.

Nullam aliam inimicis meis pœnam opto præter pœnitentiam.

Dei variæ ſunt miſericordiæ, conſtantes tamen.

Ea eſt ſpiritualis Dei perfectio, ut nec affectata Novitate delectetur, nec iiſdem ſæpe repetitis, piis modo precibus, offendatur.

Statas formas formam tantum Religionis generare, fallacia eſt.

Animi pauliſper moderatione adhibita, occurri poteſt magnis malis.

Rerum ſecundarum comes arrogantia, adverſarum querimonia.

Pia eſt diverſarum Partium æmulatio, ut ſe invicem ratione, animi moderatione, & ſui-abnegatione exſuperent.

Buſtis mortuorum & Epitaphiis ſolum admonentur poſteri quas Deo debent gratias in majori luce verſantes.

Tunc maxime ſe probat virtus, & generoſi animi vera indoles, cum in hoſtes maxime liceat; nec ulla magis humanitate afficimur, quam quæ ab iis defertur à quibus minimum ſperavimus.

In chartis illis celandis, in quibus liberiora quædam atque arcana continentur, aliquid civilitatis neceſſarium ducunt etiam homines non plane barbari: nec revera quicquam unquam inhumanius quam eas publice omnium oculis exponere.

Fieri non poteſt, ut non ſenſu aliquo ſecreto afficiantur Homines pudoris illius & infamiæ, quæ inhoneſta facinora comitatur, utcunque publica adulatione, & populari Gratia commendata.

Deus olim benedictione ſua illam *Noæ* filiorum

verecundiam & filialem in patrem teneritudinem compenſavit, cum nulla contra patris infirmitatem vel excuſari poſſet *Chami* impudentia, vel ab execratione illa liberari ut eſſet *ſervus ſervorum*; quæ illis etiam hæſura eſt, qui actibus plenis probri & placere ſtudent populo, & hoc ſibi patrocinium firmare.

Vis maxima Divina Ratio eſt: nunquam me inopem virium putabo dum hac integre & libere frui liceat. Nulla externa fortunæ eclipſis hac me luce innata fraudabit. Quicquid extra Deus negabit roboris, intus à Gratia illius (uti ſpero) inconſtanti animo ſupplebitur, non ut negem præfracte quod concedi par eſt, ſed ne quid ejuſmodi concedam, quod Ratio & Religio jubent negare.

Nulla quæcunque coarctatio animam meam illaqueabit, nec id unquam à me impetrabitur, quo vel hoſtibus meis *inſolentiam* augeam, vel amicis *pudorem*, vel nomen meum reddam *execrabile*.

Nihil eſt quod triumphent detento *Corpore*, cum ipſe *Animam* retineam in nil adverſus conſcientiam expugnari firmam.

Quod hi vocant *Pertinaciam*, id à Deo reputatur honeſta *Conſtantia*.

Si quod petunt Nonnulli, concederem, eſſem is profecto quem cupiunt, non eo Rex potior, ſed & homo Chriſtianus multo deterior.

Nulla mihi naſſa fiet metus hominum, nec animum impediet libertatis amor. Præſtat enim ab aliis quam à Me-ipſo prodi, & ut Libertatis Lytron Conſcientia perſolvat: quod enim mihi maxime cupiunt facere inimici injurium, ſine meo conſenſu non poſſunt.

Non mihi tanti Liberta & vita ipſa, quanti pax conſcientiæ cum Coronæ meæ Honore & Salute populi conjuncta, queis ſim *uno* forſan *verbo* magis nociturus, quam *quæcunque* belli *mala* dum ut *paucis* indulgeatur, *cunctos* peſſundem.

Obtruſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Obtruſi cuipiam nonnunquam Comites quavis ſunt ſolitudine triſtiores.

Et infimæ ſortis vincti, & maximorum facinorum rei, etiamſi legis ſeveritate aliis vitæ commodis priventur, Religionis tamen miſericordia, *beneficio* fruuntur *Cleri* ſui, ut quæ ſimul nolit Corpora *perimi* & Animas *damnari*.

Non hoc mihi permiſſum in angore meo, ut à quocunque *bono Angelo* ſuſtenter: is enim mihi optimo jure videtur doctus, pius, & prudens Theologus.

Quibus prius invidiæ erat me Regem eſſe, jam moleſtum eſt eſſe Chriſtianum: ita me omnibus quærunt *ſpoliare*, quaſi id etiam vererentur, ne vel *ſalva* mihi *anima* ſupereſſet.

Sunt Remedia nonnulla pejora morbis; & nonnulli conſolatores major ipſa calamitate calamitas.

Fratres in malo proxime in hoſtes abituri ſunt.

Nihil difficilius, quam ut ſint improbi diu unamines.

Populoſis Urbibus ſua copia fomes luxuriæ eſt, & opulentia vertitur iis in laſciviam, qui multitudinis ſua fiducia in ſecuritatem proni, & hac demum ſecuritate repentinis fiunt miſeriis obnoxii.

Plurimi, etiamſi non ſint optimi, ſatis tamen delectantur, cum videant aſperos virtutis calles ſecularibus præmiis levigari.

Ut ſors Principis ſublimior non permitit in ſingulare certamen deſcendere; ita multum infra celſæ mentis indolem eſt de vindicta cogitare, vel in *plures* iram effundere.

Plus ſinceræ haud dubio voluptatis capiet princeps uni alicui *ignoſcens*, qam ſi mille *caſtigaverit*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Apophthegmata Carolina.

III. POLITICA.

Parlamenta rite habita Coronæ ſaluberrima, ut in populum gratiſſima.

Principem juſtum apud ſe ſtatuere oportet æquis omium & ſobriis deſideriis ſatisfacere, &, ſiqua ſunt in Regno vel Eccleſia, publica gravamina, *levare. & rationum pondere quicquid in lance adverſa factioſum eſt deprimere.*

E re Principis eſt, & liberorum, ut amorem & commoda populi ſui omni modo procurare & tueri contendat.

Unica in hoc mundo felicitas, ad quam juſti Monarchæ adſpiret ambitio, in qua honos ſcilicet illius & ſalus proxime à Deo conſiſtit, eſt, Populi commoda procurare & tueri.

Principes, etiamſi in quibuſdam minui prærogativam ſuam patiantur, nihil tamen perdunt, ſi tantilla jactura ſubditiorum affectibus penſetur.

Aſperitas *quorundam aut* Remiſſio *in Civili & Eccleſiaſtica adminiſtratione iras & odia in Principis regimen derivat.*

Majori aliis zelo agi oportet principem ad ſtabiliendam Religionem, Veritatemque *illius, &* Ordinem, & unitatem *conſervandam, gnarum ſcilicet, nullas civilium diſſenſionum faces pernicioſius jactari, quam quæ privatis factionibus Religionem prætexunt.*

Vir, ſummis negotiis par, is eſt, qui metu *potius principem, quam* pudore *deterreat, ne illum Publicæ rei præficiat.*

In rebus Politicis verſato naſcitur plerumque majora audendi fiducia: qua deinde in magnos errores & plurimorum inimicitias labitur.

Qui Rebus præficiuntur, dum in Celſo orbe movent, cla-

claroque & vivido fulgore, multos invidos halitus inſtar ſolis excitant, qui populari odio denſati nubem quandam & tenebras vel clariſſimis meritis & innocentiæ offundunt.

Inportunis quorundam flagitationibus contigit cogi poſſe principem inter æſtus Conſcientiæ ſuæ fluctuantem, ut tutiora *in præſens quam quæ* juſtiora *ſunt, eligat; atque adeo* externo *inter homines paci* internam *conſcientiæ rectitudinem anteponat.*

Fallax eſt illud, Satius unum interire vel inoxium, quam populi offenſam vel ruinam accerſere.

Optima in Politicis norma eſt, unicam juſtitiam *cæteris omnibus commodis potiorem habere, & pacem* Conſcientiæ *ſalute* Regnorum.

Argumenta plus quam probabilia ad excitandas ſuſpiciones in Principis animo ſatis valent, qui non ſtupide vecors omnem publicæ tranquillitatis curam abjecit.

Tumultus populares, non ut æſtus quidam & procellæ maris (quibus ſuus tamen terror non deeſt) ſed velut terræ motus (quo nihil extat horribilius) fundamenta ipſa convellere & ſubruere minantur.

Nihil revera quod prudentes & cordatos viros magis terret, & quo minus uti decet, quam illa infimæ & ruſticæ plebis tumultuaria coactio, quæ hanc diſciplinam à Nonnullis hauſerat, ut Comitis primo ſupplicarent, *deinde illa ipſa* protegerent, *mox etiam &* præſcriberent, *poſtremo* imperitarent, *&* dominarentur.

Obſtetricatione Tumultuum utuntur Nonnulli, qui Eccleſiæ *& Reipublicæ perniciem meditantur.*

Inter Dei præſcriptum & impotentes hominum affectus rara admodum concordia eſt. Gaudent ſimilibus ſuis inſtrumentis violenta conſilia: & qui ad privatos ſuos fines *intentiores ſunt, difficulter ſe circumſcribunt Dei* mediis. *Ingeret ſemper aliquid* violentia, *quantumvis* ratione *repugnante.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Ut haudquaquam mirandum eſt iratum mare furere, cum ventis vehementibus agitatur; ita nec vulgus etiam inſoleſcere ab ejuſmodi hominibus inflammatum, qui exiſtimatione aliqua ingenii & pietatis præcipue commendantur.

Ea nonnullorum eſt petulantia, ut virorum ſe multo præſtantiorum contumeliis & *injuriis gaudeant, ſuam gnari ſecuritatem in vulgi palvo conſtare.*

Tribuent alii fortaſſe puſillanimitati, *ut quis vulgi minis perterritus Publicam Stationem deſereret. At mihi contra videtur, non veræ* fortitudinis, *ſed amentis cujuſdam* audaciæ, *ultro ſe mari irruenti cum certiſſimo periculo objicere: quin dandum potius ſpatium dum hæc ferocia ſubſidat; & ſiquid ruptum fuerit opportune reſtituatur. Sane vir vere fortis & magni animi mallet (iniquis licet conditionibus numeroque & loco inferiori) in aperto campo & recto more depugnare, quam inter turbam inconditam fœde colluctari.*

Ferociſſime inſultare prompti ſunt Nonnulli, cum objecta injuriarum capacia & idoneum tempus nanciſcuntur.

Velut ſues *in hortis ordinatim conſitis; ita in Publicis conſiliis ſordidæ* Turbæ *colluvies ſuſque deque miſcent & ſpargunt omnia, & ſtercoribus ſuis collutulant.*

Arripiunt occaſionem Nonnulli plus ſibi inſuper laboris imponendi infecta ea denuo faciendo, quæ tam bene jam acta repererant. Ea improba eſt multorum ſedulitas, creant ſibi potius quam deſit negotium, & male agere inſtituunt, quam nihil agant omnino.

Boni certe ſubditi æquum haud omnino exiſtimabunt, ut deterior ideo eſſet Principis conditio, quia eorum reddit meliorem.

Iuſtis quaſi modis ſuis temperatur reſpublica, vim ſuam legibus & vigorem reddendo; quod ut accuratiſſime fiat, nullius magis quam Principis intereſt.

Ultra quam Leges ſibi tribuunt nil poſtulat juſtus Princeps; minus vero nemo vel infimæ ſortis ſubditorum debet accipere.

Vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Vel largiſsimis conceſsionibus me haud quicquam imminutum credebam; dum ſic populi mei amorem redimere & confirmare potuiſſem.

In eo ſolum miſeri ſunt ſubditi, quod oblatis Principis bonis frui ambitione quorundam prohibentur.

Facile ſibi perſuadet Princeps non poſſe ſe hominibus profeſsione ſua ſubditis cæteroquin ſingularem quandam Religionem & auſteram pietatem profeſsis, vel nimia indulgere, vel nimis parum diffidere.

Permiſſo Nonnullis in ſummum Templi pinnaculum aſſcenſu, tentationem etiam iis ſubjecit, ut Principem illinc darent præcipitem.

Eligendum potius, ut, commeatu licet & armamentis deſtituti, in altum compellamur, quam ut oram legentes, cum naufragii periculo illidamur.

Ea eſt Tumultuantium audacia, ut quidvis impudenter expoſcant, nulla Magiſtratibus relicta Rationis aut Conſcientiæ libertate, qua illis quicquam omnino negent.

Haud amplius tenetur Princeps ullis aliorum ſuffragiis aſſentiri, quam quatenus ipſa primo in Dei mandata, juſta jura Regia, tum commune populi Bonum conſenſiſſe perſpexerit.

Etiamſi omnium votis abunde ſatisfaciat Princeps; ea tamen eſt hydropica quorundam appetentia, ut quo largius bibant, eo largius ſitiant, quos nec ipſe Regiæ beneficentiæ fons ſaturare poteſt, obſtinatos illum vel penitus exhaurire, vel barbare obſtruere.

Quæ ab hominibus expetuntur, ea omnia explorare præcepit Deus ad Rationis & Legum Indicem (civilis ſcilicet juſtitiæ normam unicam) atque ita demum aſſenſum noſtrum in quæ judicio probam, profiteri.

Cavendum eſt Principi, ne ingrata importunitate & turbido impetu iniqua flagitantium prodatur illi degeneri, & indignæ viro ſervituti, ut illos conſenſu ſuo in iis corroboret, quæ conſcientia ſua perſuadetur & Dei Gloriæ, & ſubditorum commodo, tum, quod

penitus

penitus Rationi & Iuſtitiæ debet, adverſari.

Viget hoc improbum imprimis inter audaces Aggreſſores & Perduelles Axioma, Actis nefariis deteriora ſemper ſubjungenda: ſatius eſſe non inchoari, quam non ad finem perduci; *plus* in Receſſu quam fronte periculi, *&* quovis crimine exitialius eſſe reſipiſcere.

Conſultiſſimum eſt patienter id ferre cui mederi non poſſumus.

Apoſtaſia ad Fidem priſtinam ſcelus eſt nonnullis omnium maxime irremiſſibile.

Superſtitioſa Moroſitas, quam nonnulli præ ſe ferunt in Religionis Cauſſa, judicio ita tenebras offundit, ut nil prorſus malum eſſe aut perfidum appareat in quibuſcunque utuntur in hunc finem Mediis, *quoad Religionis ſuæ (ut vocant) inſtar, Reformatio fiat: atque id* Aurum *ducunt* pietatis, *quicquid* Zeli *quadam ſpecie &* fervoris *coruſcat.*

Homo infelix Joannes Hothamius*: qui monumentum jam extat infauſtæ perfidiæ: ſimulque Orbi documentum triſti Mortis ſuæ & acerbo ſpectaculo, quas ſecum pœnas trahit, tanquam umbram corpus indiviſam, inſolentia ſubditi in Principem. In his enim plerunque, ſævi illi maxime & implacabiles, quibus primo hæc opera navatur.*

Nullane ratio ſupereſt, qua princeps tandem Glorioſus *niſi ex perpeſſionibus meis efficiar?*

Anxia ſane & difficilis optio Amanti populum principi, *& ab iis viciſſim amari cupido, ut vel ſuos occidat, vel à ſuis occidatur.*

Fieri poteſt, ut in Reipublicæ adminiſtratione Abuſus nonnulli irrepant, pravis potius eorum conſiliis qui ad rem privatam ſuam tantum collimarunt, vel livida aliorum Moroſitate, quicquam Publicæ Rei ſine ſeipſis adminiſtrari invidebant, vel arcano potius & inſuperabili fato, quam ulla Principis ingenii ad injurias aut oppreſſiones proclivitate.

Idem omnium in Bello periculum: Nec Perſonarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

rum ullum diſcrimen Bellica agnoſcunt tormenta.

Inteſtini Motus pleriſque haud immerito videntur è longa pacis Nauſea & Animorum laſcivia *fluxiſſe vel* privatis *potius* æmulationibus, Ambitione & ſtudiis, *quam in ſolida ulla cauſſa fundari, quaſi aut publica injuſtitia intercluſa eſſet, aut* Parliamentorum Privilegia *violata,*

Vel publico ſemel odio objici ſatis eſt ad cujuſquam perniciem, cauſſa omnino inaudita, vel nondum cognita.

Eorum, quos ut Noxios depoſcebant nonnulli & damnabant ſuffragiis, crimen maximum hoc fuit, quod ſcilicet à Tumultibus ſe in Ordinem cogi, nec à Patronis eorum contineri paterentur, nec ſuffragiis ſuis denique aut præſentia obſecundarent illorum conſiliis, qui res novas agitabant, cum Eccleſiæ & Status pernicie.

Suprema Civium poteſtas Concivium ſtomacho rarius arridet.

Non majorem mihi opto incolumitatem, quam populo meo.

Qui ſuæ improbitatis & mali animi conſcii ſunt, id mundo perſuaſum cupiunt, nulli tutius quam luporum *cuſtodiæ* Gregem *ipſum cum* Paſtore *committendum.*

Cebra Factionum diſſidia multicipitem illam Dominationis Hydram neceſſe eſt conſequantur; quæ, utcunque fucum faciat populo, Majoris (ut inter plures oculos) providentiæ, ea tandem reperietur, in qua plura ſunt orahiantia, quæ neceſſe eſt omnia expleri. Porro, ubi optime cum illa agitur, aliquid forſan enorme habeat quo excedit, non perfectum, quo præſtet Monarchiæ; in qua, ſpargi poteſt in Varios, velut ſenſus, conſilium; ſuprema vero in uno tantum, ut in Capite poteſtas.

Subditiorum Corda optimus Regis Theſaurus & propugnaculum.

Pacem Publicam & incolumnitatem *meam me*

nunquam

nunquam nimio redimere *poſſe exiſtimo, modo id fiat ſine* Conſcientiæ *&* Honoris *jactura.*

Quædam, quæ approbari forſan alias à Rege poſſent, intereſt tamen aliquando & Prudentiæ *&* Honoris, *ut quibuſdam* hominibus *& quibusdam etiam* temporibus *negentur, ne ſic omnia concedens videretur nil auſus negare, nimiſque aliis animum faceret, improbæ & invercunda poſtulandi.*

Nemo Principis ſui Rationem aſtringere, & cancellis præfinire laborat, niſi qui id ſimul agitat, ut vel dividat imperium, *vel in illum uſurpet.*

Non tam Manu & Numero agere oportet juſtum Principem, quam Iuſtitiæ & Rationum pondere.

Tumultuantium cœtus nihil aliud ſunt quam canes quidam venatici, aure arrecta aſtantes ad eorum hortatus, qui, cum Regni & Ecclesiæ pernicie, privatos ſuos fines & conſilia perſequuntur.

Immenſa & ſubitanea Novandi *cupido nonniſi paucis illis imputanda, qui ſe turba* multicipitis *&* multimana *armarunt.*

Id apud bonum Principem fixum manet, nulla vel perturbatione, vel pervicacia, vel contradicendi libidine, vel inani negativæ vocis oſtentatione ita tranſverſum actum iri judicium ſuum, ut voluntati ſuæ obſequuturus ſit, quicquam ut quam negando, quod Conſcientia & Ratio negare vetuerit.

Satisfacere quidem conabitur Populo ſuo Princeps juſtus, ſed ut illi unquam factioni quantumvis potenti gratificetur, nec metu, nec adulatione ſe adduci patietur.

Plus certe in rem Principis conducit, ut cum ſubditis proſperrime agatur, quam quibuſdam expedit hominibus omnia turbare; qui revera rem ſuam agere niſi in turbidis temporibus non poſſunt.

Non aliter intuetur Princeps pius effuſum ſubditorum ſanguinem quam è venis ſuis hauſtum.

Prudentibus ita videtur eſſe hoc hominum ſe quæ-ſentium & in quos privati affectus plus pollent quam

Zelus

Zelus verus & pia prudentia, ut aliquod exterum Regnum vel Eccleſia ea aliis remedia præcipiat, quæ ipſi cum ſucceſſu magis quam cum laude uſurparunt: haud interim ſecum reputantes, idem ſæpe medicamentum. pro diverſa corporum temperatura, diverſo modo operari, idque alium ſanare quo alius occiditur.

Illud hinc colligere licet, homines ejuſmodi, queis ſuſpicio eſt cauſam ſuam & conſilia haud ita poſſe coram Deo probari, nunquam ſatis ſe arbitrari humanis viribus inſtructos, ut hoc opus ſuum, quantumvis populare, perficiant. Valde enim muniri opus habet, quod nec Religione nec lege defenditur.

Inconſtantia plerunque violenta conſilia comitatur.

Fruſtra ſperatur inædificari pietatem Fidei in Principem & obſequii ruinis. Nec durare diu poſſunt iſtiusmodi Molitiones, cum verſuram fidei ſuæ faciant Subditi, ut quæſtuoſius Religionis artificium inſtituant.

Ratio ſubditos & prudentia docebit, etiam rem ſuam melius ſtabiliri poſſe, ſi coronæ fidi permaneant, quam ſi cuiquam in Populo Factioni obſequantur.

Nonnullis tantum ineſt aſtutiæ ſerpentinæ, ut innocentiam columbarum penitus obliviſcantur.

Nunquam nimis ſe credunt Ambitioſi Homines laqueos & tendiculas vulgi credulitati ſtruxiſſe: his enim fere artibus, & pietatis fuco arctius ſibi quærunt populum adſtringere, metu ſcilicet perjurii intentato.

Nulla poſterior ſtipulatio, *(excogitata & imperata à paucis hominibus in aperta Factione verſantibus, abſque conſenſu Principis, & nullo ſimili exemplo præeunte, vel poteſtate à divinis vel Humanis legibus derivata) ſatis unquam videtur cordatis hominibus, vel ſolvendo, vel relaxando moralia illa & æternæ obſequii vincula, quæ & Deo & Principi præſtanda ſubditorum conſcientiis incumbunt.*

Raro certe vel nunquam id agunt Media *iſta* illicita,

cita, ut ad officium ſuum melius adigantur homines, ſed ut Partibus accedant firmiores. Atque adeo parum refert, quid de piis fœderum clauſulis exequaris, modo Conſiliis & Partibus, & Principali horum fini adhæreas.

Iniquum prorſus videtur Pietatis juxta & Rationis oculo, ut munus omnium ſanctiſſimum debitis ſuis incitamentis fraudetur.

Peſſima apertæ Hoſtilitatis effecta præ conſiliis & conflictu Malitiæ levia ſunt, quæ vel falſis calumniis veritatem opprimere conatur, vel fictis ſuſpicionibus, id quod ſolidi deeſt, in improba cauſſa, ſupplere.

Coronas multo libentius quam famam perdit cordatus Princeps cum exiſtimationem & Honorem Regnis etiam potiora habeat: Hæc enim cum vita terminantur: illa inclyta quadam immortalitate ſuperſunt mortuo: cum, bono nomine ſuo, Principes velut aromatis conditi æterno Poſterorum amori & gratitudini conſecrantur.

Suſpicionum fuligine occœcati in perditiſſimorum facinorum præcipitia cito deducuntur.

Nimis affectus ſui in populum conſcius Princeps juſtus, ut in illorum de ſe mutuo ſuſpicionem adducatur.

Iuxta acerbæ ſunt Principi illæ ſubditis ſuis factæ injuriæ, ac quas ipſe graves patitur.

Mihi quidem ſi optio daretur, multo malim Ruina populi obſtare, quam imperio gaudere: cujus nunquam ita cupidus fui (jure licet mihi debiti) ut non potior eſſet longe ſubditorum felicitas.

Omnes vitæ ærumnas, & multas mortes obire malim, quam juſta mea jure dominii vel unquam cum pudore deſerere, vel cum infamia prodere.

Eſt hominum genus, qui tam vehementer plaudunt Bono Fini; & in eum ita unice intenti ſunt, ut, nec quam illicita ſunt Media attendant, nec in ſceleris profundum omnino penetrent.

Nemo unquam libentius querelam inſtituit, quam ego cupidus eram corrigendi, quod Rationi *mea apparuit dictum vel conſultum perperam.*

Artificium non infrequens, quo ſuffurari Principi populi affectus & ad ſe pellicere ſolent Nonnulli, Libertatis *eſt oſtentatio & ſtrepitus.*

Libertas, *ſi ſenſu vulgari accipiatur, eſt id prorſus facere, quod cuique libuerit.*

Diviniſsima Libertas *eſt,* velle homines quod debent, *&* quod ſic velint, facere, *prout Rationi, Legibus, & Religioni conſentaneum eſt.*

Legum juſtos limites Boni Viri Ornamento *ſibi ducunt &* Præſidio, *cæteri* Compedes *appellant &* gravamina.

Haud æquum cenſendum eſt, ut quis Legis beneficia *&* præmia *exſpectet, illam* normam *ſibi &* Moderatricem *aſpernatus: Merito enim fraudatur patrocinio* Legis, *qui diſſolutam anhelat* Libertatem.

Illi optime veram Libertatem *conſervant, qui ſibi minimam licentiam vel* contra *Leges vel* extra *illas indulgent.*

Omnino fieri non poteſt, ut ullo molli & tenero affectu concivium *libertatem perſequantur, qui Regem ſuum auſi ſunt tanta aſperitate coercere, contra omnes divinas & humanas Leges.*

Ex improba & ſedula arrogantia *ovum quodque diverſæ Opinionis in ſchiſma protinus & factionem extruditur.*

Nulli unquam illuſtriores extiterunt principes, quam quos Deus in ærumnarum fornace per injurias ſubditorum explorari permiſit.

Haud mirum, ſi, qui Deum *non metuant, nec* Regem *ſuum revereantur.*

Eos Regibus Divinæ Autoritatis & ſacroſanctæ poteſtatis characteras impreſſit Deus, quos ſine gravi peccato obliterare non licet.

Ægre impetratur à Novatorum *ſuperbia, ut in*

in ſuperioribus *ſeculis quidquam omninò* prudentiæ *aut* pietatis *agnoſcant.*

Facile vulgo imponitur.

Nulli magis Tyrannidem moliunntur, nec ridigius ab aliis exigunt, ut illicitis ſuis Novationibus obtemperent, quam, qui ipſi (qua erant ſuperbia) ad parendum legitime ſancitis minime omnium fuerunt proclives; quique ſuæ ut indulgeretur licentia, libertatem conſcientiæ crepabant.

Errores fere inducunt Novitas & diverſitas, veritus contra in unione & conſtantia ſervatur.

Regi tum à Deo, & legibus ſalus Regni & Eccleſiæ commendatur.

Conſuetudo, *magna verborum arbitratrix & loquendi norma.*

Factiones. Confuſiones, Æmulationes, & contemptus facile inter pares naſcuntur.

Levitas & Inconſtantia in præjudicium cedit Novitatis.

Perſonarum *vitia, aut* Temporum *toti* Ordini *imputare, vel propterea in pœnam depoſcere, Craſſus vulgi error, & inter eas ſeditionum* Maximas, *à quibus omnes cordati homines merito abhorrent.*

Secularia *illa* Autoritatis *&* Honoris *Civilis additamenta, &* Fortunæ *Ornamenta, quæ Principes Chriſtiani* Epiſcopis *cæteriſque Eccleſiaſticis annectenda cenſuerunt, haud alia ſunt quam juſta eruditionis & pietatis præmia, ad opera charitatis & hoſpitalem beneficentiam adjumenta, Autoritatiſque, quoad debitam obſervantiam & dignitatem, firmamenta.*

Obſervantia Rectoribus debita, vix unquam in pacatis temporibus, ita ex virtutis *dimenſo, ac* fortunæ *perſolvitur.*

Cum tenuitate haud dubio & inopia ipſi Rectores ſimul, eorumque Autoritas evileſcunt, in hac morum diſſoluta & animorum licentia.

Fere omnibus innatum eſt, iis potiſſimum adverſari,

ſari, qui reprehendere aut coërcere videntur.

Quod mea ſententia optimum eſt, haudquaquam omni loco & tempore abſolute neceſſarium exiſtimandum eſt.

Multo ſatius duco Primitivæ *&* uniformis Antiquitatis *veſtigiis inſiſtere, quam* diſtractæ Novitati *manus præbere.*

Perinde videntur Tractatus-Pacis, *ac, ſi qui miſſo* ferarum *ritu pugnare, jam diſceptare incipiant ut* homines, *quorum robur certe plus in* ingeniis *eſſe oportet, quam in* membris *ſitum.*

Non magis eſt Hominis Ratione *potius quam* viribus *uti, quam* Chriſtiani *pacem quærere & conſectari.*

Belli omnis, in quo Enſis Arbiter, dubii ſunt eventus: Civilis vero triſtiſsimi; Succeſſu (etiamſi proſpero) vix unquam compenſante, & ſero admodum reſarciente Mediorum maleficia.

Rebus in Bello bene ſuccedentibus, non ideo carius Pacem deſtinare oportet.

Haud ita facile ſedantur ſuſpiciones, ac primo excitantur.

Major nonnullis timor eſt, ne à violentis Fœderationibus, quibus jam ſunt impliciti, diſcedant, quam olim ne his ſe implicarent, quod deeſt æquitatis pertinacia ſupplent.

Illi, quibus modica admodum res eſt, qua vel in Pace gaudeant, vel in bello perdant, illud ſedulo agunt, ut ipſum Nomen Pacis ſuſpicioni & odiis obnoxium reddatur.

Ea ſunt arrogantia nonnulli, ut, ſiquid modeſte concedatur, in imbecillitatis argumentum ſtatim trahant; & tunc ſe rigidos maxime pervicaces oſtendunt, cum alios flecti faciles & de ſuo remittentes invenerint.

Haud unquam ita evehet juſtum principem ſecundiſsimus Fortunæ curſus, ut ne Tractatui *auſcultet; nec ita reciprocabit, ut* armis *etiam contendere detrahat:*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

trahat: licet nunquam id veræ fortitudinis ducat vitas hominum malle prodigere, quam collatis utrinque rationibus, ſi opus eſſet, alienis ſubſcribere.

In Principis Legumque ſancitarum conſervatione publicam maxime ſalutem conſiſtere omnes probi arbitrantur: pro quibus & una cum illis honeſtius multo & felicius ducunt occumbere, quam per ruinas has creſcere & extolli.

Nec ſimulata, nec vera pietas vel excuſare omnino vel compenſare poteſt illa Obſequii & Fidei diſpendia, quæ Principi penitus debentur.

In Bello utriuſque Partis proſpera Publico adverſa.

Mutuis noſtris diſſidiis ſcinditur Publicum: bonis autem omnibus maxime expedit, ut ſit omnium concordia.

Omnium errorum origo eſt, quod populares fere clamores & furor vulgo Zeli *famam &* Communis *omnium* voti *obtineant.*

Paucis placendi ſtudio publice omnes plerunque læduntur.

Certe optime tunc initur *Reformandi ratio, atque optime demum* perficitur, *cum moderate & libere & nullis Partium ſtudiis proſequamur; contra Factioſæ Molitiones multo plures* offendunt *quam* placent.

Vulgus hominum Novitatum illecebris, non ſecus ac Pueri imagunculis, vehementer quidem, ſed non diu afficitur.

Principes Boni imperium à Deo acceptum profitentur, atque id unice in votis habent, ut in Gloriam illius & Eccleſiæ bonum adminiſtretur.

Quemadmodum Boni fines *nunquam juſta efficient* prava Media; *ita nec ex* malis Principiis bona *unquam fiet* Concluſio, *ni miraculo quodam ſuæ Miſericordiæ lucem Deus è tenebris è confuſione Ordinem, & à* perturbationibus *noſtris* pacem *creare deſtinaverit.*

Hoc maxime in votis habet Princeps Bonus ut vel in penitiſſimos animi ſui ſenſus introſpicere ſubditis ſuis liceret: ubi nil aliud deprehenderent, quam quæ cura

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

& amore diſtractus ſit, non quo jura ſua magis, quam ut pacem eorum & felicitatem conſervet & quam ingenti mœrore conficiatur, eos ita in perniciem ſuam deluſos.

Apes inde mella colligent, ubi virus ſugit Aranea.

Fieri omnino non poteſt ut ſint felices ſubditi, Principe miſero; vel pace ſua & immunitatibus, eo oppreſſo, potiantur.

Satis patet, ad hoc unice nonnullos collimare, ut, Abſalonis exemplo, atroci aliquo facinore latius indies fieret diſsidium, & exacerbatam utramque partem ita à ſe invicem diſtraherent, ut nulla ſpes eſſet poſtea redintegrandi.

Apud vulgus hominum bene tantum audiunt proſpera; contra adverſa & afflicta conditio omni ſtatim contumelia excipitur; quaſi Bona fortuna umbra ſemper eſſet Virtutis, & non frequentius turpia & injuſta facinora in hoc Mundo proſequeretur.

Illis, qualicunque ſucceſſu, nunquam ſatis muniri videtur, & commendari ejuſmodi cauſſa, quæ à Turbis auſpicata, de aura populari pendet.

Exiſtimatione Principis erepta via pulcre ſternitur ad eripiendum ei vitam & Regnum.

Quod viribus negat Providentia, prudentiæ forſan concedet.

Fieri poteſt, ut de inimico fiducia eum armis exuat & vincat.

Ita variæ ſunt res humanæ, & in eo ſæpe difficili ſtatu res Principum verſatur, ut in quo collocant illi præſidium, *ibi maximum ſubſit* periculum, *& quod credunt* periculum, *in* ſalutem *vertatur.*

Eſt & aliqua in luſitando peritia, ſcire jam vincere non poſſe; & mature deſinere, quam fruſtra certare.

Captivitas *æque cum* Turbis *&* Armis intuta *Principi, ſed non magis* formidanda.

Si non alias liceat Leges, & cum iis ſubditorum amo-

amorem redimere, quam Libertatis meæ aut Mortis pretio, en Me ultro paratum dependere.

Nulla ſors Regi vere calamitoſa, quæ ſecum Animæ ipſius & populi & poſterorum ſervitutem non trahit.

Opto potius pro *ſubditis, quam* cum *illis pati.*

Satius duco unum Regem vel de extremis periclitari, quam multos in populum tyrannos confirmare: quod Deus avertat, quicquid de me facturus eſt.

Improba hominum Politice juſtam vetat reſtitutionem, ne hoc facto faterentur ſe injuſte uſurpaſſe.

Principis conditio peccata reddit graviora, illa Dignitatis Celſitudine pondus omnibus adjiciente.

Subditorum peccata euſque Principi imputanda, quatenus illam quam Deus dedit poteſtatem in ejus Gloriam & Populi utilitatem non exerit.

Modico uſu Artifex evadet, qui Honeſtatis *tantum &* Virtutis *partes ſuſceperit.*

Vix euſque dejici poteſt Princeps, ut non momentum ſit aliquod & pondus, parti in qua conſpicitur, allaturus.

Præſtat torrente rapi, quam fruſtra brachio contra niti.

Omnino aliter fieri non poteſt, quin à centro ſimul ductæ lineæ à ſe invicem ſtatim diducantur, atque eo latriori intervallo quo recedunt longius à puncto Unitatis.

Qui hoc in Regem ſuum audent, ſcilicet eum exercitui cuſtodiendum tradere, ſuo tantum arbitrio, ſine cujuſquam mandato, quidvis facile porre aggredientur quod in animum ſemel induxerint, nullo metu aut verecundia deterriti.

Ultra Leges omnes & Regulas Vis *pollet.*

Multo felicius eſt notis Legibus *parere, quam diverſis hominum* voluntatibus *quantumvis blandæ pollicentium.*

Vulgi ſtudia qui res novas fere & illicitas proſequuntur, velut motus violenti ſtatim languent, & in contumacem fere deſinunt moroſitatem; verſo etiam

nonnun-

nonnunquam in illos impetu, qui in has illos furias pepulerunt.

Pacis ſemita non in diviſis Partium voluntatibus, ſed in debita legum obſervatione conſiſtit.

Peccata Populum Dei juſtitiæ, Divitiæ aliorum injuriis, Numerus Tumultuantibus, Tumultus denique Confuſioni exponunt.

Ab eventu nec Cauſſa æſtimanda; nec ab infelicitate judicium.

Hoc Principi in prudentiam ultra alios accedit, quod annos aliquot ætatis matureſcentis in patientiæ exercitio, & duris temporibus exegit.

Pietas non minus quam cæteræ virtutes Morales & Politicæ, velut ſurculi in hyeme ſati, felicius fere in duris temporibus ſuccreſcunt, quam in calore & ſerenitate meliorum temporum, vel inter illa voluptatum blandimenta, quæ in Pace & rerum affluentia Aulis principum nimis hærent, quæque omnem veræ Virtutis & Honoris herbam vel ſtirpitus evellunt, vel ſat habent frondibus earum & marceſcenti ſpecie ornari, nullo fructu in publicum, in quod utinam ſerio cogitarent Principes ſe & natos maxime & à Deo deſtinatos.

Adulatores, non ſecus ac muſcæ æſtivis fructibus, rebus principum ſecundis *indivulſe hærent, dum* adverſis *tandem ut hyeme abigantur.*

Te magis exopoto Caroli *illi* Bono, *quam* Magno *ſimilem.*

Optimum imperium, ſupremumque quod aſſequi poteſt Princeps Dominium, eſt, Deo ſubjici, ut Verbi ſpiritusque ſceptrum ſummam in Corde obtineat poteſtatem.

Verus Principis honos in promovenda Dei Gloria, in tuenda vera Religione & Eccleſiæ Bono conſiſtit, tum Poteſtatem Civilem ea Iuſtitia & Honore adminiſtrando, qui Bono publico maxime conducat.

Eam rationem inſtituat Princeps, quæ manſuetudine & charitate æquiſſima controverſias removeat;

vel ita firma & valida Poteſtate utatur, ut nulli Parti aſſentari neceſſe habeat, nec ab ulla metuere. Si enim aliqua eum huc impulerit neceſſitas, ut precariam ab illis opem exſpectare oporteat, funditus periit. Devorabit columbam ſerpens, nec minus ab illis juſtitiæ, fidei, humanitatis, ſperare licet, quam quos Pietas ſua fecit proditores. His quicquid in rem ſuam fore putant, Dei cauſſa eſt: ſub vexillis Pietatis prædicuntur omnes vafræ Ambitionis Artes maxima ſecuritate & plauſu populi. Vox Iacobi auditur, ſed Eſavi manus duras ſenties.

Optime adminiſtrandi Regni norma ſunt Leges conſtitutæ.

Libertas ingenua in percipiendis laboris ſui fructibus, Legumque in quas ipſi conſenſere, beneficio conſiſtit.

Optime Prærogativam *ſuam exercebit Princeps & oſtendet, ſi* relaxet *magis quam* intendat *Legum rigorem, cum Tyrannide ex Lege agente nil detertus.*

Illud nondum intelligo, nec Tibi unquam ſpero fore perſuaſum, Tutum eſſe Regi in cujuscunque Factionis gratiam turbare leges, in quibus Res maxime publica & Bonum populi involvitur.

Serio ſecum perpendere oportet Principem ſuperiores illas ſeu veras ſeu imputatas malorum cauſſas, ut eas in poſterum vitare poſſit.

Nunquam ita cujusquam Conſilio, Prudentia, & fide niti oportet Principem in rebus illis primæ Magnitudinis, Pietate ſcilicet & juſtitia, ut judicio ſuo proprio diffidat, vel aliis cauſſam det ſuſpicandi, cum veriſimile ſit multo eum rectius & firmius Coronæ & Regni commodis, quam quenquam alium velle conſulere.

Cavendum eſt Principi, ne ullam Factionem irritet acerbitate quorundam & pervicacia, quos huic curæ præfecerit, qui affectibus ſuis nimium & proprio animi impetu acti, vel nonnulla opinionum diſcrepantia in rebus levioribus, extima tantum ora, & ſuburbiis Religionis, in rigidiora forſan aſperantur.

Præmia

Præmia doctrinæ, induſtriæ & Pietatis integerrimo oculo & manu à Principe diſpertiantur in omnes probitate & ſcientia laudatos.

Quemadmodum non eſt eadem Principi cum aliis neceſſitas ſimulato & vafre agendi; ita vera pietate & virtute & conſtanti in populum Bonitate eos omnes ſuperare contendat qui hæc maxime amant oſtentare: ſic enim nec deprehendi metuet (quæ illos ſemper exercet ſolicitudo qui perſonati vivunt) nec juſtas ſpes populi fruſtraverit, quas majores merito reponent in vera Principis virtute, quam cujuſcunque factioſa Novitate.

Vulgus deluſum tandem intelligit nullos magis fortunis & conſcientiis ſuis inimicos, quam qui ſe vindices præcipuos & patronos jactant eo tantum conſilio ut in utraſque invadant.

Peccatum ſuum & ſtultitia Populum olim ſatis caſtigabit.

Impunitatem & Amneſtiam, quoties vel petunt homines, vel ſint parati accipere, eo modo largiatur Princeps, ut non mera neceſſitate, aut Politicis rationibus expreſſa, ſed à Chriſtiana Charitate voluntario profecta videantur.

A Parlamentis rite conſtitutis, Libertate ſua & Honore incolumi, nulla fit Majeſtatis diminutio, ſed ſubminiſtratur potius occaſio mutuis invicem officiis certandi, amoriſque & obſequii & fiduciæ commercia inter Principem *& populum exercendi.*

Res publica in Principis *ſimul &* Populi *communi Bono verſatur.*

Non ideo nos fame necare oportet, quia ſalubres cibi in nauſeam & morbum vertuntur.

Diadema tanti non eſt, ut inhoneſtis, ſordidis, & impiis conditionibus aut ſervari mereatur, aut ab humo ſuſtolli.

Fucus iſte & Religionis larva (qua ſe hactenus texit Rebellio) nonnullorum turpitudinem & dehoneſtamenta haud diu velabit.

Subditi, calamitate ſua edocti, id tandem verum reperient, Pietatem in Deum & in Regem fidem haud poſſe ſine peccato & miſeria divelli.

Pauci admodum paſſus reſtant inter Carceres *Principum & ſepulcra.*

Livore & odio efferatis etiam vita ſua inſuavis videtur, dum Princeps ſua, ulla ex parte, fruatur.

Regi vita in nulla aque re humana ac in Populi amore & benevolentia ſita eſt.

Nulla Divina *ut* humana *Lex hoc ſubditis concedit, ut* ſine *Principe in quenquam alium, nedum* in *Principem ipſum quicquam ſtatuant.*

Perjurium *ſuum quærunt nonnulli* juſtitiæ *pallio obtegere.*

Non ex ulla fere cauſſa magis viles, & abjecti homines tam ferociter plerumque & timida quadam ſævitia exercent uſurpatam in legitimos Dominos poteſtatem, quam conſcientia injuſte uſurpata.

Homines nonnulli immenſa ambitione & avaritia, nullis à Principe conceſſis vel ſatiari poſſunt unquam vel manſuefieri.

Reges, cum ſint maximi in terris juſtitiæ, Legis, Religionis Vindices, tot periculis jacent obnoxii, quot ſunt Homines vel dæmones, qui hac omnia volunt confundi.

Non ita diu patietur Deus in Babele ſua exaltari, qui hanc Regum oſſibus exſtruunt, & ſanguine cæmentant.

Ultores Mortis Meæ (certum habeo) inter ſeipſos reperient.

Non impune illis permittet Deus, quorum conſœderatio in ſcelere maximum videtur præſidium.

Quod ad Mundi probra, & imputatæ Tyrannidis calumnias, ipſa poſthac Mei Interemptorum neceſſaria & acerba ſævitia ſatis omnes per ſe confutabit.

Excuſabunt boni, ſi qui fuerint lapſus Principis, & nihilo minus officium ſuum ut Regi præſtabunt, cum ſit nulla tanta à Religione neceſſitas, quæ ſub obtentu

punien-

puniendi cogat ſubditos omnia Principum crimina ſuperare.

Vix ſperare poſſunt pollices manuum & pedum integros ſibi diu manſuros, qui quaſi ungues tantum præfecturi robur Principi maximum amputarunt.

Plurima ſæpe hominum facinora ad cœlos uſque attolluntur plauſu Mundi, qui, ex injuſtitia & ſcelerato fine cenſeantur, ex inferno aſſcendunt: quin nec aura illa ſecunda, qua Piratæ velum implet, ſtatim ipſius latrocinia & rapinas excuſat.

Multo libentius & alacrius fero perdidiſſe hanc litem, (quam coactus admodum ſuſcepi, ad aſſerendas Leges Regni, Libertatem & Honorem Parlamentarium, jura Coronæ, juſtas ſubditorum immunitates & veram Religionem Chriſtianam in Doctrina, Diſciplina, cæteriſque incitamentis & præmiis debitis) quam ſi multo Bello potior ad hæc omnia opprimenda valuiſſem.

Mirum ſane eſt, Nautas nullam aliam procellæ,
quam ipſi excitarunt, ſedandæ rationem
invenire poſſe, quam Nauclerum
ſuum in mare deji-
ciendo.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

DAVIDIS JENKINS JVDICIS IN VVALLIÆ PRINCIPATV

LEX TERRÆ.

In qua ex intimis penetralibus Iuris Anglicani doctiſsimè explicat Regimen ab omnibus ſeculis in Anglia uſitatum:

SIMVLQVE

Demonſtrat quam iniquè poſterius hoc Parlamentum egerit cum Rege, unde & jure illud deſerere fuerit coactus.

LEX

LEX TERRÆ.

LEX hujus Terræ habet tria fundamenta. Primo *Conſuetudinem*. Secundo, *Iudicialia Recorda*. Tertio, *Acta Parlamenti* Duo poſteriora ſunt tantum declarationes *Communis Legis* & *Conſuetudinis* Regni, quoad regium Regimen. Et hæc Lex de *Regio Regimine* eſt Lex fundamentalis.

Regimen hujus Regni per Regium Monarcham, tam antiquum eſt quam Hiſtoria, aut memoria temporum: quam poteſtatem habuerit ſemper hic Monarcha, & qua uſus ſit in bello pace in hac terra, eſt ſcopus hujus diſcurſus: uſus ille & praxis facit *fundamentalem Legem* & *Communis Lex* Terræ & communis *uſus* Plowd. Com. 195. Nam ſub primis Regum noſtrorum poſt conqueſtum Normaniorum, *VVilhelmo, VVilhelmo* II. *Henrico* I. *Stephano, Henrico* II. & *Richardo* I. conſuetudines Regni quoad Regium Regimen numquam controverſa fuerunt: Dicti Reges illis gaviſi ſunt in plena menſura. Regis *Ioannis* tempore Nobiles & Communes Regni credentes antiquas conſuetudines & jura eſſe violata, & ea propter urgentes dictum Regem ipſis concedere XVII anno regni ſui, Libertates eæ à R. Joanne fuere conceſſæ, & à filio ejus Henr. III. IX anno regni ejus confirmatæ & vocantur *Magna Charta* & *Charta de foreſta* declaratæ jam CCCCXXII annis per dicta Archiva.

Reſtat nunc conſiderandum, poſtquam ſubditi obtinuerant jura ſua & Libertates, quæ non erant aliæ quam veteres ipſorum conſuetudines (& fundamentalia jura Regis ut Monarchæ non ſunt alia:) quomodo jura Monarchiæ continuarint in praxi ab Henr. III. tempore, uſque ad præſens Parlamentum III. Nov. 1640. Nam, ante Henr. III.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

tempus, Monarchia habent pleniſſimam poteſtatem.

Rex habet Poteſtatem & Iuriſdictionem ſuper omnes qui in Regno ſuo ſunt; ea quæ ſunt Iuriſdictionis & Pacis ad nullum pertinent niſi ad Regiam dignitatem, habet etiam coërcitionem ut delinquentes puniat & coërceat: Hoc probat ubi Suprema Poteſtas ſit.

Delinquens eſt qui adhæret Regis inimicis *Com. Sur.* Littl. 261. hoc oſtendit qui ſint Delinquentes.

Omnis ſub Rege, & Ipſe ſub nullo niſi tantum Deo, *non eſt inferior ſibi ſubjectis, non parem habet in Regno ſuo.*

Rex non habet ſuperiorem niſi Deum, ſatis habet ad pœnam quod Deum exſpectat ultorem. Et hoc oſtendit penes quem ſit Suprema poteſtas.

Proditiones, Feloniæ & alia placita Coronæ ſunt *propria cauſa Regis*: id oſtendit eandem poteſtatem.

Ex his locis apparet quæ fuerit Conſuetudo quoad poteſtatem Monarchiæ ante illud tempus, poteſtas militiæ, cudere numiſmata, fœdera icere cum exteris Principibus, condonare delicta, creare officiaros &c. Omnes Reges habuere, eæ poteſtates non habent initium.

Sexto Edvv. I *Com. Littl.* 85. Lege Homagii, unuſquiſque ſubitus debet Regi (viz) Faiti *de Membro, de vita; de terreno honore*; Forma jutamenti extat *inter Vetera Statuta*; non legimus de tali Homagio facto ambabus Dominibus Parlamenti; ſed ſæpe de facto ab ipſis. Declaratum fuit à Prælatis, Comitibus, Baronibus, communitate Regni, quod pertineat ad Regem, & ejus regalem poteſtatem, ſtricte prohibere *Potentiam armorum*, & omnem aliam potentiam contra Regis pacem, omni tempore cum placebit ei, & punire eos qui contra faciunt. ſecundum Legem & uſum hujus Regni, & ad hæc obligati ſunt adjurare ſupremum

ſuum

ſuum Dominum, quovis tempore cum opus erit Hic Suprema Poteſtas tempore Parlamenti ab utraque Domo declaratur pertinere ad Regem.

In exordio cujuſque Parlamenti, omnia arma ſunt, aut deberent eſſe, prohibita in London, VVeſtmonaſterio & ſuburbiis. Hæc condemnat multitudinis acceſſum ad VVeſtmonaſter. & cuſtodias armatorum.

Omnes qui tenebant per Equitis ſervitium, & poſſidebant. x x. L. *per annum*, cogi poterant *ad Arma militaria ſuſcipienda*: hoc congruit cum Record. veter temporis, conſtanter continuatum omnium *R*egum temporibus, verum hoc Parlament. 3. Novemb. 1640 Rex ex gratia remiſit hoc obſequium; quod probat poteſtatem Belli & præparationem ad illud, non pertinere ad utramque Domum, ſed tantummodo ad Regem.

Ambo *Spenceri* tempore Edw. I I (ut tegerent ſuam proditionem) excluſerunt hanc damnabilem & damnatam opinionem vid. Quod Ligeantia ſit magis propter Regis politicam capacitatem, quam ipſius perſonam; è quo deducebant has exſecrabiles & deteſtabiles conſequentias. Primo, ſi Rex ſe non gereret ſecundum rationem in jure ipſius Coronæ, Ligeos ejus obligatos eſſe per juramentum Illum removere. Secundo, quandoquidem Rex non poterat amoveri per proſecutionem Legis, per vim faciendum eſſe. Tertio, Ligeos ejus teneri gubernare ob defectum illius.

Omnes quæ ſententiæ condemnatæ à duobus Parlamentis, uno vocato *exilium Hugonis* in Edw. I I tempore, altero 1 Edw. I I I cap. 2. Qui omnes Articuli contra *Spenceros* ſunt confirmati per poſterius illud Statutum, & extant in lib. qui vocatur *Vetera Statuta*. Separatio Regis perſonæ à ſua poteſtate, eſt principalis articulus damnatus; & tamen omnes hæ tres damnabiles, deteſtabiles & exſecrabiles conſequentiæ, ſunt fundamenta ſu-

per quæ præſens tempus inſiſtit, & principia ſuper quæ utraque Domus fundat ſuam cauſam.

Villicus Domini, in præſentia Regis non poteſt apprehendi; nam præſentia Regis eſt protectio ejus illo tempore: quod oſtendit quantam reverentiam Leges attribuant perſonæ Regis.

Reges ſacro oleo uncti ſunt capaces ſpiritualis jurisdictionis. Verum ambæ Domus numquam capaces fuere habitæ iſtius poteſtatis.

Rex eſt perſona mixta cum ſacerdote, habet Eccleſiaſticam & ſpiritualem jurisdictionem: hoc oſtendit Regis poteſtatem in Eccleſiaſticis cauſis.

Terræ Regis vocantur in Lege *Patrimonium Sacrum:* Ergo Domus non admovere debuiſſent manum ad hoc Sacrum Patrimonium.

Rex non habet parem in ſua terra, & non poteſt judicari. Ergo ambæ Domus non ſupra illum.

Parlamentum XV Edw. III fuit abrogatum, quia erat contra Leges Regis & prærogativam 4 Part. Inſtit. fol. 52. Hoc oſtendit evidenter, propoſitiones miſſas Novum Caſtrum non debuiſſe præſentari ejus Majeſtati, quia ſunt contra Leges & ejus prærogativam.

Domini & Communes non poſſunt aſſentiri in Parlamento ulli rei quæ tendit ad diminutionem Regis & Coronæ ejus, ad quæ jurati ſunt. Hoc itidem condemnat illas propoſitiones.

Deponere Regem, incarcerare illum donec aſſentiatur certis poſtulatis; bellum ad mutandum Religionem Lege ſtabilitam aut ullam aliam Legem, aut ad removendum Conſiliarios, tenere Caſtellum aut arcem contra Regem; ſunt, offenſæ contra legem quæ declarat Proditionem eſſe per reſolutiones quarum poſtea mentio fiet: per illam Legem homines obligati ſunt juvare Regem quando bellum ei infertur in ſuo Regno.

Rex debet in hoc Statuto intelligi in naturali ſuo corpore & perſona, quod ſolum poteſt mori; nam

nam machinari ejus mortem & declarare aperto actu, declaratur Proditio: pugnare cum iis qui veniunt ad auxiliandum Regi in ſuis bellis, eſt Proditio.

Machinari Reginæ mortem, majoris natu filii Regis, cudere ejus monetam, mentiri magnum illius Sigillum, bellum ipſi movere, aut moventibus adhærere, declarantur illo Acto crimina læſæ Majeſtatis. Hoc Statatum non poteſt referri ad Regis politicam capacitatem, ſed ad naturalem, quæ eſt inſeparabilis à politica: nam Corpus politicum non poteſt habere aut uxorem aut filium, aut movere bellum, aut aliquid agere, quam per operationem corporis naturalis: Societas aut corpus politicum non habet animam aut vitam, ſed eſt, figmentum Legis, & Statutum intelligit non fictas perſonas, ſed corpus naturale, conjunctum cum politico, quæ ſunt inſeparabilia.

Clauſula illius Acti, quod nemo peteret gratiam aut remiſſionem ob alquam offenſam damnatam per illud Actum, abrogatum fuit à ſubſequenti Acto XXI. Rich. II. judicatum irrationale & ſine exemplo; & contra Legem & conſuetudinem Parlamenti. Hoc comdemnat propoſitionem quæ Regem inidoneum facit ad condonandum. 4 pars Inſtit. fol. 42. Actum. XI. Rich II quod tantopere urgetur ab altera parte, erat actum cui Rex aſſentiebatur, atque ita perfectum, ſed nota Exercitum tunc circa urbem; & obſerva quod illa lex eſt contra privatas perſonas, & per cap. 3. ejuſdem Proditiones factæ per illud Actum, & non trahendæ in exemplum. Abrogatum fuit XXI. Rich II. & revivificatum per uſurpatorum I. Hen. IV. ut populo placeret, & per cap. X. inactum fuit, quod nihil erit proditio quod declaratum erat XXV. Edw. III. Regalitas Coronæ Angliæ, eſt immeditate ſubjecta Deo & nulli alteri. Plana verba, oſtendentia ubi ſit Suprema Poteſtas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Commiſſio Arrayæ eſt in vigore, & non alia commiſſio; Rot. Parlam. 5. Henr. IV. num. 24. Actum non excuſum, hoc actum fuit abrogatum per 4. & 5. P. & M. cap. 2. abrogatum eſt per actum 1. Iacobi, & ita eſt in vigore hodie, nam abrogans Statutum eſt abrogatum 4. part. Inſtitut. fol. 51. & 125 publicata poſt hoc Parlamentum. juſſu Domus Communium, eorum ordinantia excuſa eſt ad ult. fol. Commentariorum ad *Magnam Chartam.*

D. Eduardus Cooke, ab illorum parte tenetur pro Oraculo Legis, qui ſcripſit dictam quartam partem, quieto tempore, & poſſum dicere, cum non eſſet opus defendere authoritatem commiſſionis Arrayæ.

Quoad objectionem, quod illa commiſſio relinquit poteſtatem Commiſſariis taxandi homines *ſecundum facultates* & ita effici omnibus ſtatus arbitrarios: reſpondeo, quod in levandis publicis auxiliis ſuper hominum bona & ſtatus, qui mutabiles ſunt, & veriſimiliter non poſſunt cognoſci ab ullis quam à proprietariis, impoſſibile eſt vitare diſcretionem in taxationibus, nam ita ſemper fuit & perpetuo erit. Ex his liquet, Vota utriuſque Domus contra Commiſſionem Arrayæ, fuiſſe contra Legem.

Mors Regis diſſolvit Parlamentum, ſi Regis referrentur ad politicam capacitatem continuarent poſt ejus mortem. 4 Part Inſtitut. 46. quod probat Regem non poſſe dici ibi eſſe, ut nunc eſt: non eſt *interregnum* in Regno, diſſolutio Parlamenti per illius obitum oſtendit, quod initium & finis illius refertur ad naturalem perſonam Regis, & propterea poteſt legaliter refutare Propoſitiones.

2 Hen. V. cap. 6. ad ſolum Regem pertinet icere fœdera cum exteris Principibus: hoc oſtendit ubi Suprema Poteſtas ſit, & ad quem Militia pertineat.

8. Hen.

8. Hen. VI. num. 57. Rotul. Parlam. Cookes 4. part. Inſtitut. 25. Nullum Privilegium Parlam. admittitur ob proditionem, feloniam & rupturam Pacis; ſi non in uno aliquo membro, neque in duobus, neu in decem, neu in majore parte XIX Hen. VI 62. Lex eſt hæreditas Regis & populi ejus, à qua reguntur Rex & ejus populus & populus obligatus eſt per Legem adjuvare Regem, & Regis hæreditas eſt tenere Parlamentum, & ſubſidia indulta per Communitatem. Si major pars Parlamenti committat proditionem, non debent eſſe judices ejus; nam nullus homo aut corpus poteſt eſſe Iudex in propria cauſa, & ſicuti decem aut quivis numerus poteſt commitere proditionem, ita & major numerus.

Rex poteſt per literas ſuas patentes conſtituere Comitatum Palatinum & concedere Iura regalia; hoc oſtendit ubi ſit Suprema Poteſtas.

XVII Edw. IV Rot. Parl. num. 39. nullum privilegium Parlamenti concedi poteſt pro proditione, felonia aut ruptura pacis; ſi non uni neque duobus aut pluribus aut majori parti.

Eædem perſonæ non poſſunt eſſe judices & partes. Aſſociatum corpus non poteſt committere proditionem, neque proditio poteſt committi contra ejuſmodi corpus. XXI Edw. 13 & 14. Sed perſonæ hominum quæ faciunt illud corpus poſſunt committere proditionem, & committere eam contra naturalem perſonam ejus qui quadantenus eſt aſſociatum corpus, ſed quatenus *corporatum* nulla Proditio poteſt committi ab aut contra tale corpus; hoc corpus non habet animam, non vitam, & conſiſtit tantummodo per fictionem Legis; & propter illam rationem Lex concludit ut ante dictum: ea propter Statutum XXV Edw. III. debet intelligi de naturali perſona Regis, conjuncta cum politica, quæ ſunt inſeparabiles, & Regis naturalis perſona exiſtens *Holmby*, politica eſt ibi-

ibidem, & non VVeſtmonaſterii: nam politicum & naturale faciunt unum corpus indiviſibile.

Si omnis populus Angliæ rumperet fœdus factum cum externo Principe, ſine Regis conſenſu, fœdus tenet & non eſt ruptum, & propterea repræſentativum corpus eſt inferius ſua Majeſtate.

Rex poteſt erigere Tribunal communium placitorum, in quacunque parte Regni ipſi placuerit per literas ſuas patentes: an ambæ Domus poſſunt idem facere? 1 Edw. V. fol. 2. non poteſt dici Regem injuriam facere, declaratum ab omnibus Iudicibus & Sergeantis ad Legem ibidem præſentibus.

Ratio eſt, nihil fieri poteſt in hac Repub. conceſſione Regis aut aliquo alio ipſius acto, contra ſubditorum perſonas; bona, terras & libertates, quam ſecundum Leges ſtabilitas, quas Iudices jurarunt obſervare & ferre inter Regem & populum ſuum, æqualiter inter dites & inopes, Grandes & humiles: & propterea Iudices & miniſtri Iuſtitiæ, accuſandi ſunt & puniendi, ſi Leges ſint violatæ; Et nulla reflexio facienda eſt in Regem. Omnes Conſiliarii & Iudices ante annum & tres menſes donec tumultus inciperent in hoc Parlamento, relicti erant ordinario curſui Iuſtitiæ, quid poſt illa factum ſit, notiſſimum eſt.

Ob graves cauſas & conſiderationes Actum Parlamenti factum fuerat, ad ſecuritatem dicti Regis perſonæ: ſi Parlamentum tam amans fuit Regis Richardi III Domus majores cauſas habent ſollicitudinis de conſervanda Regia Majeſtate.

Subditi obligati ſunt per fidelitatem ſuam, ſervire Regi, pro tempore præſenti, contra quamvis rebellionem, potentiam & vires, motas contra illum in his Terris; quod ſi contra omnes Leges, rationem & bonam conſcienciam, ſi Regem vinci contigerit, quod ob dictum factum & verum obſequium & fidelitatem, quicquam paterentur, &

ordi-

ordinatum fuit quod non, & omnia Acta proceſſuum Legis poſt illa facienda in contrarium fore nulla: Hæc Lex intelligenda eſt de naturali Perſona Regis. Nam politica ejus capacitas non poteſt vinci, aut bellum moveri contra hanc. Relapſi non poſſunt hoc beneficio frui.

Non eſt ſtatutum, niſi Rex aſſentiatur, & poteſt diſſentire; hoc probat vocem negativam.

Rex habet plenam poteſtatem in omnibus cauſis juſtitiam adminiſtrandi quibuſvis, hoc affirmatur de Rege non de utraque Domo.

Communes in Parlamento non agnoſcunt ſuperiorem Rege præter Deum: Domus Communium fatentur Regem eſſe ſupra repræſentativum corpus Regni.

Optimo jure & æquitate ad Regem ſolum pertinet tota poteſtas condonandi crimen læſæ Majeſtatis & alia; quemadmodum & omnis generis Iudices conſtituendi: hæc Lex condemnat praxim utriuſque Domus hoc tempore.

Regis regalis aſſenſus ad qnovis Actum Parlamenti, ſignatus ipſius manu, expreſſus in literis patentibus ſub magno ſigillo, & declaratus Dominis & Communibus tam efficax eſt, quam ſi aſſenſus fuiſſet in propria perſona; vanum actum, ſi Rex virtualiter ſit in Domibus.

Rex eſt caput Parlamenti, Domini principalia membra corporis, Communes inferiora membra, & ita corpus eſt compoſitum, quapropter non magis eſt Parlamentum ſine Rege quam corpus ſine capite.

Corporatio eſt ſecundum legem communem, ut Rex, Domini, & Communes, ſunt corporatio in Parlamento, & propterea non ſunt corpus ſine Rege.

Obitus Regis diſſolvit omnem manucaptionem comparendi in ulla curia, aut cuſtodiendi pacem.

Obi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Obitus Regis diſcontinuat omnia placita ſecundum legem communem, quod non convenit cum *Virtuali Poteſtate*, quæ nunc urgetur.

Brevia diſcontinuantur per obitum Regis; patentes Iudicum, Commiſſiones Iuſticiariorum Pacis, vicecomitum &c. finiuntur illius Obitu: ubi ergo *Virtualis Poteſtas?*

Omnis authoritas & juriſdictio ſpiritualis & temporalis derivatur à Rege, propterea nulla à Domibus.

Majeſtatis ſuæ ſubditi, ſecundum obſequium ſuum tenentur ſervire Regi in bellis ſuis, ab hac parte aut citra mare; citra mare intelligendum ſtipendio: hoc probat Poteſtatem bellorum, & præparationes ad bellum eſſe in Rege.

Maxime neceſſarium eſt tam ad politiam quam officium ſubditi, reprimere omne genus ignominioſarum calumniarum contra Regem, quæ cum audiuntur, non poſſunt non eſſe odibiles fidelibus & dilectis ſubditis ejus, à quibus dependet omnis unitas & univerſalis ſalus Reipub. Hoc condemnat continuos & hebdomadarios libellos tam ſpurcos contra illius Majeſtatem.

Punitio omnium offendentium contra Leges, pertinet ad Regem ut omnes juriſdictiones jure ad Regem jure pertinent. Hoc omnia relinquit ſuæ Majeſtati.

Omnes commiſſiones delectus habendi ad bellum, conceduntur à Rege: Ad Regem ſolum pertinet Poteſtas belli.

Regis eſt defendere populum ſuum, & providere arma & copias: nulla mentio de utraque Domo.

Le Roy à ſeul le gouvernement de ſes ſubjects, le corps politique du Roy & naturel ſont un corps. Id eſt, Rex habet ſolum regimen ſuorum ſubditorum, politicum corpus Regis & naturale faciunt unum corpus, & non diverſa, & ſunt inſeparabilia & indiviſi-

viſibilia. Corpus naturale & politicū faciunt unum corpus & non poſſunt ſeparari. Ligeantia debetur naturali corpori & debetur per naturam, Dei Legem & hominum Legem; neque poteſt amitti aut negari ullo modo, inſeparabilis eſt à perſona.

Unumquodque Membrum Domus Communium, ſingulis Parlamentis ſumit Iuramentum corporale, quod Rex ſit ſupremus & unicus Rector in omnibus cauſis, in omnibus ſuis Dominiis; aliter non eſt membrum illius domus: verba Legis ſunt, in omnibus cauſis, ſuper omnes perſonas.

Dictum Actum 1 Eliz. eſt tantum declarativum veteris Legis, *Cavvdries Caſe* ibidem.

Comez Eſſexiæ & alii, coadunabant copias ad removendos Conſiliarios, quod crimen læſæ Majeſtatis judicatum eſt ab omnibus Iudicibus Angliæ.

Deponere Regem aut cupere illum per vim, incarcerare Illum donec conſentiat quibuſdam petitionibus, crimen læſæ Majeſtatis, atque ita damnatum in *Cobhami* caſu.

Inſurgere ad alterandum Religionem ſtabilitam, aut aliquam Legem, eſt crimen læſæ Majeſtatis: item, intercipere Regis caſtella, munimenta, portus, claſſes; crimen læſæ Majeſtatis 3. & 4. Ph. & Mar. Dier, Stafford. Cas quoad Scarboroug.

Lex non facit famulum majorem Magiſtro, neque ſubditum Rege, nam hoc eſſet ordinem & menſuram pervertere.

Lex non cognoſcitur niſi per uſum, & uſus probat Legem, & qualis fuerit uſus notiſſimum eſt.

Rex eſt noſter unicus, juſtus & legalis ligius Dominus & Princeps, genibus cordis noſtri vovemus conſtantem fidem, fidelitatem & obedientiam Regi & regali ejus Proſapiæ, in hac curia Parlamenti, ubi totum corpus Regni eſt aut in perſona, aut per ræpræſentationem.

Ag-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Agnoſcimus, quod vera & ſincera Religio Eccleſiæ ſit continuata & ſtabilita per Regem, recognoſcimus, quemadmodum tenemur per legem Dei & humanam, quod regnum Angliæ & ejus Imperialis Coronæ ad Ipſum pertinet per inhærens Ius genituræ, & Legalem & indubiam ſucceſſionem: & ſubmittimus nos ipſos & poſteros in perpetuum, quandiu gutta ſanguinis ſupererit, ejus regimini; & oramus Regem ut acceptet hæc ut primos fructus noſtræ fidelitatis & fidei erga Majeſtatem ſuam & Poſteritatem ejus in perpetuum; & quia hoc actum non eſt perfectum ſine Majeſtatis ſuæ aſſenſu, eundem humiliter requirimus. Hæc probant *Domos non eſſe ſupra Regem*; *Reges non habere titulos ſuos ad Coronam* ab utraque Domo, ſed *ab inhærenti Iure genituræ*, & quod nullum poſſit eſſe Statutum *ſine expreſſo Illius aſſenſu*, & deſtruit *Chimæram virtualis Regis præſentiæ* in Domibus.

Promittere obedientiam Papæ aut alteri cuivis Statui, Principi aut poteſtati, quam Regi, ejus hæredibus & ſucceſſoribus, eſt crimen læſæ Majeſtatis; & propterea qui Domus appellant *Status* offendunt in hanc Legem.

Billæ quibus ſua Majeſtatis tenetur in conſcientia & juſticia perferre, non ſunt Leges ſine Illius aſſenſu.

Deſignare ruinam perſonæ Regis aut Monarchiæ eſt monſtroſum & injurioſum crimen.

Ubi Lex non diſtinguit; non eſt diſtinguendum, omnia ante dicta Acta & Leges evidenter probant Militiam pertinere ad Regem; Regem non eſſe *virtualiter* in utraque Domo; Regem non poſſe conſiderari ſeparatim in relatione ad politicam ejus capacitatem: Regis fidei non eſſe commiſſam Poteſtatem, ſed eam eſſe inhærens ipſi Jus genituræ à Deo, Natura, & Lege, & quod non habeat poteſtatem à Populo: hæ Leges non habent has diſtin-

diſtinctiones naturalis & politici, *abſtracti & concreti*, poteſtatis & perſonæ. *Cæſaris* tempore hæc inſula habuit Reges, & ſemper poſt, qui ſunt pene 1700. anni.

Nullus Rex poteſt nominari, quovis tempore, factus in hoc Regno à Populo; Parlamentum numquam fecit Regem. Erant enim ante Reges. Parlamenta vocantur per Regis brevia, quæ ad Equites, cives & Burgenſes ita incipiunt.

Rex Vic. VVilth. Salutem. Quia Nos de aviſamento & aſſenſu Conſilii noſtri pro quibus arduis & urgentib. negotiis Nos, ſtatum & defenſionem Regni noſtri Angl. & Eccleſ. Anglic. concernentibus quoddam Parliamentum noſtrum, apud B. teneri ordinavimus & ibid. cum Prælatis, Magnatib. & Proceribus dicti Regni noſtri Colloquium habere & tractatum; tibi præcipimus firmiter injungendo, quod facta Proclamatio in prox. Comitatu tuo poſt receptionem ejuſd. Brevis, duos Milites gladiis cinctos &c. eligi facias ad faciendum & conſentiendum his quæ tunc ibidem de Communi Concilio noſtro. Angl. favente Deo, contigent ordinari ſuper negotiis antedictis, ita quod pro defectu poteſtatis hujuſmodi ſeu propter improvidam electionem Militum, Civium, & Burgenſium, prædicta negotia noſtra, infecta non remanerent.

Rex eſt *Principium, caput & finis Parlamenti*, corpus non facit caput, neque quod eſt poſterius hoc quod eſt prius: *Conſilium non eſt Præceptum, Conſiliarii non ſunt Præceptores*. Nam Conſilium cogere aſſenſum, nulla ætate auditum fuit ante hoc tempus: & Domus Communium, per Breve non vocatur *ad conſilium*: Brevia duodecim Iudicum, Regii Conſilii, duodecim Magiſtrorum Cancellariæ; *ſunt conſilium impenſuri*; & ita de Paribus. Brevia ad Communitatem, *ad faciendum & conſentiendum*; quod oſtendit quam poteſtatem repræſentativum corpus habeat: non habent poteſtatem juramentum miniſtrandi, neque illud prætendunt.

Rex

Rex omni tempore, cum non eſt Parlamentum, & in Parlamento aſſiſtitur adviſamento Iudicum Regis, XII numero. Nam Anglia habet ad minimum duos Sergeantos, cum pauciſſimos; unum Procuratorem & fiſcalem Advocatum, X I I Magiſtros Cancellariæ, ſuum concilium Status conſiſtens é quibuſdam magnis Prælatis, & aiiis magnis perſonis, verſatis in negotiis Status, cum pauciſſimi ſunt numero duodecim. Et in omnes ſemper ſunt magnæ opulentiæ, quæ non conſervatur, niſi cuſtodia Legum: Prælati verſati in Divina Lege, alii Primates in negotiis Status, & Regimine; Iudices, Regis Sergeanti, Procurator, advocatus Fiſcalis, & Magiſtri cancellariæ verſati in Lege conſuetudinibus Regni: omnes jurati ſervire Regi & populo ejus juſte & fideliter: Rex quoque juratus eſt ad obſervandum Leges, & judices habent in juramento ſuo clauſulam quod facturi ſint commune Jus Regis populo, ſecundum ſtabilitas Leges, nullo mandato Regis in contrarium non obſtante, ſub magno ſigillo aut aliter: populus eſt ſecurus per leges, in vigore, ſine ullis novis: lex reperiens Regem munitum à tot Magnis viris, conſcientiæ; Honoris & experientiæ in regimine Reipub Scientia Legum, & obligatos per grave & ſacrum vinculum Juramenti ſuper Evangeliſtas conſtituit in Rege inter alias poteſtates, poteſtatem rejiciendi quamvis Billam de qua utraque Domus conſenſerit, & poteſtatem condonandi omnia delicta, conferendi beneficia in minoritate ſua (ſunt multæ magnæ Perſonæ viventes, quæ tenent multa 1000 librarum annuatium per patentes Eduardi V I indulta cum tantum eſſet decem annorum) non eſſe obligatum ulli Legi in ſuum præjudicium, ad quod ſe non obligat: arbitrium pacis & belli; cuſionem pecuniæ, creationem officiariorum &c. Lex, ob rationis prædictas. approbavit has poteſtates ſine controverſia

eſſe

eſſe in Rege, & omnes Reges illis gaviſi ſunt uſque ad 3. Nov. 1640,

Objicietur, non obſtante omni hac ſententia Legum, leges fuiſſe violatas, & propterea poteſtates illas non poſſe ſubſiſtere, utraque Domus remedium afferet.

Reſponſum ad hoc eſt evidens: non eſt tempus præteritum, neque præſens, neque futurum, quandiu homines miniſtrabunt Legem: quin Leges infringantur magis aut minus, ut liquet ex Hiſtoria cujuſque ætatis. Omnes prætenſæ violationes hujus temporis fuerunt reſtitutæ per Acta quibus Rex conſenſit ante abitum ſuum x Ian. 1641. cum abactus fuit per tumultus; & Domus tempore anni & pene trium menſium, à 3 Nov. 1640. ad 10 Ian. 1641. ut ante dictum, habuere tempus & libertatem accuſandi omnes eos qui erant aut cauſæ aut inſtrumenta violationis alicujus Legis.

Examina quo modo utraque Domos remedium attulerit ſuperioribus temporibus. Primo quoad Religionem, quid factum? utraque Domus tempore Henr. VIII obtulerunt illi Billam ſex Articulorum, quæ ipſis videbatur juſta & neceſſaria Billa: annon Henricus VIII bene feciſſet, ſi negaſſet illam perferre? Ambæ Domus obtulerunt eidem Billam, ut auferret lectionem Scripturarum maximæ Parti laicorum: An non Henricus VIII magnam laudem meruiſſet, ſi rejeciſſet? Reginæ Mariæ tempore, ambæ Domus exhibuerunt Billam illi, ut introduceret Papæ poteſtatem & Roman. religionem: An non bene feciſſet R. Maria ſi refutaſſet hanc Billam? multæ tales inſtantiæ dari poſſunt. Ambæ Domus jam VVeſtmonaſterii, certus ſum, non negabunt quod rejectio ejusmodi Billarum futura fuiſſet juſta, & quare non hoc tempore?

Quoad civile regimen, qualem Billam præſentarunt

runt ambæ Ambæ Domus Richardo III, ut titulum ſuum ad coronam confirmaret; an non honorificum fuiſſet Illi eam refutare? Quales Billæ exhibitæ fuerint Henr. VIII ab utraque Domo ad *notham* declarandam filiam ſuam Eliſabetham, Reginam glorioſæ memoriæ, ad ſtabiliendam coronam Regni ſui, deficiente progenie ex ipſius corpore, ſuper ejuſmodi perſonas, quales declararet per litteras patentes, aut ultimam voluntatem, & plures ſimiles? an non rejectio talium Billarum magnificaſſet ejus virtutes, & exhibuiſſet illum poſteritati longe alio Charactere quam nunc?

Ab experientia omnium ſeculorum & conſideratione humanæ fragilitatis, hæc concluſio maniſeſte deducitur, *quod non ſit poßibile conſervare hominem omni tempore* (ſint Domus, aut Rex & ejus Concilium) *quin aliquando exiſtat quadam deviatio à Legibus*, & propterea conſtantes & certæ poteſtates fixæ per antiquam Legem non ſunt abrogendæ & Regis miniſtri; Leges puninnt ubi eſt tranſgreſſio Legis & illo ſolos oportet pati ob iſtam.

In hoc Parlamento Domus exhibuere Billam, de auferendis ſuffragiis Epiſcoporum in Domo ſuperiore Parlamenti, & poſt illa convenere ne ulli eſſent poſthac Epiſcopi; an non potuiſſet Rex reſpondere ad hanc Billam: *Le Roy s'aviſera* aut *ne veult.* erat contra *Magnam Chartam*, *Articulos Cleri*, & plura Acta Parlamenti. Et dare porro has rationes, ſi ipſi ita placuiſſet; Primo, quod hæc Billa deſtruat Breve per quod factæ ſunt duæ Domus Parlamenti 14. Hen. VII. fol. 22. *Eveſque eſt Signeur de Grand honneur*, Rex cum debeat ſecundum Breve, *cum Prælatis colloquium habere:* Secundo, fuerunt in omnibus Parlamentis, poſtquam ea habuimus & votarunt, exceptis iis quæ ipſos cencernebant: & fuere hic Epiſcopi poſtquam fuimus

mus

mus Chriſtiani, & fundamentalis Lex Regni abprobat illos: ſi aliqui ipſorum crediti offendere, relicti erant Iuſtitiæ, & Rex ſubſtitueret inoffenſibiles in eorum locum; ſed poſtquam Rex conſenſit auferri vota eorum in Parlamenta, eſt lex quæ nos obligat eo uſque.

Ad integrum ſubjectum, Lex notorie determinavit, quod Billæ quibus utraque Domus aſſenſit, prætendens eſſe ad Publicum bonum, judicandæ ſint à Rege. Nam in omnium Regum regnis Billæ exhibitæ fuere ab utraque Domo, quæ omnes prætexunt publicum bonum, & ſæpe non ſunt, & fuere rejectæ cum *le Roy s' aviſera* aut *le Roy ne veult*. Hoc Parlamentum incepit. 3. Nov. 1640. Ante hoc tempus in omni Regum regno, nulla armata potentia cogebat populum quicquam facere contra Legem; quod factum fuerat, per ejus Judices officiarios, Referendarios & Miniſtros, ab illo tempore ad x. Ian. 1641. cum Rex diſceſſit Londino ut vitaret pericula frequentium tumultuum, anno uno & tribus menſibus, privati Conſiliarii & Iudices ejus & Miniſtri relicti fuere juſtitiæ Legum, non defuit tempus puniendi qui pœnis obnoxii erant.

Sphæra Domus Comunium debet repræſentare gravamina Regionis, concedere ſubſidia Regi ad omnes occaſiones extra ordinem conſentire lationi aut abrogationi Legum: orbis domus Dominorum reformare erronea judicia lata per Regis Bancum, corrigere dilationes Curiarum Iuſtitiæ, recipere omnes petitiones, inſtruere Regem ſuis conſiliis, habere vota ſua in ferendis aut abrogandis Legibus, & proponere ad ſalutem publicam, quod opportunum ipſis videtur.

Lex non cogit ad impoſſibilia; Subditi non poſſunt expectare à Regibus impoſſibilia, tot Iudices, conſiliarios, Vicecomites, Iuſticiarios pacis, commiſſarios, Miniſtros Status, impoſſibile eſt Regem omnes circumſpicere, Rex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Rex eſt ordinarie *virtualiter* in Curiis ſuis Iuſtitiæ; quandiu manent ejus Curiæ: Earum officium eſt adminiſtrare Leges exiſtentes, & non differre aut vendere Iuſtitiam ob quodvis mandatum Regis.

Satis habemus Legum; *Inſtrumenta boni ſeculi ſunt boni viri*; boni Miniſtri, ut Iudices & officiarii ſæpe deſiderantur; Domus proponunt novas Leges aut abrogationem veterum; utrumque introducit novitatem Lex ob cauſas jam dictas, Regem ſolum facit judicem, cui in eo aſſiſtunt plurimi graves docti & prudentes viri. Ob conſiderationes jam dictas, Regis pars adhæſit ipſi. Lex terræ eſt ipſorum peculium, ductrix, non offenditur cum illa non violatur, inveniebant Commiſſionem *Arrayæ* ſtabilitam per Legem; videbant Regem in hoc Parlamento remiſiſſe. *Ship-money*, *Knicht hood money*, V I I. Tribunalia Iuſtitiæ, conſenſiſſe in triennale Parlamentum, conſtituiſſe limites *Foreſtæ*, removiſſe Clericum rerum venalium quoad familiam ſuam Claſſem Domui credidiſſe, pertulerat Actum, quod Parlamentum hoc non eſſet diſſoluturus ſine Domorum conſenſu: nullus populus erat tam liber, ſi contenti eſſe potuiſſent Legibus, Iuramentis & Ratione; & nihil potuit aut poterit excogitari ad ſecurandum nos neque umquam fuit.

His omnibus non obſtantibus vidimus Regem abactum *Londino* per frequentes tumultus; duas tertias partes Dominorum & amplius deſeruiſſe illam Domum, ob eandem cauſam: quin & majorem partem Communium, Domum Communium deſeruiſſe ob eandem cauſam: novos homines electos in ipſorum contra *Legem*, ſub prætextu adulterati ſigilli, & in nomine Regis contra ejus voluntatem, bellum motum contra Ipſum, intercepti illius portus, Arces Armamentaria & Reditus, & converſa ad Illius deſtructionem & ſubver-

verſionem Legum terræ; Tributa ad opponendum ſe copiis Regiis, non adhærendum Illi, ſed ipſis in hoc bello; quod vocant *Iuramentum negativum* & *Votum* & *Fœdus* ſive *Compactum*.

Diverſis modis numquam uſitatis in hoc Regno, pecunias imperarunt ad fovendum hoc bellum, & potiſſimum ad quoſdam inter ipſos locupletandos; videlicet. 1. *Exciſas*. 2. *Contributiones*. 3. *Sequeſtrationes*. 4. *Quintas partes*. 5. *Vigeſimas partes*. 6. *Farinariam*. (Meale-money) 7. *Venditionem ſpoliatorum bonorum*. 8. *Mutua*. 9. *Benevolentias*. 10. *Collectiones*. Diebus feſtis; 11. Novas impoſitiones ſupra merces. 12. Cuſtod as ſumptibus privatorum. 11. Quinquaginta Subſidia uno tempore. 14. Compoſitiones cum iis quos vocant *Delinquentes*: 15. Vendentionem terrarum Epiſcopalium &c.

A Regis Parte media ſubſiſtentiæ fuere ablata; ante diem dictam, terræ ipſorum captæ, bona ablata; Lex indulget proditori aut Feloni in jus vocato, *Neceſſaria ſibi & familiæ ſuæ in victu & veſtitu:* Ubi eſt Compactum ſeu Liga? ubi eſt petitio juris? ubi eſt Libertas ſubditi?

Primò; Juvinius Regem in hoc bello, contra Juramentum negativum, & alia vota: defenſio noſtra eſt XXV. Edu. III. cap. 2. & reſolutiones omnium Iudicum.

Secundò; Defendimus Commiſſionem Arrayæ, Regis mandato, contra ipſorum vota: confirmamur ſtatuto anno 5. Henrici IV. & judicio Eduardi Cooke Equitis, *oraculi Legum*, ut ipſum appellant.

Tertiò: Defendimus Archiepiſcopos & Epiſcopos, quos volebant ſupprimi. Defenſio noſtra eſt *Magna Charta*, & plura alia Statuta.

Quartò: Defendimus Librum *Communium precum*, illi abrogant: Defenſio noſtra ſunt quinque Acta Parlamenti ſub Eduardo Sexto, & R. Elizabethæ tempore, 5. Paſchæ 35. Elizabeth inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

placita Coronæ in Banco Regis; novus liber Ingreſſuum fol. 252. *Penry*, ob publicationem duorum Scandaloſorum libellorum contra Eccleſiæ regimen fuit in jure poſtulatus, accuſatus, convictus, & ſuſpenſus Tyburni.

Quintò: Defendimus *Militiam* Regni *pertinere ad Regem*, ipſi contra: Defenſio noſtra & ſtatutum anni ſeptimi Eduardi I. & plura ſtatuta poſt illa, praxis omnium temporum, & conſuetudo Regni.

Sextò; Defendimus *adulterationem Magni Sigilli eſſe crimen læſæ Majeſtatis*; itidem uſurpationem Regis arcium, portuum, Navium, caſtellorum, ejus redituum, & monetæ, contra ipſos: habemus defenſionem noſtram in dicto ſtatuto xxv. Eduardi III. cap. 2. & diverſa alia poſt, & praxin omnium temporum.

Septimò: Defendimus, *Regem ſolum eſſe ſupremum gubernatorem in omnibus cauſis*: Illi, Regem gubernandum ab ipſis: Patrocinantur nobis Statuta anni primi R. Eliſabethæ cap. 1. & anni 5. R. Eliſabethæ. primo.

Octavò: Defendimus, *Regem eſſe Regem per inhærens Ius genituræ, per naturam, per Dei Legem, & per terræ legem*. Illi dicunt Regium jus eſſe fideicommiſſum. Patrocinatur nobis Statutum anni primi Regis *Iacobi* cap. primo & Reſolutio omnium Judicum Angliæ in Calvini caſu.

Nonò: Defendimus, *politicam capacitatem non poſſe ſeparari à naturali*: Illi tenent contrarium. Patrocinantur nobis duo Statuta, videlicet, *exilium Hugonis* tempore Eduardi II. & anni primi Eduardi III. cap. 2. & ipſorum Oraculum, qui publicavit illud poſteritati, quod ſit damnabilis proditio; Calvin. Cas. part. 7. fol. 11.

Decimò: Defendimus, *quod qui adjuvat Regem domi aut foras, non ſit moleſtandus accuſandus propterea*; ipſi tenent & faciunt contrarium. Patrocinatur

tur nobis Statutum anni undecimi Henrici VII. cap. primo.

Undecimò: Aſſerimus *quod Rex habeat poteſtatem diſſentiendi à Billa, in quam utraque Domus conſenſit*: quod illi negant. Patrocinatur nobis Statutum anni ſecundi Henrici V. & praxis omnium temporum, anni primi Regis *Caroli* cap. 7. & anni primi Regis *Iacobi* cap. 1.

Duodecimò: Aſſerimus, *Parlamenta eſſe habenda gravi & pacifico modo, ſine tumultibus*; Ipſi conſenſerunt multitudines infimæ conditionis plebis venire *VVeſtmonaſterium*, ad petendam clamoribus Juſticiam, cum non poſſent obtinere quod volebant: & alere cuſtodias armatorum, qui illis miniſtrarent. Patrocinatur nobis Statutum anni ſeptimi Eduardi II. & ipſorum Oraculum.

Decimo tertiò: Aſſerimus, *non eſſe Statum in hoc regno præter Regis Majeſt.* & *quod adhærere alicui alteri Statui* in hoc Regno ſit *crimen læſæ Majeſtatis*. Patrocinatur nobis Statutum anni tertii Regis *Jacobi* cap. quarto; & vigeſimi tertii Reginæ *Eliſabethæ*, cap. primo.

Decimo quarto: Aſſerimus, *quod movere bellum ad removendos Conſiliarios, alterandum Religionem, aut ullam legem ſtabilitam, eſt crimen læſæ Majeſtatis*: Ipſi aſſerunt contrarium: Patrocinantur nobis reſolutiones omnium Iudicum *Angliæ* tempore Reginæ *Eliſabethæ*, & ipſorum Oraculum conſentit.

Decimo quinto: Aſſerimus, *neminem debere incarcerari, nec exui bonis ſuis, niſi per juſtam viam Legis; & quod non oporteat quemquam damnari ad mortem quam per legem ſtabilitam, conſuetudines Regni, aut Actum Parlamenti*: Ipſi contrarium exercent in *Londino*, *Briſtolia*, *Cantio*, &c. Patrocinatur nobis *Magna Charta* cap. XXIX. Petitio Iuris, anno tertio Regis *Caroli*, & diverſæ Leges ibidem memoratæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Nos, *Regis pars*, deteſtati ſumus & deteſtamur *Monopolia*, *Shipmony*, & omnia gravamina Populi, tantum quantum ulli: novimus ſtatus noſtros, vitas & fortunas conſervari per Leges. & Regem ligari per Leges. amamus Parlamenta. Si Regis judices, Conſiliarii aut Miniſtri perperam egerunt à tertio Novem. 1640. ad 10. Ian. 1642, tempus habuerunt puniendi, omnes relicti juſtitiæ, ubi eſt Regis delictum?

Lex dicit, *Rex non poteſt facere malum*, quod ſit *Medicus Regni*, *pater patriæ*, *ſponſus regni*, *qui per annulum* deſponſatus eſt regno in ſua Coronatione Rex eſt *Dei vicarius*, & *non poteſt ullum malum facere*; hæc ſunt verba Legis.

Magnum quid prætexitur, quod populus non ſit certus frui Actis perlatis in hoc Parlamento, ſuccedens Parlamentum poſſet ea abrogare: Objectio eſt valde infirma, aliud ſuccedens Parlamentum poteſt abrogare illud abrogans Parlamentum: Metus ille eſt ſine fine & remedio, nam eſt eſſentia Parlamentorum, cum plenaria ſunt, ut oportet eſſe, è capite & omnibus membris, habere poteſtatem in Parlamenta antecedentia. Parlamenta ſe habent, ut ſunt tempora. ſi turbulenta factio prævaleat, Parlamenta ſunt improba, ut apparet ex exemplis ante citatis improbiſſimorum Parlamentorum: ſi tempora ſint ſobria & modeſta, prudentia & non diſtorta, Parlamenta ſunt rite bona & honorabilia, & ſunt bona medicamina & cataplaſmata: ſed in hoc Parlamento *exceſſit Medicina modum*.

In hac cauſa & bello inter Regis Majeſtatem, & utramque Domum VVeſtmonaſterii, quem ducem habuere ſubditi, qui illos dirigeret, *quam Leges*? quibus mediis poterant uti ad diſcernendum, quid ſequerentur, aut fugerent, quam Leges? Rex declarat *crimen læſæ Majeſtatis* adhærere Domibus in hoc Bello: Domus declarant crimen læſæ

læſæ Majeſtatis adhærere Regi in hoc bello: ſubditi quoad maximam & conſiderabilem partem eorum (cum crimen læſæ Majeſtatis ſit crimen quod non tantum inducat amiſſionem vitæ & bonorum, ſed etiam reddat ipſorum poſteritatem vilem, mendicam & infamen) reſpiciunt Leges, & reperiunt *quod litera Legis requirat ab iis juvare Regem*, ut ante manifeſtatum fuit, an umquam ſubditus criminaliter punitus fuit, ulla ætate aut in ulla Natione ob obſequium ejus quod litera Legis præcipit?

Subditi Regni inveniunt diſtinctionem & interpretationem impoſitam Legi *Abſtracti & Concreti*, poteſtatis & Perſonæ, corporis politici & naturalis, perſonalis præſentiæ & virtualis, condemnatam fuiſſe à Lege; & ita pars Regis habet & literam Legis; & interpretationem literæ claram ſecundum ipſorum judicium, per quod poſſent evidenter percipere cui parti adhærerent; quam ulteriorem ſatisfactionem poſſent modeſti, pacifici & fideles homines ultra deſiderare?

A verbo legis in criminibus & pœnis non eſt recedendum: fuit approbatum axioma Legis omnibus ætatibus & temporibus: ſi Rex ſit Rex & *in Regali officio* (ut vocant) permaneat, tunc omnes Leges ſunt contra ipſos citra colorem. ipſi dicunt; *dictæ Leges ſunt relativæ ad Illum in Ipſius officio.* non poſſunt aliter dicere; faciunt commiſſiones & remiſſiones in ipſius nomine, & perſona Regis & politicum ipſius corpus non poſſunt neque debent ſeparari, ut ante eſt declaratum: Et membra utriuſque Domus jurarunt conſtanter in hoc Parlamento, *quod Rex ſit unicus ſupremus Gubernator in omnibus cauſis ſupra omnes perſonas, hoc præſenti tempore.*

Nam quod objicitur de verbalibus aut perſonalibus mandatis Regis; affirmamus paucas res illis eſſe ſubjectas per Legem: verum Regiæ Majeſtatis præceptum ſub magno ipſius Sigillo, cujus uſus obtinuit

 tinuit

tinuit in hoc bello per Regis mandatum ad commiſſiones delectuum habendorum, non eſt perſonale mandatum (quod Lex in aliquibus caſibus refutat) ſed eſt tale mandatum, ita factum, quemadmodum illud per quod omnes poſſident terras ſuas, quas poſſident per Patentes, omnes corporationes habent ſua inſtrumenta, quæ tenent per inſtrumenta; & omnes judices & officiarii loca ſua & vocationes.

Objicitur, Rex non poteſt ſupprimere tribunalia ſua Iuſtitiæ, & hoc bellum tendere ad illorum ſuppreſſionem.

Reſpondeo: Rex non poteſt neque debet ſupprimere Iuſtitiam, aut tribunalia Iuſtitiæ, aut umquam ſuppreſſit: verum tribunalia Iuſtitiæ per *abuti aut non uti*, ceſſant eſſe tribunalia Iuſtitiæ: quum Iudices creantur aut proceſſus habentur in his tribunalibus ab aliis quam à Iudicibus creatis à Rege, & contra illius mandatum ſub magno ſigillo, & non obeditur ipſius Majeſtati ſed votis Domuum, & Iudices ejus rumpunt illam conditionem in Lege, fidei & fidelitatis in eorum Patentibus implicitæ, non amplius ſunt ipſius Iudices: obediunt & exercent munera ſua virtute Brevium & proceſſuum ſub adulterato ſigillo: Rex ſolus poteſt creare Iudices, XXVII. Henr VIII. cap. vigeſimo quarto; *Iuſticiarios Pacis* &c. Regis Patentes faciunt Iudices: Capitalis Iudex regii Banci creatur per Regis Breve ſolus omnium Iudicum.

Magnum Sigillum eſt clavis Regni; & *convenit ut Rex habeat clavem Regni ſui penes ſe*: quod confutat eorum dictum, quod Rex ſigillum ſubreptitie abduxerit.

Rex & ipſe ſolus poteſt removere tribunalia ſua à *Weſtmonaſterio* ad alium locum: Eboraci termini habiti fuere ſeptem annis, Eduardi I. tempore; verum quoad Curiam communium placitorum, locus debet eſſe certus; quoad Regis Bancum & Can-

Cancellariam, Rex poteſt ſecundum legem præcipere ut ſequantur ipſius perſonam ubique ſi ipſi commodum videatur: verum remotio tribunalis Communium placitorum debet eſſe ad certum locum, atque ita populo notificari.

Omnes libri Legum, in omnibus temporibus, conſentiunt, quod Rex poteſt concedere cognitionem omnium cauſarum pro libitu, in quovis comitatu aut præcinctu, ibi ſolummodo teneri, & removere tribunalia à *VVeſtminaſterio* ad aliquem alium locum (quoad communia placita, locus debet certus & notificatus Populo) & procraſtinare Terminos; prout ipſi opportunum videtur: quæ omnia utraque Domus violavit.

Quædam apparentes *Objectiones* Mr. Prinnii, diſperſæ in variis libris, refutatæ & veritas plenius demonſtrata.

Objectio I. *Anno primo Henr.* IV. *reſuſcitavit Statutum* XI. *Rich.* II. *& abrogavit* XXI. *Rich.* II. *per quod certæ perſonæ erant declaratæ reæ Crim. læſ. Majeſtatis Regi & Regno, quæ erant partium regiarum ſecundum* XI. *Richardi* II.

Solutio. Verum eſt, ſed nota, XI Richardi II. fuiſſe Parlamentum obſeſſum à 40000 militibus, & Rex conſenſit ei tale actum: & præterea I Henr. IV. declarat, quod proditiones memoratæ in Acto XI Richardi II cum ſit adverſus paucos, privatos, non trahendum in exemplum, & quod nulla proditio ſit futura qua talis quæ XXV Eduardi III fuit declarata. Omnia hæc ſunt Acta perlata à Rege & tribus Statibus, nec trahenda in exemplum tumultuoſo tempore, ab obſeſſo Parlamento per exercitum: & Henricus IV cum eſſet uſurpator fecit illud Actum ad ſecurandum ſeipſum.

ſum. Sed qui hoc ad Vota utriuſque domus ſolum hoc tempore.:

Obj. 2. *Curia Parlamenti eſt ſupra Regem, nam poteſt declinare ejus Inſtrumenta, Commiſsionem, &c. indultas contra Legem. Et Lex eſt Supra Regem.*

Sol. Per eandem rationem dixeris, curiam *Cancellariæ* aut quodvis tribunal Legis, VVeſtmonaſterii eſſe ſupra Regem, nam annihilant Regis Inſtrumenta, facta contra Legem: & Rex eſt ſubjectus Legi & juratus illam tueri. Rurſus, non eſt Parlamentum ſine Rege, & Rex eſt caput illius, eſt *Principium, caput & finis* Parlamenti, ut modus tenendi Parlamentum, & ambæ Domus tantum carent *Principio. capite & fine* Parlamenti, & miſerum eſt Parlamentum quod omnibus hiſce caret: & propterea dicere, quod Parlamenta ſunt ſupra Regem, eſt dicere Regem eſſe ſupra ſeipſum.

Obj. 3. *Parlamentum poteſt ampliare Regis prærogativam, propterea eſt ſupra ipſum.*

Sol. Si Rex aſſentiatur, alias non: & hinc demum eſt Actum Parlamenti, aliter non.

Obj. 4. Bracton *dicit: Deus, Lex, & Regis Curia (vid.) ipſius Comites & Barones ſunt ſupra Regem; videlicet, in Parlamento ut* Mr. Prinnius exponit.

Sol. Ubi ergo eſt Domus Communium? Sane, ſume Deum, Legem, Comites & Barones ſimul, verum eſt: ſed affirmare Comites & Barones in Parlamento eſſe ſupra Regem (cum Rex ſit caput Parlamenti, & illi unum Membrorum:) quomodo inferius membrum ſit ſupra caput, difficile eſt intellectu: præterea, ea poſitio deſtruit totum *Mr. Prinnii* diſcurſum qui tantundem attribuit Domo Communium.

Obj. 5. *Rex eſt tantum unus trium Statuum Parlamenti, & duo majora ſunt uno; propterea ſupra.*

Sol. Crura: brachia & truncus corporis majora ſunt capite, tamen non ſuperiora, nec viva ſine illo:

illo: argumentum valet quoad quantitatem, non qualitatem; & revera Rex non eſt unus trium Statuum, ſed ſupra omnes: tres Status ſunt Domini ſpirituales, Domini temporales, & Communes; *Cooke* ipſorum Oraculum, in cap. de Parlament fol. 1.

Ob. 6. *In Corporationibus Major numerus vocum facit omnia Acta corporationis valida; propterea & ita in Parlamento.*

Sol. Per hanc rationem aſſenſus Regis non eſt neceſſarius, & nulli uſui; & omnia Acta Parlamenti ante memorata & Libri juridici falſi fuere, qui unanimi voce requirunt neceſſario Regis aſſenſum: Corporationes ita ſunt conſtitutæ per inſtrumenta Regis, quod major numerus votorum Acta earum valida faciat.

Obj. 7. *Rex ut Rex eſt præſens in ſuo Parlamento æque ac in cæteris ipſius Curiis juſtitiæ, licet ibidem non ſit.*

Sol. In aliis ſuis Curiis Iuſticiæ non habet vocem, non eſt unus Iudicum, in Parlamento habet ſi præſentia ejus non ſit neceſſaria neque ejus vox, neque aſſenſus.

Obj. 8. *Originalis prima legiſlativa poteſtas ferendi Leges, ad obligandum Subditos & eorum poſteritatem, non eſt in Rege, ſed in Regno & Parlamento, quod Regnum repræſentat.*

Sol. Mr. Prinnius in eodem folio affirmat, & recte, Regis aſſenſum abſolute requiri, ad ferendum & ratificandum Legem: Rex eſt caput regni & Parlamenti, quomodo ergo poteſt corpus agere ſine capite?

Obj. 9. *Major pars Corporationis ligat, & propterea major pars in Parlamento.*

Sol. Corporatio ita ligatur, aut per Regis Inſtrumenta aut per præſcriptionem, quæ nonnunquam habuit Regis conceſſionem; verum præ-

ſcriptio & Lex, & praxis ſemper reliquerunt Regi negativam vocem.

Obj. 10. *Rex non poteſt alterare Billas ipſi præſentatas ab utraque Domo.*

Sol. Recte, ſed Rex poteſt illas rejicere.

Ob. 11. *Acta Parlamenti & Leges miniſtratas in Regnis uſurpatorum, ligant legitimos Reges: Ergo.*

Quid hoc ad probandum poteſtatem utriuſque Domus ſolum, quæ eſt quæſtio? Regi *de facto* obediendum iis qui ſe ipſi ſubjecerunt, & hi ſunt illius ſdbditl per ſubmiſſionem & non ſubditi *de facto* vero regi, & tales proditores & rebelles Regenti Regi (cum renunciarint verum regem) ubi legitimus Rex fuerit reſtauratus, poſſunt puniri ab eo ob proditionem contra uſurpatorem: verum hic ſemper eſt Rex in utroque caſu & proceſſus in Lege durant, quia Iudices habent Patentes ſuas à Regibus exiſtentibus, in regnis regum, *de facto* aut *de jure.* nam omnes Reges ſunt obligati & jurati ſervare leges.

Obj. 12. *Rege moriente ſine Hærede, Infante,* non compote mentis, *&c. amba Domus poſſunt ſtabilire Leges.*

Sol. Non eſt *inter-regnum* in Anglia, ut liquet ex omnibus noſtris Libris Legum, & propterea moriens ſine hærede eſt vana ſuppoſitio, & ſecundum ipſorum principia eſt conſiderabilis in politica ſua capacitate, quæ mori omnino non poteſt. Protector, comitatus à Conſilio Regis ad Legem, duodecim ejus Iudicibus, Concilio Status, Procuratore, Advocato fiſcali, & duobus Sergeantis ad legem, duodecim Magiſtris Cancellariæ, habet nomine Regis & ſemper habuit vocem negativam: ſed quid hoc ad præſentem quæſtionem? Habemus Regem plenæ ætatis, magnæ ſapientiæ & Iudicii; quod poteſtas utriuſque Domus in tali caſu ſit ſupra Regem, demonſtrari non poteſt.

Obj.

Obj. 13. *Rex non poteſt diſſentire à publicis & neceſſariis Billis ad commune bonum. Ergo.*

Sol. Neque umquam diſſenſit bonus Rex; ſed quis erit Iudex, an ſint publicæ & neceſſariæ? *Major* pars in alterutra Domo ob perlationem prætenſarum Billarum, poſſunt eſſe tantum una aut duæ voces, aut admodum paucæ & forte non judicioſorum virorum, an non ergo aptius & magis conveniens Rationi, quod ipſius Majeſtas & Concilium Status, ejus duodecim Iudices, ejus Sergeanti, Procurator, Advocatus fiſcalis, duodecim Magiſtri Cancellariæ, judicent de convenientia & beneficio talium Billarum ad publicum bonum potius quam *minor* (cujus ſortis plures poſſunt eſſe in Domibus) aut tenuis vir, aut pauci, qui ſæpe faciunt Majorem partem, quæ involvit aſſenſum omnium? Ratio determinet.

Obj. 14. *Reges Angliæ fuere Electivi, & Rex per Iuramentum Coronationis eſt obligatus ad tuendum* Iuſtas leges & conſuetudines quas Vulgus elegerit *Ergo.*

Sol. Papiſmus fuit in Regno, & propterea illum continuare, non poteſt eſſe bonum argumentum; cum res ſtabilitæ ſunt multis ætatibus, retroſpicere ad tempora confuſionis eſt deſtruere omnem quietem: Actum Parlamenti anni 1. R. *Iacobi* cap. 1. & omnes extantes noſtræ Leges dicunt, *quod Regis offi ium ſit hæreditas inhærens in ſanguine Regum noſtrorum, & ipſorum jus geniture.*

Et uſurpatores qui intrant per con enſum populi, ſunt Reges *de facto*, ſed non *de jure*, ut appareret ex Actis Parlamenti ipſos tales declarantibus; & per omnes noſtros libros legum & fundamentales conſtitutiones Terræ, Regalis poteſtas eſt *hæreditaria* & non electiva.

Quoad verba (Vulgus elegerit) ſi *vulgus* applicetur ad Domum Communium, illi per ſe non poſſunt condere Legem: Pares nunquam vocati *vulgus*; ſi concedamus ita vocatos; leges ferendas

eſſe juſtas, & quis judicaturus ſit de iis, ante demonſtratum eſt.

Conſuetudines non poſſunt referri ad tempus futurum, & ambæ conjunguntur Leges & conſuetudines.

Obj. 15. *Principes fuere depoſiti, & poſſunt ab utraque Domo.*

Sol. Depoſitores fuere proditores, ut apparet per reſolutionem omnium Iudicum Angliæ. *Cooke cap. Proditio, in ſecunda parte Inſtitut.* & numquam fuit Rex depoſitus quam tumultuoſis & inſanis temporibus, & potentia exercituum, & iis ducibus qui Reges ſucceſſuri erant, ut Eduardus III & Henricus IV.

Obj. 16. *Provocatio ad Parlamentum de erroribus in judiciis omnium Tribunalium eſt frequens. Ergo.*

Sol Hæc fit ſolummodo ad Domum Dominorum & ea non eſt Parlamentum: hoc nihil ad Domum Communium attinet: & in Domo Parium, ſi Breve erroris afferatur ad evertendum aliquod Iudicium, præcedit petitio ad Regem ut permittat, & ratio Legis in hoc caſu eſt quod Iudices Terræ omnes Regis concilium, duodecim magiſtri Cancellariæ ibi aſſiſtant. quorum ſententia erronea judicia corriguntur.

Obj. 17. *Parlamenta determinarunt de juribus Regis, ut in Henrici* VI *tempore & Parlamenta vinxerunt ſucceſsionem Regum, ut liquet è Statuto* XIII *Reginæ* Eliſabethæ, *cap* I. *& deſcenſus Coronæ magis ducitur à Parlamentario titulo, quam Communi Lege. Ergo.*

Sol. Si hæc objectio ſit vera, quod titulus ad Coronam ſit à Parlamento, non habuimus uſurpatores. Nam omnes habuere Parlamenta ipſis faventia; etiam *Richardus* III monſtrum illud. Omes libri noſtri Legum dicunt, illos habere Coronam *per deſcenſum*, & ſtatuta Terræ declarant, quod habent illam *per inhærens jus geniture.* Et

Statu-

Statutum XIII *Eliſabethæ*, primo cap. factum eſt ad ſecurandum Reginam Eliſabetham contra *Reginam Scotorum*, tum in regno clamantem coronam Angliæ, & habentem multos adhærentes: & illud ſtatutum ad illum finem non affirmat talem poteſtatem in utraque Domo (quæ eſt quæſtio) verum in Regina Eliſabetha & utraque Domo, quod facit contra prætenſionem hujus temporis.

Mr. Prinnius fol. 104. lib. inſcripti, *Parliaments ſupreme povver* &c. Objiciens ſtatutum an. 1. Reginæ *Eliſabethæ* & ſuum juramentum, quod Rex ſit ſolus ſupremus Gubernator hujus Regni; reſpondet, Parlamentum eſt ſuprema poteſtas, & tamen ibi concedit illi *negativam vocem.* & fol. 107. fatetur, quod Acta Parlamenti transferant Coronam à veris hæredibus ſecundum Legem Communem, ad alios qui non habent bonum Titulum, tunc Parlamentarius Titulus non facit Regem, tam potens eſt veritas, ut etiam excidat homini improvide: diſtinguere inter ſupremum Gubernatorem, & ſupremam poteſtatem, valde abſonum eſt, nam quis poteſt Gubernare ſine poteſtate?

Rex convocat Parlamentum per Breve, procraſtinat, prorogat & diſſolvit Parlamentum, per legem ad libitum ut pater per conſtantem Praxim: Domus Communium numquam ſedit poſt procraſtinationem Parlamenti Regis mandato: ubi eſt ſuprema poteſtas?

Obj. 18. *Rex per juramentum, obligatus eſt nemini jus negare, multo minus Parlamento, aſſentiri omnibus juſtis & neceſſariis Legibus propoſitis Regi ab ipſis. Hæc eſt ſubſtantia diſcurſus contra Regis negativam vocem.*

Sol. Rex ita obligatus eſt ut ponitur in objectione: ſed quis judicabit, utrum Billa propoſita ſit juſta & neceſſaria. Nam quicquid proponunt ſic prætenditur & ita fertur in alterutra Domo,

ali-

aliquando per unam aut duas voces aut paucas, ut ante dictum, & ſane ut demonſtratum eſt, Rex, Concilium ejus Status, ejus Iudices, Sergeanti, Procurator, Sollicitator & duodecim Magiſtri Cancellariæ poſſunt melius de iis judicare, quam duo aut tres, aut pauci plures.

Mr. Prinnius fol. 45. in libro de Parlamentorum intereſſe ad nominandum privatos conſiliarios vocat opinionem *Spenceriorum, ad dividendum perſonam Regis à ſua Corona, miram opinionem* & citat Calvini caſum, ſed omittit concluſiones ibidem memoratas fol. 11. *Mr. Prinnius* dicit ibi, ſed ſit hæc opinio quod velit, ſine Regis gratia & remiſſione, longe procedet, & duo Acta Parlamenti memorata ſunt citra opinionem: *Et in libro ſuo de apertione magni Sigilli fol.* 37. Parlamentum non habet Iuriſdictionem utendi magno Sigillo ad remiſſiones generales aut particulares. Ubi eſt ergo ſuprema poteſtas?

Obj. 19. *Mr. Prinnius (apertio Magni Sigilli) pag,* 19. *dicit; Nobiles & Status, poſtridie funeris Regis Henrici* III. *(Rege Eduardo* I *ejus filio exiſtente in Terra Sancta) fecerunt novum magnum Sigillum, & Cuſtodes illius: & tempori Henrici* VI. *primo anno ejus Regni, idem factum in Parlamento.*

Sol. A facto ad jus non eſt bona conſequentia. nam illud tempore *Eduardi* I non erat Parlamentum. nam Rex *Henricus* III obierat; quod diſſolvebat Parlamentum ſi vocatum illius tempore, & non poterat eſſe Parlamentum temporis Eduardi I nam nullum Breve emanarat ad convocandum Parlamentum illius nomine, neque Poterat emanare niſi ſub novo illo Sigillo, tam ſubito factum fuit poſt Henrici III. obitum; Rege Eduardo I. tunc abſente in Terra Sancta, erat primus annus ejus Regni: & nullum Parlamentum habitum illo anno, nec ſecundo ejus Regni. Primum Parlamentum quod fuit in illius Regno, ut liquet ex im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

impreſſis Actis, fuit tertio anno illius Regni. Ad hæc Sigillum factum fuit à quibuſdam Dominis tum præſentibus, quid Communes in eo fecerunt? quoad Sigillum factum tempore Henrici VI. Protector erat Vice-Rex ſecundum curſum Legis atque ita illud Sigillum factum fuit à Protectore nomine Regis, & Protector ille, *Humfredus Dux Gloceſtriæ*, ut Protector nomine Regis vocavit illud Parlamentum, & Protector factus eſt à Dominis, & non à Parlamento, ut liquido patet. nam hoc Parlamentum fuit primo Henrici VI & primum habitum illius tempore, & poteſtas data per Commiſſionem dicto Duci, tunc Protectori, ut vocaret illud Parlamentum, *Prinnus* ibid. fol. 19. ſed novum adulteratum ſigillum factum fuit cum Rex eſſet Oxonii, in proprio Regno & non in Terra Sancta.

Obj. 20, Mr. Prinnius *in libro ſuo de poteſtate utriusque Domus ad imponendum tributa, reſtringit Malignantes contra omnes* Habeas corpus &c. *dicit, quod Parlamentum ſit ſupra* Magnam Chartam, & *fol. 15. ibid. Parlamentum habet Poteſtatem ſupra* Magnam Chartam *ad abrogandam illam, cum cauſa fuerit.*

Sol. Hoc argumentum ſupponit quod habeant Regis poteſtatem, quam ante apparuit illos non habere: Sed ſuppone illos habere, Magna Charta continet multas morales Leges, quas Parlamentum per Leges Terræ non poteſt mutare xx. Hen. VII. 2. *d. & Studens 2. Dialogo.* Exempli cauſa, dicit *cap.* 18. Iuſtitia non vendetur, differetur nec denegabitur cuiquam; ſed per hoc argumentum Parlamentum poteſt facere legem, ad differendum, negandum, vendendam Inſtitiam, quæ ſane eſt prava poſitio ad aſſerendum. Quid vellent habere, apparet nunc è propoſitionibus miſſis *Novum Caſtrum* ad Regem, per quas vellent ut ſe ſpoliaret, & ipſis traderet omnem poteſtatem regiam in

mari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

mari & terra, & habere illam poteſtatem à ſeipſis extra Ipſum, imponendi populo hujus Terræ Taxas quas vellent, abolendi librum communium precum, tollendi Epiſcopatum & introducendi Eccleſiaſticum regimen, de quo nondum convenit, & tale de quo ipſi inter ſe convenient.

Majeſtas ſua inveniens prædominantem factionem in utraque Domo ad hunc curſum tenendum, & fugatus *Londino* per tumultus, reliquit Domos ob has cauſas.

Primo : Quia mutare regimen Religionis, eſt contra Regis Iuramentum.

Secundo : Contra ipſorum Iuramenta : nam unuſquiſque eorum juravit in hoc Parlamento, quod ipſius Majeſtas eſt unicus ſupremus Gubernator in omnibus cauſis Eccleſiaſticis & ſuper omnes Perſonas.

Tertio : Hic curſus tendit contra *Magnam Chartam* cap. I. & ult. *Salvæ ſint Epiſcopis omnes Libertates ſuæ*, confirmatam à triginta duobus Actis Parlamenti: & id xLII. Eduardi III capite 3. & ſi aliquod Statutum factum fuerit in contrarium, pro nullo habebitur : & ita ſe habet in Iudiciis ad Legem; in xxv Eduardi I *cap*. 1. 2. *Magna Charta* declaratur eſſe *Lex Communis Terræ*.

Quarto : Satagunt auferre ſuis propoſitionibus Regimen Epiſcoporum, quod in hac terra tam antiquum eſt quam Chriſtianitas: & librum *Communium Precum* ſtabilitum à quinque Actis Parlamenti, & compilatum à Reformatoribus & Martyribus, & uſitatum tempore quatuor Principum.

Quinto : Hæ propoſitiones auferentes à ſua Majeſtate omnem poteſtatem terrâ & mari; ſpoliant ipſum eo, quo omnes ipſius Anteceſſores, Reges hujus Regni, ſunt gaviſi : iſta poſſeſſio & uſus facit Legem, & per illam Ius ſuæ Majeſtatis: *Adverſantur propriæ ſuæ proteſtationi factæ in hoc Parlamento* ;

mento; conſervandi Regalem ejus Perſonam, Honorem & Statum: *Adverſantur Ligæ ſuæ*, quæ dicit quod nolint diminuere juſtam illius poteſtatem & magnitudinem.

Propter has rationes ſua Majeſtas deſeruit illos, &, ut creditur, negabit aſſentiri illis Propoſitionibus, uti per Leges fundamentales Terræ poteſt (habens negativam vocem) omnibus Billis propoſitis.

Ex hiſce omnibus deducitur: quod Rex ita deſerens Domos, & quod neget illis propoſitionibus aſſentiri, tam longe abeſt à faciendo ipſum Tyrannum, aut inidoneum gubernare hoc tempore; ut contra reddat ipſum Iuſtum, Magnanimum & pium Principem: ita ut ex his evidenter appareat quibus calamitates horum temporum ſint imputandæ. Unicum remedium omnium eſt Actum Amneſtiæ & Generalis Remiſſio.

HISTO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

HISTORIA INDEPENDENTIÆ.

IN QVA

Deſcribitur Ortus, Incrementum & fraudes potentiſſimæ & inquietiſſimæ

FACTIONIS

Quæ Regem obtruncavit, Regnum pene evertit, & nunc intolerabilem in omnes regnicolas exercet

TYRANNIDEM.

HISTO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

HISTORIA INDEPENDENTIÆ.

ANtequam Hiſtoriam hujus Monſtri aggrediamur; operæpretium eſt ſcire, quid ſit INDEPENDENTIA; *eſt* genus Generaliſſimum omnium errorum, Hæreſium, Blaſphemiarum & Schiſmatum. *Ut Alcoranus Mahumetis eſt mixtura quædam Iudaiſmi & Chriſtianiſmi; ita hæc compoſita eſt ex Iudaiſmo, Chriſtianiſmo & Turciſmo. Independentes enim cum Iudæis ſibi arrogant, quod ſint peculiaris Dei populus, pii, ſancti, ſoli habentes jus in creaturas omnes & veri poſſeſſores omnium Mundi bonorum, quorum alii tantum ſunt uſurpatores: Axioma tam contrarium omni humanæ Societati & politico regimini, ut per ipſum liceat ipſis, atque adeo moliantur per fraudes & vim, onerare tributis, fallere & ſpoliare totum Regnum, quod judicant haud aliud eſſe quam furto ſurripere Ægyptiis; atque hoc prætextu evertunt omnia tribunalia, Leges & Libertates terræ, erigunt arbitrarias commiſsiones, & inſtabiles conſtitutiones, quas figunt & refigunt per prædominantem ipſorum factionem in Parlamento pro libitu, potentia & terrore ſuorum Ianiſſariorum, ad fores illius excubantium.*

Cum Chriſtianis quidam illorum (non autem omnes) recipiunt & agnoſcunt S. Scripturas; Sed tantum quatenus ſerviunt illorum uſui, quaſi ipſi eſſent Phariſæi, & cæteri Publicani; Spirituali arrogantia inflati, meri Enthuſiaſtæ & Hyprocritæ.

Cum Turcis ſubjiciunt ſibi res omnes, Religionem ipſam, Leges & Libertatem (quam ante tantopere jactitarunt) potentiæ armorum, poſtquam vafris artibus gladium Status conjurarunt in vaginam independentem. Comes Eſſexiæ, *Generalis copiorum Parlamenti (licet vir popularis & honeſtus, tamen ſtolide audax,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

audax , & manu promtior quam conſilio quique magis norat vincere quam victoria uti) amovendus erat, & copiæ illius exauctorandæ, uti & VVilhelmi VValleri *equitis ; ut ductores independentes & milites ipſis obnoxii in illorum locum ſubſtituerentur , & meterent quod ab illis haud quaquam erat ſatum. Propoſitum quippe erat* Independentibus *, potentiam omnem & arbitrium armorum ad ſe pertrahere. Id haud facile perfici poterat, quam committendo Eſſexium & VVallerum inter ſe : ad id præfervidus ille Schiſmaticus* Arthurus Haſlerigus *Eq. adhibitus ; verum id demum perfectum utriuſque malæ fortuna ; illius ad* Liſtithyl *in Cornubia ; hujus ad* Denizas *in VViltonia. Ubi* Haſlerigus *(vir ignorantior quam ut regeret , & inſolentior quam ut pareret) non expectatis pedeſtribus copiis ; cum equitibus tantum in clivum editi montis enixus , impetum fecit in D.* VVilmoti *copias , verum cum turmæ ipſius ita longe à ſe invicem ſeparatæ eſſent , ut una alteri ſubſidio venire non poſſet , &* Radulphum Hoptonum *imminenti cladi eripuit , &* VVilmoto *inopinatam victoriam reliquit ; ipſe vulnere in fuga accepto , poſt illa ſemper à prælio abhorruit. Quæ ipſius ſtoliditas , non modo haud fuit caſtigata , ſed & paulo poſt à Domo Communium præmium accepit* 6500 *lib. Et gubernator* Novi caſtri *factus ;* 3000 *lib. cepit ad opera reſarcienda ; quarum haud credo illum tertiam partem impendiſſe.*

Mancheſtrius *(Dominus , & cui propterea tuto fidi non poterat) accuſatus fuit à* Cromwello *Locumtenenti generali magnorum criminum , qui illi viciſſim gravia crimina intentavit , verum cum omnes ſolliciti eſſent de eventu , apparuit rem ex compoſito geri , ita ut omnes judicarent utrumque reum : & Mancheſtrius interea fuit amotus ab exercitu. E cineribus illis tandem ſurrexit Phœnix ille ſcilicet exercitus ſub imperio* Thomæ Fairfaxii *eq. viri ſtolide & brutaliter ferocis, magiſque idonei aliorum conſilia ſequi , quam ſuum , obnoxii præterea* Cromwello *&*

Inde-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Independentium factioni, cujus fundo inſiſtit, ob hanc promotionem.

Placuit Deo multas huic exercitui largiri victorias de Regiis copiis, amplis quidem, ſed debilitatis per factiones, ſtipendia non ſoluta & alias diſtractiones (ob quas plurimi ducum alii aliis diffidentes, ſuæ ſaluti cœperunt conſulere) ſed potiſſimum ob amiſſum populi favorem. Ad has victorias plurimum contulerunt, ſtipendia conſtanter ſoluta, ſupplementa, cæteraque ſubſidia à concurrente Statu, longe ſupra ea quæ præcedentes copiæ habuerant: quare & hoſtiles copias intra oppida & munimenta adegerunt, omniaque ipſorum præſidia tam facile ceperunt, ut multis viderentur potius cauponari bellum quam belligerare.

Factio itaque hæc nacta idoneum Generalem, & Locumtenentem generalem, ejuſdem cum ipſis judicii & ſortis, operam dedit ut hunc famoſum & popularem redderent, attribuendo illi etiam res ab aliis bene geſtas, in libellis qui ſpargebantur in vulgum; ſiquidem re pene confecta mittebatur ille ut abſolveret & aliorum gloriam præriperet. Atque ut exercitus melius cogrueret Cromwello, *ſectarii omnes Angliæ invitati, & pedetentim, ſemotis per varias artes Presbyterianis Independentes in illorum locum ſuffecti, licet nunquam ante arma geſſiſſent: ita ut ille exercitus (qui gloriatur ſe regnum conſervaſſe, atque adeo ſubjugaſſe) non amplius ſit idem cum eo qui pugnavit ad* Nazeby *reipſa, ſed tantum nomine tenus.*

Ut autem Lex daretur Regi, Regno, Parlamento & Chimæra illa progigneretur, quam vocant Libertatem conſcientiæ; *opus erat hunc exercitum perpetuo ali; atque hanc ab ipſo initio fuiſſe* Cromwelli *ambitionem, tum ex iis quæ à Mancheſtrio illi fuere objecta & induſtrie ſuppreſſa, ſit veriſimile, tum vero potiſſimum ex iis quæ poſtea deſignavit, ſit infallibile.*

Utraque Domus Parlamenti, ad levandam oneri-

bus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

bus plebem, decreverat in pleno & adhuc libero Parlamento, dimittere magnam partem copiarum, & tantum quinque millia equitum, mille cataphractos & paucos ſclopetarios alere ad incolumitatem Regni, & ſubſidia mittenda in Hiberniam. Atque in hunc finem ſumſerant mutuo ducenta millia librarum ab urbe (nam ſimili ſumma exercitus Scotorum fuerat dimiſſus) & pro reliquis ſtipendiis nondum ſolutis ſecuritas data fuerat militibus dimittendis, ſine ulla exceptione, qualis numquam aliis ante fuerat data; nec fortaſſis aliis umquam dabitur: ita ut milites conjecerint non tantum in damnum, ſed & in Labyrinthum, detinendo illos, ſine imo contra legalem authoritatem, ſub ſignis; & manifeſta ſit proditio & rebellio, ut totum Regnum ſentit; neque poſſunt ſubſecuta Parlamenti decreta (quæ omnes norunt per violentiam extorta, ut poſtea liquebit) ab iſto crimine illos liberare. Ad hoc decretum perferendum plurimum conduxit Cromwelli proteſtatio, manu pectori admota in ipſa Domo, in præſentia Omnipotentis Dei, coram quo ſtabat, ſe noſſe exercitum dimiſſionem admiſſurum, & arma ad ipſorum fores depoſiturum, quandocunque juberetur: quod malitioſe à Cromvvello factum ut exercitum à Presbyterianis magis alienum faceret, & cum Independentibus arctius conjungeret: norat enim milites nihil magis abominari, quam dimitti & ad negotia ſua redire atque ideo odiſſe authores hujus conſilii. Eodem tempore, quo hæc in Domo proteſtabatur, habebat ſuos Agitatores (Spiritus, quos ipſe & gener illius Iretonus exciverant in exercitu, licet poſtea ſuppreſſi fuerint ſine ullo præmio) ut milites incenderent & animarent contra majorem partem Domus, (ſub prætextu Regaliſtarum, malignantium, & inimicorum exercitus) eoſque moverent ad dimiſſionem refutandum, & transfretandum in Hiberniam, & proditorie commentandum ſuper dictum decretum, petendum actum indemnitatis, & ſequendum ſententiam Iudicis Ienkins, utrum va-

lidus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

lidus eſſet necne actus ille, & petendum alia multa, partim peculiaria ut milites, partim publica ut politici.

Cum Cromwellus *ad hunc modum exercitum concitaſſet ad tumultuandum contra Parlamentum, & plane ſuum feciſſet (quod ipſi haud difficile fuit, cum jam ante pleraque officia diſtribuiſſet inter agnatos ſuos, fœderatos & amicos) properavit ad exercitum metuens ne fraudibus ſuis jam patentibus, in carcerem conjiceretur: in quo ipſe atque Ireton, uſurpantes officia ſine commiſſione omnia egerunt. nam commiſſiones eorum jam expiraverant, & Fairfaxius non habebat authoritatem legitimam, generales officiarios creandi. Atque uterque jam palam exercitui ſe adjunxit ad* Novum Mercatum, *in Machinationibus, declarationibus, Remonſtrantiis & Manifeſtis: Petitiones ab ipſo* Cromwello *ſcriptæ mittuntur ad quoſdam Comitatus, ſubſcribendæ à plebe adverſus prætenſos obſtructores Iuſtitiæ, invaſores Libertatis populi, in Parlamento; & exercitus concitatus ad clamandum,* Juſtitia, Juſtitia, *contra illos: grandia & proditoria poſtulata, deſtruentia fundamentales immunitates Parlamenti, vulgo ſparſa: quorum multa, quietis cauſa & miſericordia ſanguine manantis, Hiberniæ indulta fuere: nihilominus quietis impatientes hi Spiritus, impudentem petitionem unam ſuper aliam accumulabant: & licet, tam per literas quam aliter, promiſiſſent, ſi præſentes petitiones concederentur, ſe acquieturos, tamen eludebant atque adeo evertebant ſpem omnem pacis, per perverſas apprehenſiones & interpretationes conceſſionum Parlamenti: ita ut poſt illa Parlamento continuo luctandum fuerit cum hac Hydra, & hoc ſaxum indefeſſe volvendum.*

Corrupto ad hunc modum Exercitu, majus opus aggreditur Cromwellus, *& rationes inivit Domi ſuæ, quibus interciperent loca omnia præſidiaria, armamentaria & majores machinas Oxonii; atque adeo Regem ipſum Holdenbyi; quod & per ſuum ſatellitem*

Ioy-

Ioycium, *cum delecta turma equitum, perfecit: licet poſtea (recurrens ad familiarem ſuam conſuetudinem cum Deo) poteſtatus fuerit coram Deo apud Regem & Parlamentum, ſe hujus facti nequaquam conſcium fuiſſe; addens proteſtationi ſuæ execrationem conjugis & liberorum ſuorum ſi falleret:* Ioycius *tamen non modo impune id tulit, ſed & præmium, illo annitente accepit. Et licet utraque Domus poſtulaſſet ab Exercitu ut Rex duceretur Richmondiam, & traderetur in manus deputatorum Parlamenti ut utriuſque Regni incolis liber pateret ad Regem acceſſus (ante enim ſecluſerant & illuſerant Scotiæ Deputatis, contra Legem Nationalem, & ſtatuta utriuſque Domus; cum libere hactenus admiſiſſent deſperatiſſimos Regiarum partium:) attamen haud aliud à perverſis hiſce Sanctis tulerunt reſponſum, quam, ipſos deſiderare,* ne ullus locus Regiæ reſidentiæ proximior Londino, quam ubi & exercitum ſtativa habere vellent. *Id vero conveniebat cum eo quod ſæpius minati erant, quotieſcunque illis aliquid præter exſpectationem acciderat, ſe verſus Londinum caſtra moturos. Norant enim quam periculoſi & incommodi hoſpites ibidem eſſent futuri.*

Quantopore degeneravit hic exercitus, poſtquam Cromwellus *& gener illius* Ireton, *mores illius novis principiis intoxicavit! Cum, (ut Anglia rediviva narrat pag. 247.) clanculum fuiſſet ſuggeſtum à quibuſdam Curialibus, Regem in animo habere ſe credere exercitui, ſi ſciret ſe receptum iri. ea hinc fuit illorum fides, ut conſiderantes id derogaturum eſſe honori & poteſtati Parlamenti, & propterea non poſſe conſiſtere cum ipſorum fidelitate & obſequio, ſignificarunt illud Parlamento, & poſtquam reſciverant id ipſius ſententiæ adverſari, abſolute negarunt tale quid admittere. Ohe quam fidi tunc! quam perfidi & Cromvvelliſati nunc! frequens eorum collatio cum Rege & illius partibus ad terrorem Regni, & deceptionem Regis, teſtetur.*

Ad

Ad hunc modum Regis compotes facti (Primæ & *maxime viſibilis authoritatis legalis in Regno Angliæ*) *deinceps moliti ſunt & Parlamentum* (Secundam *legalem authoritatem in Anglia*) *in ſuam poteſtatem redigere. Id vero perſici non poterat, niſi ex utraque Domo onerarent* Presbyterialia membra (*potiſſimum maxime habilia, & quæ laboraverant illos exauthorare*) *ut Independens Parlamentum Regnum gubernaret.* In *quem finem miſerunt ad Domum Communium, ſub nomine Fairfaxii & Exercitus, generalem & confuſam accuſationem læſæ Majeſtatis & aliorum criminum, adverſus undecim membra, ob res actitatas* (*maximam partem in ipſa Domo*) *quaſque Domus dudum ante examinaverat, & hos ab iſtis abſolverat, & quorum* Cromwellum, & Iretonum *manifeſte eſſe reos totum Regnum novit. Unum è præcipuis hujus accuſationis capitibus erat,* ipſorum potentia factum fuiſſe ut dimiſſio Exercitus decerneretur. *E quo liquet ubi potiſſimum calceus illos uſerit. Hæc accuſatio haud ſubſcripta erat ab ullo delatore, qui niſi crimina probaſſet, ſe pœnæ obnoxium faceret & qui promitteret ſe Domui & accuſatis ſatisfacturum: ut oportebat, ſecundum Statuta,* XXV Eduardi III. cap. 4, XXVII Eduar. III. cap. 18. XXXVIII Eduar. III. cap. 9. XVII Rich. II. cap. 6. XV Henr. VI cap. 4. *ſed præcipue* XXXI Henr. VI cap. 1. *in quo agitur de* Iac Cade, *qui caſus proxime accedit ad hunc noſtrum. Et profitebantur art.* 2. 3, 4. ſe minus animatos eſſe ad porro ſerviendum Parlamento, aut ad liberandum Hiberniam; poſtulabantque à Domo, ut accuſata membra quantocyus à ſeſſione & deliberatione ſuſpenderentur. *Cum autem Domus Communium, poſt maturam deliberationem in plenario & libero Parlamento, concluſiſſet* XXV Iun. 1647. *ſecundum Regni Leges ejusmodi ſuſpenſionem decerni non poſſe ſuper generali accuſatione, antequam particularia producantur & probentur: Exercitus tamen* (*qui jam didicerat non acquiſcere niſi ſuæ pru-*

 dentiæ

dentiæ & juſtitiæ) inſolenter minatus eſt, ſe moturos VVeſtmonaſterum verſus contra Parlamentum, niſi undecim illa membra ſecluderentur, petebantque à Londinenſibus ut ſe neutris adjugerent, ſed ipſis permitterent agere cum Parlamento. Quapropter XI *illa membra modeſte ſe ſubduxerunt, ut Domum liberarent à periculo quod potuiſſet incurrere; ſi ipſa protexiſſet, uti decebat. Poſt illa miſit Exercitus particularem illorum accuſationem, & famoſo quoque libello edidit propria authoritate. Ad quam &* XI *illa membra ſubmiſerunt & publicarunt ſua reſponſa. Exercitus autem actionem illam non eſt proſecutus, prætendens ſe velle prius Regnum componere, verum ſi exſpectent donec hi ſocii, aut habeant authoritatem, voluntatem aut induſtriam Regni componendi. non eſt opus ut accuſati ſe parent ad defenſionem ante extremum judicium. Habes hic integrum exercitum Accuſatorum, & præcipuos officiarios exercitus (membra & ipſa Domus) non tantum accuſatores, ſed etiam partes, teſtes, & Iudices, circumferentes tribunalia & Leges ſecundum quas judicant, in ſuis vaginis. Et accuſatio hæc, ut omnes norunt,* mutatis mutandis, *magis congruit in* Cromwellum *&* Iretonum, *quam in accuſatos. Si Proceſſus illi ſub nomine Regis, contra quinque illa Membra,* proditorii fuerunt adverſus Regem & Parlamentum judicati, *& arreſtatio quorundam illorum per VVarantum Regis,* Actus publicæ hoſtilitatis contra Rempub. *quanto magis proditorii fuere hi Proceſſus, & exercitus motus verſus Londinum ad vim ipſis inferendum, & arreſtatio* Ant. Nicholls, *qui veniam ſecedendi à Dmo impetraverat, & ſalvum conductum habebat ab Oratore, &* Col. Burgh *qui ad ſervitium Domus proficiſcebatur in Hiberniam, &* Samuelis Lucæ *qui ſe quiete domi ſuæ tenebat? Dum hæc agebantur,* Cromwellus *animadvertens Parlamentum non poſſe habere ſibi obnoxium, niſi Vrbem Londinenſem, (quæ Neutralitatem refutaverat) faceret ſibi inimicam;*

medi-

meditatus eſt benevolentiam populi terræ ſibi conciliare: (periculoſum quippe fuiſſet ſimul urbem & terram inimicas habere, eo ſtatu in quo exercitus tunc erat conſtitutus) quapropter editis multis libellis & chartis ſparſis per totam Angliam per Agitatores ſuos & itinerantes prædicatores (quorum pulpita aptiſſima ſunt ad fallendos ſimpliciores) inſtar Abſolonis, *queritur de oppreſſionibus & oneribus plebis, ſuadetque neglecto Rege & Parlamento, applica e ſe Exercitui,* uti unico ipſorum liberatori, arbitro Pacis, reſtauratori Legum, Libertatis & proprietatis conſtitutori Religionis &c. *Molientis Regem confirmare in juſtis ſuis juribus & prærogativis, conſervare privilegia Parlamenti, confirmare Religionem: reformare & cogere ad rationes reddendas omnes Comiſſarios, ſequeſtratores, omneſque alios qui manus ſuas contaminarunt publica pecunia aut bonis; liberare populum ab exciſis & aliis tributis; reformare illegales electiones membrorum; auxilium ferre Hiberniæ. Impoſsibilia omnia quæ ab exercitu perficiantur; & nunc penitus neglecta; ita ut pateat ſolum intendiſſe privatis poſtulatis ut milites; nimirum ut Parlamentum eos agnoſceret pro ſuo exercitu, ſtipendia ipſis ſolveret: omnem militiam Regni tam maritimam quam tetreſtrem traderet in ipſorum poteſtatem, & decerneret contra omnes adverſantes copias. Verum nunc tantum facti ſunt protectores corruptorum Commiſſariorum, ſequeſtratorum, & eorum qui tenentur rationem reddere Statui, atque adeo omnium aliorum facinoroſorum, qui conantur hunc Exercitum retinere ad privatam ſuam ſecuritatem, contra publicam juſtitiam.*

Cum ita ſibi arripuiſſent Regni jura & intereſſe, populum quoque ad eum modum refellerunt, ut inſtar Iſſachar *cogerent patienter tolerare graviſſima onera liberorum caſtrorum: Exercituique ſupplicare pro ſe per libellos ſupplices, quibus interdum dabant plauſibile reſponſum, hanc aut illam eſſe exercitus mentem haud aliter ac ſi ſententia exercitus ſuprema foret*

Lex terræ, & petere à Parlamento ne exercitus dimitteretur: in quem finem Agitatores illorum circumferebant libellos ſupplices jam paratos ad ſubſcribendum, in pluribus Comitatibus.

Populo ad hunc modum ſoporato ſatagunt litem movere tam Parlamento, quam urbi (quia ſeperare nequiverant utut ſaltem Presbyterianæ parti utrobique: ſubmoverant caſtra ſua (ſub ſpecie obediendi mandato Parlamēnti) XXX mill. à Londino (de quo ſæpe gloriantur in ſuis libellis) tantumque terrorem incuſſerant utrique Domui Parlamenti, ut plerique Presbyteriani aut ſubducere ſe vellent (ut ſane nimis multi fecere) aut à propriis principiis recedere: cum tamen præter exſpectationem, viderent reliquias illius adhuc adverſari ſuis conatibus: invenienda erat cauſa ob quam ſe moverent contra urbem, & domos Parlamenti validiori cathartico purgarent.

Exercitu itaque ad hunc modum inſtituto. & ad nutum Cromwelli *parato, & populo ſoporato; tempeſtivum videbatur urbi controverſiam movere, ut improbis mediis aſſequeretur, quod rectis non quiverat efficere; ut cogeret urbem deſerere Parlamentum & ab illo ſe ſeparare; illique legem ferret ſecundum militiæ libidinem. Non exiſtimabat prudentiæ congruere, huic civitati, quæ comparem ipſius & ſodalem* VValtherum Tyterum *(idolum Communium tempore Richardi* II*) cæciderat & ſequaces illius (qui quater numero excedebant hunc exercitum ſuum) fugarant, relinquere propriam ſuam Militiam: cum urbs jam multo major, populoſior & potentior ſit quam tunc. Utraque Domus, in pleno & libero Parlamento, per decretum factum* IV May 1647 *commiſerat militiam urbicam, in manus civium illorum, qui Parlamenti authoritate & approbatione à D. Majore, Aldermannis & communi Concilio erant electi: & licet exercitus novis delectibus auctus fuerat ſine authoritate, & potentiam univerſam terreſtrem regni ſibi adjunxerat ſub ſtipendiis Parlamenti, ita ut jam*

ipſis

ipſis nihil formidandum foret, præter propria crimina: & expectaretur illos jam tandem progreſſuros ad publica remedia, de quibus toties gloriati erant in publicis ſuis libellis: Exercitus tamen (contra quam promiſerunt urbi in literis ſuis x. Iun. *& declaratione ſua* XIV. Iun. 1647. *nimirum* ſe nolle progredi citra poſtulata tunc expreſſa & quoad cætera ſe acquieturos æquitati & prudentiæ Parlamenti: *contra eorum Modeſtiam, per literas & Remonſtrantiam, ſub nomine Fairfaxii & Exercitus, irreſiſtibili audacia poſtulat militiam Vrbis Londinenſis reſtitui in manus ſuas (deputatis urbis qui tum in Exercitu erant nequaquam monitis) ut ſocietatem mutuam conſervarent. Quibus literis acceptis, Domus Communium ſola (admodum infrequens, pluribus membris per minas abactis) vocavit abrogationem decreti ſuperioris & tulit novum decretum reſtaurandi veterem militiam, & ſtatim miſit ad Dominos, eadem die hora veſpertina ſeptima, qui conſenſerunt, ſine ulla mora: licet quidam urgerent procraſtinandum, donec civitas (cujus ſalutem & privilegia id maximopere ſpectabat) audiri poſſet.*

Obſerva, neque per dictas literas Exercitus, aut à quoquam memero utriusque Domus Parlamenti, quicquam novæ militiæ fuiſſe objectum. Et ſane Parlamentum numquam ante, aut delegerat, auxerat aut diminuerat militiam civitatis, niſi communicatis conſiliis cum ipſius Senatu. Certe reſpectus hic jure debebatur civitati tantopere ipſis amicæ. Verum poſtquam Parlamentum deflexit ab antiquis principiis, veterum quoque amicorum oblivisci cœpit. Prætextus tam feſtinati Statuti erat, prævortere Exercitus minas quibus jactabant ſe Londinum petituros, ſi Domus recuſaſſent id ſtatuere: Et civitatis oppoſitionem, ſi ad ipſius notitiam perveniret, antequam ſtatutum foret. Sed revera hoc agebatur, ut civitas indignabunda cogeretur ſe comparare ad ſui defenſionem, quæ poſſet exercitui colorem dare ſe movendi contra illam & illius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

amicos in Domibus Parlamenti.

Inexſpectata iſta mutatio militiæ civicæ commovit Civitatem (XXIV Iul. *die Sabbathi*) *Senatum convocare, in quo* (*tum ob alias cauſas jam expreſſas, tum quia abrogatio hujus Statuti, non alio argumento nitens quam imperioſe Exercitus deſiderio, merito credebatur, etiam cætera ſtatuta, de ſecuritate mutui, venditione Epiſcopalium terrarum &c. Infirmare poſſe*) *placuit Senatoribus libellum ſupplicem offerre Domui Communium die Lunæ* XXVI Iul. *Quod & factum à prætoribus* (*quos* Shetiffos *dicunt*) *& quibusdam Senatoribus: ſed accidit, ut circiter mille* Apprenticii, *ut vocant, inermes plane, duas aut tres horas poſt illos, etiam libellum ſupplicem offerrent utrique Domui Parlamenti, proprio motu, prætendentes civicam militiam eſſe Civitatis peculium, pertinens ad Ipſam per Chartas & confirmatum à Parlamentis, ad cujus defenſionem expoſuerant vitas ſuas, haud minus quam exercitus, & petebant illam iisdem reſtitui, quibus tradita erat conſenſu Civitatis, per decretum* IV Maji.

Cum Domini hanc petitionem legiſſent, placuit revocare ſtatutum XXIII Iul. *& reſtituere illud* IV Maji *per novum decretum* XXVI Iul. *quod ſtatim miſerunt ad Communes ut aſſentirentur. Hic quidam Apprenticiorum* (*præſumentes ſe tantumdem juris habere à Domo impetrandi quod ipſis jure debebatur, quam exercitum quod minime ipſi competebat*) *puerili vociferatione contendebant ut decretum perferretur, & impediebant quædam membra egredi, & tranſire in diribitorium* (*tam ignorantes erant conſuetudinis Domus*) *quo perrogato & confirmato ſub horam tertiam pomeridianam, maxima pars eorum quiete ad urbem repedavit, Poſt quæ inordinati quidam* (*pauciſsimi inter eos Apprenticii*) *confluentes & inſtigati à diverſis ſectariis, & amicis exercitus ſe illis admiſcentibus* (*inter quos toto illo die ſtudioſe agere viſus quidam* Highlandus, *qui* XXVI *illius menſis libel-*

lum

lum obtulit adverſus membra quæ ſedebant, & ut teſtis examinatus fuit circa hunc tumultum) objecerunt ſe foribus Domus, & procacibus verbis compulerunt Oratorem repetere ſedem, cum conventum jam procraſtinaſſet: & membra detinuerunt uſque dum decernerent, ut Rex reduceretur Londinum ad tractandum. *Id fraudulenter & præmeditate actum fuit, ut* ſcandalum erga Civitatem *aggravaretur. Verum cum hic tumultus ad aures Senatus urbici perveniſſet, ſtatim miſerunt Prætores Parlamento ſubſidio cum copiis quæ erant ad manum (militia eorum tunc inordinata ob contradictorium Parlamenti decretum) qui & tumultum compeſcuerunt, & Oratorem incolumem Domum reduxere. Domini procraſtinarunt ad proximum diem Veneris: Communes primo ad craſtinum, dein ad Dominorum exemplum ad diem Veneris. Proximo die Mercurii, jejunio menſtruo, cum membra ad concionem concurriſſent, orator Domus Communium non ſine aliquo calore, queſtus eſt* Radulpho Aſthono *& aliis, diffamari ſe in urbe, quaſi deſerta Domo, ad exercitum fugere meditaretur, verum ſe abominari tam vilem & injuſtum actum, & malle mori in Domo & Cathedra. Quæ ab ipſa dicta, tempore & loco tam ſacro, fecerunt multos opinari, diſceſſum illius ad exercitum, ipſo poſtero die, non tam proceſſiſſe à proprio ipſius judicio, quam minis* Cromwelli & Iretoni (*qui erant præcipui machinatores illius facinoris; quo dividerent domos & urbem; & exercitum ducerent ad utraſque ſupplantandum) qui minitabantur niſi ipſis aſſentiretur ſe exercitum compulſuros ad ipſum recuſandum, quod Statum defraudaſſet multis & vaſtis ſummis pecuniæ. Et ſane memini me vidiſſe epiſtolam interceptam, circa tempus fugæ ipſius, miſſam ab exercitu ad* VVithel. Lenthallum *oratorem, ſine ulla ſubſcriptione (tantummodo duæ poſtremæ lineæ ſcriptæ erant manu* Ioannis Ruſworthii) *qua importune flagitabatur*, ut ad Exercitum confugeret cum ſuis amicis.

Die Iovis ſummo mane, renovata militia Londinenſis, publice promulgavit in urbe & ſuburbiis, & impreſſis breviculis affixit VVeſtmonaſterii: Si qui diſturbarent alterutram Domum Parlamenti, aut ipſarum Membra, excubiæ tales comprehenderent & renitentes cæderent: *nihiloſecius Orator & illius partes (conſcientia propria illos terrente) ſub veſperam illius diei clanculum auſugerunt VVindeſoram ad capitalia caſtra.*

Die Veneris mane ad minium C X L. *Membra convenerunt in Domo Communium (qui fugerant erant circiter* X L) *ad quam Sergeantus cum maſſa quum veniſſet, & interrogaretur, ubi eſſet Orator? reſpondit,* Se haud probe ſcire; neque ſibi illum viſum iſto mane; tantum didiciſſe illum profectum paulo extra urbem, & brevi rediturum. *Poſt illa, cum ſtrictius interrogatus fuiſſet de Oratoris abſentia, ſubduxit ſe, neque poſtea inveniri potuit. Domus autem Communium (poſtquam quatuor horas exſpectaſſet, & è domeſticis Oratoris cognoviſſet, veriſimile eſſe illum conceſſiſſe ad Exercitum) elegit novum Oratorem* Henricum Pelhamum. *Idem (mutatis mutandis) factum à Dominis, ne propter abſentiam Oratorum Parlamentum diſſolveretur & ut omnes ſcrupuli tollerentur.*

Quod attinet ad petitionem & molitionem (civitatis tantopere exaggeratam ab Independentium factione) ea directa fuit ad D. Majorem; Aldermannos & Senatum urbicum, adverſis civibus, officiariis & militibus, quia intellexerant, Exercitum poſtulaturum mutationem militiæ urbicæ, quo facilius deſignata contra urbem perficerentur: *Propoſitum quidem erat offerre eam communi Senatui, ſed numquam fuit oblata, quemadmodum militum petitio Generali; cujus cum ratio habita fuiſſet à Parlamento inter diſceptandum, id adeo incitavit milites, ut non diutius (ut memorat Lelburnius in ſuis ſcriptis) vellent agere ſecundum Parlamenti mandata, ſed ſecundum principia*

natu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

natura & propria defenſionis. Neque continebat ea petitio & molitio quicquam quam propoſitum defendendi urbem: ita ut non videam, quid Exercitum moverit ad declarandum ſuam ſententiam in literis XXIII *Iul. & illi præjudicium in Domibus afferendum. Inſtiti paulo particularius* grandi huic impoſturæ, *utpote incudi ſupra quam cuderunt ſubſequentes omnes* violentias & illegales accuſationes.

Novis Oratoribus electis, utraque Domus perrexit votare & agere ut Parlamentum: Et primo, Domus Communium revocavit undecim accuſata Membra; deinde reſuſcitavit Commiſſarios incolumitatis, per decretum utriuſque Domus, jubentes illos ſe conjungere cum Commiſſariis reſtaurata militiæ urbicæ, dataque illis poteſtas per diverſa decreta delectus habendi, & Ductores atque Officiarios conſtituendi, expediendi arma & producendi apparatus bellicos, ad defenſionem utriuſque Domus & urbis, adverſus omnes invaſores: quæ & Vota & præparationes ad ſui defenſionem) innitentia iiſdem legibus naturæ, ut exercitus ſcripta memorant) non fuerunt perrogata aut Exſequutioni tradita, quam poſtquam exercitus (novis delectibus quotidie auctus contra ſtatuta Parlamenti) moveret verſus Londinum, & cum ſummo deſpectu, non obediret Votis & literis utriuſque Domus, quibus vetabantur, intra XXX *mill. ab urbe propius accedere. Exercitus, ut rebellioni ſuæ colorem adderet, permonet Oratores & fugitiva membra ad conſultandum & promiſcue Vota ferendum cum Concilio Bellico, forma Parlamenti, & ſignandum* IV *Auguſti obligationem ſeu conſpirationem*, vivendi & moriendi cum Fairfaxio & ipſius exercitu: *affirmando, Sententiam ſuam per omnia congruere cum Declaratione Fairfaxii & Concilii ipſius Bellici, qua aperiunt cauſas præſentis ſuæ expeditionis verſus urbem. In qua Declaratione Concilium Exercitus arrogat ſibi ſupremam judicaturam ſupra Parlamentum; & diſtinguit, quibuſnam ex utraque Domo exiſtiment, publicam fidem Regni eſſe com-*

miſſam, & quorum conſiliis ſe regi paſſuri ſint in graviſsimis negotiis Regni: proteſtantur contra electionem novi Oratoris à quibuſdam Generoſis VVeſtmonaſterii factam: & Parlamentum quod nunc ſedeat, non eſſe liberum aut legitimum, cum per violentiam XXV Iul. ſit oppreſſum, & ſuſpenſum. Statuta & Vota XXXVI Iul. facta, aut adhuc facienda à conventu paucorum Dominorum & generoſorum VVeſtmonaſterii eſſe inania & nulla, neque quicquam illis deferendum.

Obſerva hic, non ſolum poteſtatem extra Parlamenti Domos, judicantem de vera eſſentia Parlamenti, ſed etiam ſibi uſurpantem negativam vocem, quam denegant Regi: & præterea Schiſmaticam factionem in utraque Domo colludentem cum illis, & prodentem atque proſtituentem ipſam eſſentiam, honorem, & omnia fundamentalia jura & privilegia hujus & omnium futurorum Parlamentorum, Exercitui rebellium, qui detrectant obedire Dominis ſuis & à ſignis diſcedere.

Hæc obligatio ſeu conſpiratio ita fermentavit Exercitum, ut ſtolidus ipſorum Generalis protinus imperaret militares copias quorumdam Comitatuum accerſi, & movere ſe contra urbem & utramque Domum Parlamenti: licet hæ copiæ non militarent ſtipendiis Parlamenti, & propterea non eſſent ſub Imperio Generalis per ullum Statutum. Sed quid non audeat fatuus in authoritate conſtitutus, præſertim ſi obnoxius ſit hominibus improbis? Miſer! ejus ſtultitia tandiu obſecuta eſt Cromwelli & Iretoni nequitiæ, ut ipſi jam minime ſecurum ſit, illi ſe opponere. Comes Eſſexiæ tam opportune obiit, ut multi ſuſpicati ſint aliquid veneficii acceſſiſſe.

Civitas tamen tantopere deſiderabat pacem, ut mitteret diverſis temporibus Deputatos ad exercitum ad illam impetrandam: quam tamen obtinere non potuit, niſi hiſce tandem conditionibus; ut defererent utramque Domum & accuſata Membra: revocarent declarationem ſuam, jam excuſam & publicatam, dimit-

dimitterent militiam ſuam : traderent omnia munimenta ſua & vallum exercitui ; una cum Turri Londinenſi , omnia armamentaria & arma ; copias ſuas exauthorarent & ejicerent è vallo , amoverent præſidiarios ſuos à Domibus Parlamenti ; reciperent præſidium equitum & peditum intra munimenta ; opera ſua demolirentur ; paterenturque totum Exercitum triumphali modo permeare urbem , ut Domitorem illius & Parlamenti & , ut ſæpe jactant , totius Regni. Quæ ſane conditiones tales erant , ut illas ab Imperatore Turcarum potuerint impetrare , ſi urbem arcte obſeſſam tenuiſſet.

Quæ omnia derepente & ignominioſe accepta & perfecta, ab Exercitu, qui dimidiæ parti civium haud par erat futurus , ſi concordes fuiſſent : verum tam copioſe lolium Hæreſeos & Schiſmatis in urbe ſeverant (præſertim inter inopem plebeculam) ut facile maximam partem civium ſibi adjungerent. Gloriantur ſæpe ſe tranſiſſe militari paſſu ; ſine ſpoliis : *reſpondeo ; milites tam paucos & tam male armatos fuiſſe , ut illud aggredi omnino temerarium fuiſſet.*

VI *Auguſti* 1647. *fugitivi Oratores & Membra à Generali in Domos reducta ; armatis militibus omnes aditus & interiora loca Palatii occupantibus, cum nihil eſſet metuendum . iis qui abſentibus Oratoribus ſederant minæ intentatæ: Generali in throno ſedenti prolixe gratiæ actæ; & in poſterum diem gratiæ Deo agendæ decretæ. Atque hic derepente* Fairfaxius *Generaliſsimus declaratus omnium copiarum & arcium Angliæ & VValliæ , & Conneſtabilis Turris Londinenſis : militibus omnibus pro tam præclara opera navata , unius menſis ſtipendium donatum : prudentiæ Imperatoris relictum , quas excubias Domibus Parlamenti adderet. Ex quibus quivis facile poteſt conjicere , quam miſera fuerit codditio eorum , qui abſentibus Oratoribus locum ſuum non deſeruerant. Dein Generaliſsimus & Locum tenens generalis ; totuſque exercitus , magna pompa tranſiere Londinum , cum apparatu Ma-*

chinarum &c. Ita ut haud obſcurum eſſet authoritatem omnem in Regno, jam potentiæ armorum ſuccubuiſſe. Locum-tenens Turris Londinenſis ejectus ſine cauſa. Alibi quoque gubernatores ſuis locis moti, licet ex decreto Parlamenti accepiſſent, Militia Londinenſis in tres partes diviſa, ut infirmior eſſet. Vallum disjectum, ut jam Urbs & Parlamentum invadentibus expoſita eſſent. Plura Membra minis & terrore falſarum accuſationum è Domibus fugata. XI *illi accuſati jam ante, cum licentiam abeundi in partes tranſmarinas, à Domo, quidam & ab Oratore accepiſſent, variis inſidiis excepti etiam in Mari:* Anton. *Nicholls in itinere ſuo in Cornubiam, ab exercitu captus & indigne habitus; & cum Fairfaxius dimittere illum vellet, à Cromvvello* Proditor exercitus *appellatus, Ut ſatis liqueret penes quos obſequendi neceſſitas eſſet, & cur tandem Regi illam ademerint. Atque hæc aliaque acta, plures Presbyterianos à Domibus deterrerent & Votorum abſoluti domini fierent. De quarum Domuum, jam ſubjugatarum ab Exercitu prædominante, actis deinceps erit dicendum.*

Domini qui abſentibus Oratoribus ſederant, præter unum Penbrokium *(cujus facilitas ipſum idoneum reddebat cuivis ſocietati) Domo abſtinuerunt, & ſolummodo reliqui facti, qui cum Exercitu conſpiraverant, hi autem miſerunt ad Communes rogantes ut Statuto aſſentirentur, quo omnia acta & decreta facta, à* XXVI Iulii *ad* VI Auguſt. *ſequentem, (quo die fugitiva Membra reducta erant) decernebantur inania & nulla* ab ipſo initio. *Quæſtio hæc quinque aut ſex diebus fuit agitata, maxima parte Communium ſemper inclinante in negativam, nec tamen à Dominis ceſſatum, contra privilegia Domus Communium. Factionis quæ conſpiraverat argumenta ducebantur à terrore & neceſſitate. Sollicitator minabatur niſi concurrerent, Dominos honorem Domus ſuæ vindicaturos; ad potentiam armorum recurrendum; omnes obligatos vivere & mori cum Exercitu; a quæ extrema quæque*

exſpe-

exſpectanda forent. Haſſerigus *eadem dicens, addebat, quorundam capita demetenda; & vereri ſe, Parlamentum Angliæ ſervare Regnum non poſſe, aliam viam incolumitatis ineundam fore. Exercitui ſatisfieri non poſſe, niſi omnia nulla* ab initio *decernerentur. Ad hæc reſponſum, eſſe hanc appellationem à Parlamento ad Exercitum. Sed nihil profectum,* Henricus Vanus Iunior, Ioannes Evelinus Iunior, Prydeaux, Goudan, Mudmay, Tho. Scott. Cornel. Holland, *eaſdem ſpirabant minas. Ad poſtremam negativam (quæ erat Quinta aut Sexta.) Orator animadvertens majori compulſione opus eſſe, protulit literas Generalis & Concilii Bellici, quas ajebat ſe commodum accepiſſe (quod minus veriſimile erat) una cum Remonſtrantia, plena oppriis & minis in membra quæ ſederant Oratoribus abſentibus, quæ promiſcue accuſabant perduellionis, perfidiæ & infractionis fidei ipſis commiſſæ: & niſi aſſentirentur propoſitis, ſuo diſcrimine ſeſſura; & ſe illos captivaturum, & ut belli captivos, bellico Concilio judicaturum.*

Quis Rex Angliæ umquam tantam Vim intulit fundamentalibus privilegiis Parlamenti, ut denegaret libertatem Votandi libere, Ita *aut* Non. *Certe minimus digitus* Iac. Cade *aut* VVat-Tyler *(fuere hi olim turbones notiſsimi Angliæ) gravior lumbis cujuſvis Regis. Duravit hoc certamen à* IX Auguſt. ad XX Auguſt. *quo die demum illud decretum perlatum eſt, pleriſque Presbyterianorum abſentibus, quibuſdam in partes tranſeuntibus aut mutis; non tamen ſine aliqua contradictione. Multa interea acta contra communem libertatem & privilegia Parlamenti, quæ conſulto jam prætereo, utpote alias commodius dicenda. Quale inter præcipua fuit, Secreta examinatio teſtium inſtituta adverſus plurimos (cujus collegii caput erat* Milo Corbet *) haud diſsimilis Hiſpanicæ Inquiſitioni.*

Primò *in Scenam producta commiſsiones ſignatæ à Commiſſariis incolumitatis, à Cum.* Penbrokiæ, ſuſ-

Suffolckiæ, Middelſexiæ, Lincolniæ, Baronis VVillongby à Parham, Mainardi, Hollis, Phil. Stapleton, VVil. VValleri, Long, Nichols, VVil. Lewes, Baynton. *Varia crimina objecta à* Corbeto *illo, Haſlerigo ſtrenue ipſi auxiliante.*

VIII. Septemb. *in Com.* Suffolcke, Lincoln, Middelſex, *Barones* Barckley, VVillongby, Hunſdon, *&* Maynard *crimen læſe Majeſtatis intentatum nomine communium Angliæ, ob bellum motum contra Regem, Parlamentum & Regnum. Penbrokius hinc omiſſus. Iohannes Evelinus miſſus cum hac accuſatione ad Dominos: & accuſati Apparitori Domus in cuſtodiam traditi. Atque ita Domini qui conſpiraverant cum exercitu, Domum ſoli pro libitu obtinuerunt. Deinceps & Major Londinenſis, quidam Aldermanni & Cives correpti per Inquiſitorem generalem Corbetum, & ſine omni ordine Iudicii, imo contra privilegia Civitatis atque adeo omnium incolarum Angliæ, miſſi in Turrem Londinenſem: idque juſſu paucorum Dominorum, quibus ne quidem ulla Iuriſdictio in Communes per Angliæ Leges convenit. Neque ullæ extant exempla quod Domus Parium, umquam quicquam tale uſurpaverit, niſi ex ſpeciali commiſſione Regis ab ipſis Communibus inſtanter rogati.*

Menſe dein Septembri agi cœptum de copiis militaribus: lecta in Domo Communium ſententia Fairfaxii & Concilii Bellici: nimirum in Hiberniam mitti oportere ſex millia peditum & bis mille quadringentos equites, è ſupernumerariis copiis, quæ nullam partem exercitus faciebant: in Anglia retineri octodecim millia peditum & ſupra octo millia Equitum; illos octo denar, his duos ſolidos in dies ſingulos pro ſtipendiis ordinariis conſtitutis. Tenuit hæc deliberatio aliquandiu Indepentibus & Presbyterianis diſſidentibus & diverſas rationes afferentibus: Sed Independentes vicerunt.

XXIV *Demum Decemb.* 1647. *Utraque Domus per Commiſſarios miſit Regi (qui tum in Inſula Vecta*

arce

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

arce Carisbrooke *captivus detinebatur) quatuor Schedas (Anglis* Bills *) quas ut Acta Parlamenti probari petebant, & propoſitiones aliquot quibus aſſentiretur: quæ excuſa viſuntur una cum Majeſtatis ſuæ Reſponſis, pauca tamen dicenda de duabus Schedis.* 1. *decretum de Militia terreſtri & maritima in Regnis Angliæ, Hibernia, VVallia &c. Licet tantum loquatur de* XX *annis; ſpoliat tamen Regem, ejus hæredes & ſucceſſores poteſtate in Militiam, in perpetuum, ſine ſpe recuperandi per abrogationem decreti quod numquam futurum eſt in illius aut illorum poteſtate. Nam Primo dicitur:* Neque Regem neque ejus hæredes aut ſucceſſores aut quemquam alium, uſurum ulla Poteſtate ſupra Militiam in terra aut mari, ſed eos ſolum qui agent, per authoritatem & approbationem Dominorum & Communium. *Id eſt, Viginti aut triginta Commiſſarii Status, quibus Domus hanc fidem committent (nam fundamenta huius Commiſſionis iam tum ponebantur, licet tantum aliquanto poſt fuerit ſtabilita.) Secundo vetatur.* Regi, ejus hæredibus & ſucceſſoribus *&c.* Poſt exſpirationem XX annorum, exercere *ullam dictarum Poteſtatum, extra conſenſum dictorum Dominorum & Communium, & in omnibus caſibus, in quibus dicti Domini & Communes declarabunt ſalutem Regni ſitam eſſe, poſt exſpirationem* XX *annor. & decernent delectus &c. aut tributa &c. ſi Rex non conſentiat ejuſmodi decretis intra limitatum tempus, decreta illa tunc habitura vim Actorum Parlamenti. En hic fundamenta jacta, ſtatuta utriusque Domus æquandi Actis Parlamenti, ſi hoc concedatur in uno caſu, arripietur in altero, atque ita hi ſubverſores Religionis, Legum, & Libertatum, uſurpationem ſuam vertent in legalem Tyrannidem. Secundo, dat utrique Domui illimitatam poteſtatem delectus habendi, & duces eligendi, quales volent. Tertio & poteſtatem tributa &c. exigendi à quibusvis & quovis modo.*

Secundo: ſtatutum de transferendo utramque

Do-

Domum ad alium aliquem locum &c. *factioſis in utraque Domo & Exercitu dabit facultatem domos transferendi in aut prope Caſtra; ubi ij qui detrectant cum illis conſpirare neque commode neque tuto poterunt ſedere.*

III Ianuar. 1648. *In Domo Communium deliberatum de Regis reſponſis ad illas ſchedas & propoſitiones. Atque hic* Thom. VVrothe *conſueta ſua grandiloquentia dixit :* Bedlem *(ea eſt domus recipiendis fatuis Londini deſtinata) convenire furioſis, ſed* Tophet *Regibus : Reges noſtros ſuperioribus annis ſe geſſiſſe ut Bedlemitas humilem ſuam petitionem tres partes habituram.*

1. *Regem captivum includendum in aliqua Mediterranea arce ſub præſidio,*

2. *Conſcribere articulos ad Ipſum accuſandum & in judicio poſtulandum.*

3. *Rejicere Illum conſtituere Regnum ſine* Illo. *Non curare ſe quod regimen adſtruant, modo non ſit* ſub Regibus aut Diabolis. *Dein Commiſſarius Generalis* Iretonus, *(viſus proferre ſententiam Exercitus ſub notione multorum millium piorum, qui vitas ſuas devoverant ad ſubjugandum inimicos) ad hunc modum locutus eſt, Rex denegavit incolumitatem & protectionem populo ſuo, rejiciendo quatuor ſchedas; ſubjectionem populi tantum ſubordinatam eſſe protectioni Ipſius: hac denegata, poſſe & obſequium denegari & Regnum ſtabiliri ſine Illo, an hoc jam agi, poſt tam longam patientiam, ut deſerantur fortes illi viri, qui ſine regreſſu ſe devoverunt ultra quam poterant, & qui Parlamentum non ſunt deſerturi niſi ante ab illo deſerantur.*

Poſt longiorem diſceptationem, cum res jam vergeret ad Quæſtionem, accurrit Cromvvellus cum extremo agmine, & laudato valore, bono affectu & pietate exercitus, arguit. Expectari nunc, ut Parlamentum adminiſtret & defendat Regnum ſuis viribus & conſiliis, & non perſuadeat amplius populo incolumi-

tatem

tatem & regimen exſpectare à viro obſtinato, cujus cor Deus induraverit. Eos qui hactenus Parlamentum defenderunt à tot periculis ſui ſanguinis expenſa, porro fideliter & fortiter tuituros contra quoſvis opponentes. Nolite committere, *inquit*, negligendo veſtram & Regni ſalutem (in qua & ipſorum involuta eſt) ut opinentur ſe proditos, & deinceps relinqui furori & malitiæ irreconciliabilis inimici, quem ipſi veſtra cauſa vicerunt, Unde experturi ſint futurum ejus regimen inſupportabile & plenius vindicta quam juſtitia: ne deſperatio illos cogat incolumitatem quærere ab aliis mediis, quam à vobis. Quam exitioſa autem ea reſolutio illorum futura ſit vobis omnibus, horreo cogitare & vobis ipſis judicandum relinquo. *Obſerva quod ſub finem Orationis manus imponeret capulo gladii quo cinctus erat. Prima quæſtionum propoſita*: Utraque Domus deinceps nihil referet ad Regem aut illi ſe applicabit. *Domus Communium ita diviſa fuit ut* CXLI *affirmarent*, XCI *negarent; atque ita affirmativa obtinuit; cætera tria Vota facile ſecuta; quæ videre eſt impreſſa.*

Cum autem membra in Domo Communium concluſa fuiſſent ab hora nona matutina ad ſeptimam veſpertinam, fores apertæ, & permiſſi exire qui vellent, quo factum, ut multi Presbyterianorum deſcederent, opinantes conventum ſolvi: verum ſtatim (cum Domus jam infrequens eſſet) reſtauratum votum de Commiſſariis incolumitatis in Domo derbiæ, III Ianuar. 1647. *factum, & aliquot deputati illi adjuncti.*

XIV Ian. *Poſt longam diſceptationem ſtatutum, ut* Lewis Dives *&* Iohn Stowell *equites, &* David. Ienkins *ut proditores ſiſterentur & accuſarentur coram Banco Regis ut vocant, (quod eſt ſupremum Tribunal criminale) verum Sollicitator, cui hoc munus demandatum erat haud ignarus* Ienkins *magnum eſſe Iuriſconſultum, & non audens ſe cum illo comittere, prætexens errorem in diei dictione remiſit illum ad Par-*

lamen-

lamentum, accuſandum coram Dominis, ad quorum juriſdictionem provocaverat: atque ita ignominiam à ſe derivavit in Domos. Hora jam erat duodecima & multi Independentium clamabant, Surgamus, ſurgamus: *Presbyteriani itaque credentes omnia jam per acta eſſe, plurimi eorum diſceſſerunt ad prandium, verum* Independentes *perſtitere, & jam opportunum tempus rati, proponunt, literas derepente mittendas ad Fairfaxium, ut convenientem numerum militum mitteret in præſidium Albæ-Aulæ, & equeſtres copias* in Equile Regis. *Dominorum conſenſus haud petitus, ſed litera ſtatim ſcripta & miſſa.*

Obſerva autem copias illas jam in itinere fuiſſe antequam hoc Votum perferretur. Adeo omnia fraudulenter gerebantur.

XV. Ianuar. *Declaratio miſſa ab Exercitu, qua gratias agebant Parlamento pro quatuor illis Votis contra Regem, & promittebant*, ſe victuros & morituros cum Communibus, eoſque contra omnes adverſarios defenſuros. *Multi interea Dominorum valde fervide diſputarunt contra hæc Vota; ita ut Domus illa in duas partes æquales eſſet diviſa (intererant autem Domini omnino viginti) verum hæc declaratio Exercitus, & inexpectatum præſidium inductum in Albam Aulam & Equile Regium, lancem depreßit, ita ut hæc Vota perferrentur, addita tantum brevi præfatione, quæ nihil ad rem faciebat; cui & Communes aſſenſum præbuere. Et continuo circa horam duodecimam. cum conſeſſus eſſet valde infrequens, Dionyſius Bondus movit*, ut quicunque deinceps diſputaret contra quatuor hæc Vota, aut alios ad hoc faciendum incitaret, in carcerem conjiceretur; & bona illius ſequeſtrarentur. *Dominis quoque ab Exercitu gratiæ actæ. Hæc Vota generatim ſiniſtre accepta, & hominum animos variis ſuſpicionibus impleverunt: nec facile perſpiciebant, quam tandem regiminis formam hi Factioſi eſſent electuri, Rege ad hunc modum abdicato; & præſagiebant* novum Bellum:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

lum: *quod haud fruſtra credebant Independentes quærere, ut hoc prætextu retinere poſſent exercitum, & tributa pro libitu imponere ad illum alendum: ſed illi prævenientes accuſaverant diverſa membra Domus & cives Londinenſes quod novum bellum prepararent, cum tantum delectus habuiſſent ad ſeipſos defendendos.*

Primores autem Independentium, ut cauſas horum Votorum populo palam facerent, deputarunt aliquos, qui inquirerent in Regis converſationem & errores illius in regimine, eoſque per declarationem publicarent: in qua ipſi objecerunt longe graviſſima crimina, Patris ſui cædem, Rupellæ exitium, Rebellionem & homicidia Hibernorum, quæ poſt maturam diſcuſſionem in Domo, à Presbyterianis plurimum fuere mitigata. de hac autem declaratione hoc ſolum dicam: illos nihil novi attuliſſe, quod non ante publicaverunt, per partes; poſt quod tempus ipſi ſumpſerunt, & alios ſumere præceperunt, Fœdus nationale: in quo promittunt, ſe defendere velle Regis perſonam, coronam & dignitatem, ad conſervationem Religionis, Legum & Libertatis: & propterea ſolummodo eadem reponere, ut argumenta abdicationis Regis, ſapit magis perverſam intentionem, quam juſtitiam. Non pergo ulterius in cenſura hujus declarationis, ne, ſicut illi hac imbecilli accuſatione Regem potius juſtificarunt, ita ego deſpiti defenſione ipſi injuriam faciam,

Populus non minus improbabat hanc declarationem quam ipſa vota, quare Orator XXIV Febr. *valde ſerio protulit literas è Liceſtria Comitatu ſcriptas à* Thoma Haſlerigo (*Arthuri equitis fratre*) *quæ narrabant; quendam* Mr. Smallingh *deputatum Leiceſtrenſem, affirmare circiter viginti ab hinc annis, cum cauſa ageretur inter Comitem Briſtoliæ & Ducem Bunkingamium, de medicina præſumtuoſe exbibita à Duce Regi Iacobo; hunc* Smallingum *excepiſſe multorum teſtimonia, & porro plures teſtes examinaturum fuiſſe niſi Rex mandaſſet ſuperſedere & depoſitiones ſibi tradi: quod*

quod & fecerit : cuſtodiiſſe interea præcipuas notas, dubitante quid poſt illa adhuc poſſet accidere in re tanti momenti. Henricus Mildmay *eq. movebat, ut* Smallingus *accerſeretur & examinaretur à Commiſſariis qui declarationem illam conceperant, ſe Presbyterianis annitentibus, placuit ut coram Communibus in conſeſſu interrogaretur.* Smallingus *venit, & exhibuit quidem Regis mandatum, ſed nullas notas; & ita hæc Chimæra diſparuit. Quis novit quid Commiſſarii illi facturi fuiſſent? Liberet nos Dominus ab ejusmodi clandeſtinis examinationibus, præſertim cum fiunt ab infenſis partibus.* III *Caroli hæc cauſa ventilata fuerat & examen inſtitutum contra Ducem, nec ulla mentio facta intoxicationis aut cædis R. Iacobi, appellabatur tantum tunc,* actio ſummæ præſumtionis & periculoſæ conſequentiæ in Duce : *neque erat vel minima reflexio in R. Carolum, ſed nunc quia R. Carolus diſſolverat illud Parlamentum, factio Independentium ſatagebat ſuſpicionem movere contra Regem de obitu Patris: cum accuſatio Ducis Buckingamiæ,* III *Caroli, contineret ſeptem aut octo capita quorum ſingula potuerint Regem movere ad diſſolvendum illud Parlamentum,*

Hæc deſperata conſilia (diſhonorandi Regem; & reddendi illum inidoneum ad regendum, deſtruendi illius Perſonam, coronam & dignitatem & Monarchiam exſtirpandi) capta erant, ut Primores Parlamenti & exercitus, qui regiam authoritatem jam uſurpaverant, ſi non poſſent expurgare Domos, eaſqve in totum Independentes facere (de quo jam pene deſperabant) illam traderent in manus concilii Status in Domo derbiæ & Principum Exercitus. In quem finem machinantur illorum Commiſſariorum numerum augere & ſuſpendere Parlamentum: Presbyterianos dimittere in ſuas provincias ut ſi ibidem tumultus orirentur (qui propter extorſiones valde metuendi erant) illi in culpa fuiſſe viderentur; atque ita facilius è Domo everri poſſent, ſi non è vita; aut ſaltem bona

eorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

eorum ſequeſtrari; nam cum regiis partibus parum admodum ſit reliquum, aliunde novæ copiæ quærendæ quæ inſatiabili eorum avaritiæ ſatisfaciant: donec & ſe mutuo devorent; ſunt enim jam diviſi in puros Independentes & mixtos: Factioſi ſiquidem hi ſitientiſſimi auri & ſanguinis, inſtar Harpyiarum, ſi cibus defecerit, ſe mutuo invadent. Domus autem non convenient niſi ſemel in anno ad menſem unum aut alterum, ut approbant quæ Conſilium illud derbienſe, & conciliabulum exercitus dictabunt: & ut rationem reddant prædominanti factioni, quo pacto ſe unumquodque membrum in ſua Provincia geſſerit. Ita loco unius Regis, viginti aut triginta habituri ſumus Tyrannos principales, & totidem ſubordinatos: quot ipſis placuerit rebus agendis præficere ſub ipſis; cum ferreo jugo exercitus, ut nos arbitrario ſuo regimini mancipatos teneant.

Non obſtantibus hiſce quatuor votis, Grandes hi retinebant adhuc in Exercitu Asburnkamum & Barckleyum: mittebantque interea diverſos & perſonatos emiſſarios ad Regem, qui fingentes ſe muneribus impetraſſe aditum illum, ſe illi inſinuarent & falſis novis & deceptricibus argumentis conſtantiam Regis labefactarent & perſuaderent quatuor illa dethroniſantia Vota probare (nam uſurpatores hi ſupremæ authoritatis ſtudiebant armatam & violentam ſuam tyrannidem, in legalem mutare) aut ſaltem ſe declarare contra Scotorum ingreſſum in Regnum. Quo alterutro facto & debilitaret amicos ſuos, qui ſatagunt aureas habenas regiminis hiſce Phaëtontibus eripere & illi reſtituere; & ſe atque poſteritatem ſuam regno exueret in perpetuum; & ab illis circumduceretur pro libitu & coronaretur ludibrio Coronæ ſtipulis & ſpinis. Quis enim poteſt imaginari, viginti illis annis abſolutis, uſurpatores hos depoſituros quod tam injuſte, & contra omnes leges Divinas & humanas, & contra proprias declarationes, juramenta, fœdera, extorſerunt? aut quis poterit aut audebit illis
hanc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

hanc potentiam eripere, cum in conſuetudinem verſa fuerit? populi ſpiritibus fractis per habitualem ſervitutem; numeroſo exercitu & præſidiis undique incumbentibus, omnibus tribunalibus occupatis à corruptis judicibus; qui per coactas interpretationes Legum. ſanguinaria exempla ſtatuent in omnes bonos patriotas, qui auſi fuerint ſe huic Tyrannidi opponere? qui potuerint reperire chalybem ſatis acutam ad incidendam Cap. Barleyi *cervicem, quia tentaverat Regem liberare è manibus rebellis Exercitus, qui neque obſequitur Regi neque Parlamento, facile invenient aurum & argentum, quo corrumpant omnes Iudices, quos promoturi ſunt ut propoſitis ipſorum inſerviant. Sed ſperandum eſt illum habere plus regii & humani, quam ut ſuorum principiorum obliviſcatur, ut rurſus impingat in eundem lapidem, eidemque ſcopulo hæreat ad Serenum cantum: gnatus ſe habere filium in libertate, qui injurias ſuas poßit ulciſci, omnes Principes Chriſtianos fœderatos, maximos Angliæ & Scotiæ ſuos agnatos, & populum generatim (cujus ſummum ſtudium fuit conſervare Leges & libertates, & tueri Parlamentum ne armis ſubjugaretur) indignabunde intuentem hos ſeductores, qui per gradus inſenſibiles & plurimas fallacias ipſum longius perduxere, quam intenderat, non* ad defenſionem Religionis, Legum & Libertatis, *ſed ad erectionem* Schiſmatum, Commiſſariam Legem, Martialem legem, accuſationes coram Dominis, & illimitatam ſervitutem.

Confido autem Factionem hanc deſperare ſe quicquam impetraturos à Rege, qui inſtar ſcopuli, mediis tutiſſimus undis; *quidquid dicant in contrarium, qui ab initio mendacia refugium ſuum fecere: quod cum Rex prudenter animadvertiſſet, mißionem ad utramque Domum deſtinavit (per viam præventionis) quæ tradita fuit à D. Lauderdalio, deputatorum Scotiæ uno; quæ tria capita continebat.*

1. Se invitum abductum ab Holdenby,

2. Ut

2. Ut tuerentur honorem & privilegia Parlamenti.

3. Ne crederent ulli miſſioni, ut venienti à ſe, quandiu eſſet in arcta cuſtodia Exercitus, ſed ſolum crederent iis quæ accepturi erant è proprio ſuo ore. *Grandes illi jam diu fefellerunt Regnum, & nuper denuo tentarunt fallere urbem, ſed fruſtra. Verum Rex jam ſæpius ab illis fuit deceptus, & cum illum in arcta cuſtodia teneant; fortaſſis illi perſuadere conabuntur ad ſalutem illius facere, ut adhuc ſemel ſe decipi patiatur: Quapropter (non obſtantibus tot machinationibus, ad eradicandum Monarchiam, deponendum Regem ipſiusque poſteros, & uſurpandum illius poteſtatem, in quem finem illum & omnes ſuos, innumeris calamitatibus & opprobriis obruerunt) poſt jam editam declarationem contra Regem, deſperata ipſorum conditio permovit illos denuo clanculum cum illo agere & conferre, licet illa quatuor Vota pœnam perduellionis, contravenientibus minentur.*

Sed Cromwello *tam naturale eſt prodere, quam falſo accuſare, proteſtari & mentiri. Eſt enim Proditor in ſuperlativo gradu, ita ut leges illum nequeant coërcere. Tribunus militum* Lylburnius, *accuſavit illum multarum proditoriarum actionum, coram pleno conſeſſu Communium quas & recepit in ſe probare; verum, quaſi* Cromwellus *eſſet proditor* cum Privilegio, *Domus Communium (ſub armatis illius præſidiis conſtituta) non auſa fuit cognitionem ſuſcipere. Verum Romanus Tribunus recte dicebat Scipioni Africano (apud Livium)* Qui jus æquum ferre non poteſt, in eum vim haud injuſtam fore. *Ut concludam,* Cromwellus *nuper Farnhami privatim collocutus eſt cum* Hammondo. *Comes Suydthamptoniæ rogatus ut tractaret cum Rege, oblato utriuſque Orationis VVarranto. Capitaneus quoque* Titus *in gratiam receptus & ad hoc adhibitus.*

Deputati Scotiæ v. *aut* vi Ianuar. 1648. *miſerant literas ad Domum Communium; in quibus, facta men-*

mentione Votorum, poſcebant ſibi exponi Utrum Domus, per Vota ſua: quod nemo omnino præſumat facere aut recipere ullam applicationem aut relationem, ad aut à Rege; etiam velint Scotos à Rege arcere, atque illum incapacem reddere ad perficiendum actus regiminis erga eos. *Inter diſceptandum,* Independentes *vocabant in memoriam, antiquius Votum, quo ſtatuebatur,* Scotos ad Regem adimiti poſſe: *contra quod allegabatur,* poſtrema hæc Vota, generaliter facta, ſine ulla exceptione, ſuperius illud Votum abrogare. *Poſtremo per interpretativum Votum concluſum fuit,* Quod non obſtantibus quatuor poſterioribus Votis, prius Votum, quo Scoti ad Regem admittebantur, adhuc valeret. *Obſerva hoc factum quatuor aut quinque dies poſtquam deputati Scoti ſe jam paraſſent ad reditum in Scotiam.*

Altera litera agebant de 100000 *lib. quæ per contractum debebantur Scotis à Parlamento Angliæ: quarum* 50000 *lib. per aſſignationes ſolvendæ erant diverſis Scotis, qui nummos impenderant ad maturandum Scotorum exercitum ad noſtrum Concilium, quorum* 10000 *lib. ſolvendæ erant Comiti Argylio. Hic,* Hen. Mildmayus, *longam orationem habuit, in laudem Argylii, inquiens,* Illum & illius factionem, & clerum Scoticum, ſolos eſſe qui in Scotia Anglicam factionem ſuſtentarint, & magis nobis amicos fuiſſe quam reliquam Scotiam: quare ſuadebat, ut Argylio iſtæ 10000 lib. ſolverentur & reliquæ mutuæ retinerentur, ad VIII per centum. *Continuo tota Independentium turba, cum magno zelo & pauca prudentia, pedibus ibat in hanc ſententiam, donec moderatiores obviam irent, ſuggerentes quantam ignominiam & periculum allaturi eſſent amico ſuo, & expoſituri illum ſuſpicioni. Poſt illa concluſum, mittere quatuor Communes & duos Dominos in Scotiam; ut Deputatos cum mandatis: Mittere omnes Independentes, haud acceptum fuiſſet,*

ſet, itaque duo Presbyteriani miſsi (quorum unus delibutus dono 1000 lib. & officio, antequam audernet illi fidere) & cum ipſis duo concionatores Mr, Hearle & Mr. Marſhall.

XXIV Februar. deliberari cœptum ex parte de Reſponſo ad declarationem Scotorum; in qua diſceptatione Nationale fœdus parvi factum à multis & appellatum Almanach extra datum: Nat. quoque Fiennes in arguendo contra illud, dicebat clauſulam illam in Fœdere (ad defendendum Regis perſonam, coronam & dignitatem &c.) nequaquam poſſe conſiſtere cum IV. Votis; de nihil amplius referendo ad Regem &c. ad quæ à nonnullis reſponſum fuit, velle ergo ſe Vota illa omittere, & fœderi Nationali adhærere.

Circa prtncipium Martii, data Col. Sydenham & Byngham 1000 lib. ſingulis, in partem ſtipendiorum ipſis debitorum; rationibus illorum nondum ſubductis, D. Borghill 2000 lib, Mr. Fenwick 500 lib. pro damnis toleratis. Mr. Millington 2000 lib. pro damnis Col. Ven 4000 lib. licet moneretur, par fuiſſe ut ante rationem redderet contributionum, ſpoliationis regionis circa VVindſor, & direptionis ſupellectilis Regiæ. Mr. Pury præter 1000 ltb. officium quantivis pretii; & filio ejus 100 lib. per annum; omnibus Independentibus.

VII. Martii Olivero Cromwello donatæ è terris Marchionis VVorcheſtriæ 2500 lib. annuæ: quæ ut fertur, valent 5000 aut 6000 lib. per annum, Vides, licet Reg. Carolum haud fecerint glorioſum Principem, ut promiſerant, tamen Oliverum fecerunt tam magnum & glorioſum Regem, quam umquam fuerit Joannes Leydenſis: Ut mirari non poſsis eos conſpirare ad retinendum Exercitum, tam ut tueantur liberalitates has, quam capita ſua.

IX Martii, Domini miſerunt ad Domum Communium, rogantes ut probarent obligationem illam Membrorum quæ fugerant ad Exercitum, qua voverant,

ſe victuros & morituros cum Exercitu. *Diſceptatum tota illa die uſque ad ſeptimam veſpertinam, & tunc quæſtio propoſita*; An Domus probaret dictorum membrorum ſuſcriptionem ad obligationem Exercitus? *Centum affirmabant*, XCI *negabant. Obſerva primo, Mr.* Sollicitatorem, Haſlerigum *& plures alios, cum viderent difficulter perferri poſſe, cœpiſſe longis ſuis gladiis denuo pugnare: & quidam ajebant*, ſatisfaciendum tam illis qui extra erant (*puta Exercitui*) quam qui intra, alioqui rem diſcrimine non carituram.

Secundò; eorum membrorum de quibus agebatur XL *interfuiſſe huic deliberationi, & tuliſſe ſententiam in propria cauſa: & erant quoque multi qui non audebant ferre negativam. Tertiò, multos Presbyterianorum jam exceſſiſſe è Domo, quia ſerum erat; Quartò, hanc obligationem jam ante ſemel atque iterum miſſam fuiſſe à Dominis ad Communes, ſed rejectam: & nunc rurſus obtruſam à Dominis, qui nolebant acquieſcere, contra privilegia Domus Communium. Quinto; approbationem ita ſurreptitie acceptam, parem eſſe petitioni indemnitatis ante convictionem, quæ ſecundum Leges eſt inſtar confeſſionis criminis. Sexto Agitatores fatentur*: Hanc Obligationem miſſam ad Communes, ut tentarent temperamentum Domus, quæ ſi non probaſſet illam, concluſum fuiſſe in ſecreto Concilio, confugere ad arma, & novum impetum facere in præcipuos opponentes. *Siquidem agnoſcunt, ſe tantum regnare, per vim*, & Domum Communium haud diutius pro ſua agnoſcere, quam jugum patienter ferat *&c.*

Poſtremus conatus fuit, omnium intereſſe, in Domibus, urbe, Exercitu, unire: In quem finem Cromwellus (*graviſſimus; viliſſimus & maxime ridiculus Tyrannus, eorum, ſub quibus umquam nobilis hæc noſtra Natio gemuit*) *Orationem in Domo Communium habuit: ad quam reſponſum fuit*, Membra ele-

cta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

ſta eſſe à populo ut promoverent Intereſſe commune, *id eſt commune bonum*, ſalutem & Libertatem populi: & ſiquis habeat aliquot peculiare Intereſſe excentricum ab illo, non eſſe idoneum qui ſedeat in illa congregatione & mereri ut vocetur ad ſtrictam rationem fidei commiſſæ reddendam. *Obſerva interim, molitionem hanc conjungendi hæc tria Intereſſe, comparatam fuiſſe, ad ſuſtentandam potentiam eorum qui in Parlamento, urbe & Exercitu dominabantur; nam in tribus illis vulgaris multitudo, & modeſtiores atque honeſtiores tantum ſunt ejuſdem conditionis cum cæteris: Parlamento ferente authoritatem, Exercitu gladium, Vrbe Marſupium. Sed placuit Deo largiri Vrbi tantam prudentiam & integritatem, ut cum* VIII *Aprilis* 1648 Cromwellus *& illius Socii objicerent hanc tentationem in Senatu urbico: Vrbs jam cautior facta, quam primi noſtri parentes, rejiceret ſerpentem & illius ſubtilitates; ita ut* Cromwellus *irritatus hac repulſa, ſollicitatorem ſuum* Gloverum *interrogaret*, qua authoritate obtuliſſet illis reſtitutionem Turris & militiæ & relaxationem Aldermannorum accuſatorum? *qui reſpondit*, ſe hoc feciſſe ipſius authoritate, *& protulit* VVarrantum *ad hunc finem ſignatum à Fairfaxio, Cromvvello, Sollicitatore &* Henrico Vano *juniore*; *quod* Cromwellus *qua eſt impudentia, arreptum retinuit.*

Cromwellus, *tentaverat jam ante Civitatem per agentes ſuos* Gloverum *&* VVatkins, *& invenerat illam ſibi renitentem: quapropter (non ſolum præcipitis, ſed & implacabilis malitiæ) cum conſilio Commiſſariorum Domus derbienſis rationem inivit cum Schiſmatico D. Majore* VVarnero, *qui ridiculum illum tumultum concitaverat, die natali Domini ob roſmarinum & laurum; quique electus fuerat à Parlamento, extra ordinem ad promovendum Machinamenta factionis) & cum Locum-tenente Turris, qua urbem commoverent, atque unde occaſionem opportunam*

ſuis molitionibus arriperet. Cumque animadverteret cives minus opportunos ſuis inſidiis, Apprenticios juvenes provocare ſtatuit ad temerarium quid agendum, è quo occaſionem nanciſci poſſet ioti urbi inſultandi.

IX Aprilis, *die Dominico, cum plures Apprenticii, ut moris eſt, luderent in* Moore fields, *Major mittit Capitaneum* Galeum *(unum novorum Capitaneorum, qui fugerat è prælio ad* Newbery Marſh *& abſconderat ſe in foſſa, ut D.* VVhartonus *in prælio ad* Keynton *) ut illos inde fugaret, cum 50 aut* 60 *urbicis militibus & non pluribus, (quo magis animaret pueros ad reſiſtendum illi) qui contemtim illos interrogans*, quid ibidem agerent? *quidam eorum reſponderunt*, ſe nihil mali facere, tantum ludere, & ſiquidem omnia feſta eſſent abrogata, non habere ſe aliud tempus quo ſe recrearent. *Capitaneus inſolenter imperavit*, ut diſcederent; *illi autem reſponderunt*; illum non habere authoritatem ad hoc imperandum, *& pergebant ludere: Capitaneus mandavit ſclopetariis ut ſclopeta ſua excuterent in eos: quod cum non facerent, ipſe arripuit ſclopetum & exploſit in illos, ut & alii duo aut tres Schiſmatici ſclopetarii, & occiderunt (aut ut ajunt ſchiſmatici, vulnerarunt tantum) unum illorum: ad hæc cum pueri magnum clamorem excitaſſent, plures accurrerunt, & lapidibus atque ſtipitibus diſturbarunt milites: & cum vexillo eorum eſſent potiti, pueriliter ovantes, & ut erant inermes, moverunt verſus Equile Regis; cum ſubito turma equitum (ad id jam ante parata) illis obviam venit & facile illos fugavit,* Cromwello *ipſo animante equites, ut nullis parcerent, neque viris, neque fœminis, neque pueris. Tota illa nocte ſe Apprenticii conglobatos tenuerunt in urbe, clauſerunt portas, ſed nullos excubitores appoſuerunt; ut ſatis appareret, tantum eſſe temerariam & inpræmeditatam puerorum veſaniam, non conſilium virorum: quantumvis Independentium factio in Domo Communium factum valde exaggeraverit; ut colorem quæreret ſubſecuturæ*

crude-

crudelitati & rapinis in urbem. Die Lunæ mane Fairfaxius miſit validas copias in urbem, quæ impetu facto in puerilem hanc turbam, fugarunt & cæciderunt multos, etiam fœminas prægnantes, & alios: quæ ſe inferebant, vociferantes, Cuculi*!* continete vos ædibus; *& obvios quoſque vulnerantes:* Cromwello, *(qui poſtremum agmen ducebat, ſatis tuto, cum primum agmen jam plateas ſecuras feciſſet) inclamante ut urbem incenderent. Ohe* Oliveri*! quam barbarus* Joannes à Leyda *es factus? Ohe Londinum? quam miſerum Monaſterium es futurum? denique miſeros & inermes hos pueros fugarunt in* Læden Hall, *plures eorum captivarunt, nemine civium prodeunte aut ſe movente, ſed militibus permittente ſanguinarium & puerilem de illis triumphum, qui jam carcerati ſunt in Alba Aula. Hæc eſt veriſſima hiſtoriæ ſeries, non obſtante prolixa & mandaci relatione Aldermanni* Foukes, *ad Communes. Quì vir, miſeris hiſce temporibus ſatis laute ſibi providit, & plurimum publicæ pecuniæ detinet; & cum rationes ſuas Commiſſariis rationum offerret, voluit illas dare ſub jurejurando, (ut ab aliis fiebat) allegans* Magnam Chartam, quod nemo teneretur ſe ipſum accuſare. *Videtur ſibi conſcius fuiſſe alicujus facti, quod examen jurisjurandi ferre non poterat: ſed eſt unus Piorum, & propterea* omnia Mundi bona ſunt ipſius. *Domus Communium (hac occaſione) donavit militibus ob hæc fortia facta* 1000 *lib. & decrevit* 1000 *ped. &* 100 *equites ad præſidium Turris Londinenſis: præſidiariorum numerum in Alba aula & Equili Regis augeri: cathenas in urbe à poſtibus revelli; & deputatos Iudices ad plures pueros legaliter occidendos. Quin & dies conſtitutus publicæ gratiarum actioni. Non enim pudet hos Sanctos, ſanctum Dei nomen profanare impiis devotionibus, ut colorem addant ſuis molitionibus.*

Baro Inchiquinus, *præſes Munſteriæ in Hibernia, & generalis ibidem exercitus, longo tempore impetitus fuerat ab Independentium factione.* Lyſleus *(qui*

muneri illius inhiabat) Iohn Temple, Cromwellus, Broughillus, Arthurus & Adam Loftus, & alii. *Strenue hoc egerant, impediendo omnia ſupplementa pecuniæ, apparatuum bellicorum, commeatuum, veſtium: nitebantur enim turbare & diſſolvere illius exercitum, ut liceret mittere Schiſmaticos ſuæ factionis, qui dominarentur ibi, ſicut illi hic, & Hiberniam ſervarent ad refugium Sanctorum: atque ut hoc facilius perficerent, miſerant multos emiſſarios, eoſque illi commendarant, ut eſſent officiarii in illius Exercitu. Quod cum illis non ſucceſſiſſet, ediderunt ſcandaloſos Articulos contra illum, & infinitis modis illum provocarunt, ut incitarent illum ad faciendum, quod falſo accuſabant jam feciſſe. Verum multa fortia illius facta poſt publicationem horum Articulorum, mendacii arguebant ejus adverſarios & confutabant omnes eorum calumnias: denique (ſub prætextu mittendi ſupplementum militum) nitebantur illum intercipere & captivum abducere: ita ut paſſus fuerit omnes convulſiones, quas falſi amici & malitioſi inimici poſſent infligere. Poſt illa (quo magis ſecreto res gereretur) miſſi tres Commiſſarii in Hiberniam, qui in actiones illius inquirerent: verum (quaſi ex compoſito res geſta eſſet) cum Commiſſarii Briſtoliam veniſſent, circiter* XII. *apoſtatæ oficiarii illius Exercitus, illis occurrentes, ipſos retro duxere. Hi feſtinarunt ad Parlamentum ante Commiſſarios; &* XIII *Aprilis Domus Communium retulerunt: Baronem Inchiquinum, ab expeditione in Comitatum Kerryæ reverſum, hos officiarios vocaſſe in cubiculum ſuum, iiſque dixiſſe,* ſibi propoſitum eſſe ſe declarare contra Exercitum & Independentem factionem in Anglia, qui Regem ut Parlamentum detinerent ſub violentia: ſe velle ſtare pro libertate Regis & Parlamenti, & libera collatione ad Pacem conſtituendam: exſpectare ſe, quod omnes officiarii ipſius conſpirarent cum ipſo, ad tam honorabilem conatum; ſed petere ſe ut præſtarent juramentum

tum taciturnitatis, antequam cætera ipſis aperiret. *Ipſos reſpondiſſe:* ſe non poſſe jurare antequam intellexiſſent, an ſalva conſcientia poſſent ſervare: Se velle fideles eſſe Parlamento. *Inchiquin.* Ita & ego fui & ero: ſed ne ludite me ambignis verbis. Num intelligitis prætenſum hoc Parlamentum? *dixiſſe illum præterea; ſe correſpondere cum Presbyterianis in Anglia & Scotia, tam in Parlamento, quam extra: non dubitare ſe quin conatus ſui bene ſint ſucceſſuri; ſin contra, bonas conditiones impetraturum ſibi & ſuæ parti. Se pacem velle facere cum Barone* Taffio: *& noſſe ſe, Independentes Angliæ in eo eſſe ut tractent cum* Owen Roë Oneal, *viro ipſis ſimillimo, & qui ſtudeat bellum alere. Cum autem refutarent, ſe cum ipſo conjungere, dimiſſos eſſe in Angliam. Eadem die & literæ* Ioh. Crowtheri *Vice-Ammiralii maris Hibernici, lectæ in Domo Communium, in eandem pene ſententiam, licet non ita amplæ, quibus perſcribebat,* ſe pene omnes portus Baronis Inchiquini navibus obſeſſos tenere.

Continuo Allenus *aurifex movit, quandoquidem Baro Inchiquinus declaraſſet, ſe correſpondere cum Presbyterianis in Parlamento, antequam agerent de inimicis foras, explorandum eſſe qui eſſent inimici intra Domum, adigendo omnes ad aliquod fœdus, obligationem aut proteſtationem, &c. Et* Cromwellus *inſit, ſiquidem craſtino mane diſceptandum erit de hoc negotio, author eſſem ut ii, qui contrariis argumentis conabuntur actionem producere & retardare Proceſſus, nigro carbone notentur: cui reſponſum fuit, hoc tendere ad tollendum libertatem opinandi quæ eſt* anima *Parlamentorum & omnium conſultationum, & deſtructio ipſius eſſentiæ Parlamenti.*

XIV *Aprilis, ſuggeſtum fuit, Bar. Inchiquini filiolum octo aut novim annorum, Thiſtelvvorthæ Scholam frequentare, hunc obſidis loco in Turri cuſtodiendum. Verum reſponſum fuit, neminem poſſe dare obſidem: oportere obſidem dari ſub publica fide & quadam ſti-*

pulatione, & ita recipi, mutuo conſenſu: iniquum eſſe puerum puniri ob Patris delictum: nihilo ſecius miſſus fuit in Turrem. Baronis Inchiquini commiſſio revocata & ipſe perduellis declaratus: licet nemo juratus fuiſſet examinatus, aut quiſquam in Hiberniam miſſus ad inquirendum: Capitalis autem illius inimicus Liſlejus *in locum ejus ſurrogatus: & fugitivi illi officiarii remunerati, quaſi acceptiſſima nova attuliſſent. Poſt illa* Reynoldus *in ſcenam reduxit quod* Allenus *ſuperiori die propoſuerat de novo fœdere, &c. & declarandum*, liberum hoc eſſe Parlamentum, & ſe velle vivere & mori cum hoc Parlamento & exercitu. *Reſponſum primo, Statuto utriuſque Domus omnibus injunctum ſubſcribere Nationali fœderi: hoc eſſe verum Lydium lapidem Parlamenti, de quo convenerint ſapientes utriuſque Nationis. Multi hic ſedent qui nolunt obedire huic Statuto; nulla itaque ratio eſt cur quis obediat vobis in aliquo ſtatuto hujus naturæ: obſervemus primo vetus, antequam inſtituamus novum. Secundo, motum fuit in hac Domo, Iuramenta Iuſtitiariorum Pacis & Vicecomitum Provinciarum abroganda eſſe, ſpero vos nolle tollere legalia juramenta, ut ſubſtituatis illegalia. Hæc Domus non habet authoritatem adminiſtrandi juramentum, multominus imponendi: æquum eſt vos aliis concedere eam Conſcientiæ libertatem quam vobis poſtulatis. Tertio* Grayus *affirmavit vobis, Bar. Inchiquinum dixiſſe, ſe correſpondere cum Presbyterianis in Domo, qui pacem fecerint cum Rege: ſed & Independentes tractare cum* Owen Roë Oneal: *purgent ſe hi prius, antequam illos vocetis ad examen, ne actus horum vis videatur. Quia verus Lydius lapis probandi integritatem uniuscujuſque, examinare quinam ditiores evaſerint per temporum calamitates, & vobis ſerviendi; & qui contra inopes ſint facti. Denique hæc nova machinatio ad evertendam Domum. Interea Grandes Domus partiti ſunt Regnum inter ſe, quique in ſua partitione protegentes deputatos terræ, & tributa ab*

illis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

illis capientes ob talem protectionem: & Prideaux cum ſit Rex VVeſt-Saxoniæ, ejus Vice-Rex & Deputatus in Comitatu Sommerſettenſi, diſcurrens ille Colonellus Io. Pynius, ſæpe inſpiratus vino Hiſpanico, regit Deputatos provinciæ per inſpirationem. Pynus ergo cum ſuis ſequacibus, ut probaret ſe ſuperioribus ſuis, petitionem adornavit contra Regem ſubſcribendam ab incolis: qua gratias agunt Parlamento pro quatuor illis Votis contra Regem; & promittunt ſe victuros & morituros cum Parlamento & Exercitu; petuntque Comitatum liberari à malignantibus, neutris, & Apoſtatis: quo (ipſorum interpretatione) intelliguntur Presbyteriani & viri moderati, qui nolunt ſaltare circum pyram quam Independentes accenderunt in Regno. Orientalis partitio Comitatus Somerſettenſis rejecit petitionem: in Occidentali partitione, cum Pynus & ei ſimiles, miſiſſent petitionem per ſequeſtratores ſuos, minantes ſe pro malignantibus habituros & ſequeſtraturos eorum bona, qui refutaſſent, multas ſubſcriptiones nacti ſunt: verum qui ſubſcripſerant, melius informati, de periculo & improbitate votorum retractarunt illa per contrariam petitionem, in qua declarant, ſubſcriptionem ſuam ad priorem petitionem adverſari ſuo Iudicio & conſcientiæ & extortam ipſis ſequeſtratorum terrore & minis. Hæc igominia punxit Deputatos & aperuit oculos regioni, quemadmodum ſimilis fatuus intentatus, Henrici Milmay oculos Comitatus Eſſexiæ. Quapropter ut aliquod emplaſtrum reperiretur huic malo, Sergeantus VVildius (qui ſuſpendit cap, Burleyum) percurrens has partes operam dedit ut congregaret conventum magnum Iuratorum Schiſmaticorum ſequeſtratorum, qui numero XIX ſubſcripſerunt petitioni: quam ille magna gravitate & comta oratione exhibuit. Hoc magna attentione Sanctorum & voluptate ſingulari andita. Colon Purefroy eadem egit in Comitatu VVarvvicenſi; Arthurus Haſlerigus circa Novum Caſtrum, alii aliis lo-

 cis.

cis. Miſera fulcimenta labantis authoritatis. Sed pergamus.

Veneris XXI *Aprilis ſtatutum oblatum Domui Communium* ad compeſcendum omnes tumultus & inſurrectiones: (*deputati Domus Derbyæ jam ante amplam acceperant poteſtatem contra hæc:*) *verum reæ conſcientiæ, licet ſatis tutæ, numquam ſunt ſecuræ;* (*inſtar* Caini, *metuunt ne quivis obvius ipſos cædat.*) *Perlatum fuit poſt aliquot emendationes, in hunc modum: aliquos tres Commiſſarios habituros* poteſtatem incarcerandi & ſequeſtrandi omnes qui actualiter adhærebunt alicui eorum quo monebunt aut incitabunt movere Tumultus & Inſurrectiones, aut loquentur aut edent, quod ignominioſum ſit Parlamento. aut eorum actionibus. *Videte quæſo, hic taxam impoſitam (parem valore omnibus quæ poſſides) cuivis levi verbo; ad ruinam ſuam & poſteritatis; ſub prætextu defendendi* Leges *&* Libertates, *&* proprietates, *redacti eſtis in meram & abſolutam ſervitutem & mendicitatem: ne quidem licet queri.*

Nemo impriſonetur aut diſſeiſietur niſi per legale Iudicium Parium ſuorum. *Feciſtis populum fundere abunde pecuniam & ſanguinem, prætextu defenſionis Religionis, Legum & Libertatum, fruantur nunc demum eo quod tam care emerunt: & ne differte eos prætenſa neceſſitate quam ipſi inveniſtis omnia quæ ipſi cara ſunt, obnoxia facitis tribus Commiſſariis, qui judicaturi ſint & executuri pro libitu, ſine Lege aut aliqua formalitate illius; & tamen utraque Domus Parlamenti ſæpe promiſit abolere hos Commiſſarios, homines quorum improbitatis & ſtultitiæ ipſos & totum Regnum merito pudet.* Vale Anglica Libertas.

De-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Declaratio Publica

Celſorum Præpotentumque DD. Ordinum Generalium fœderatarum Belgij Provinciarum; Qua continetur vera narratio ſinceri eorum animi, & legitimarum procedendi rationum in Tractatione cum Extraordinariis Legatis Commiſſariiſque illorum, qui Regimini Angliæ præſunt, tam Hagæ-Comitis, quam Londini inſtitutâ;

ACINSUPER,

Iniquarum violentarumque procedendi rationum, quæ iidem iſti, qui prædicto Regimini Angliæ jam præſunt, uſi ſunt: quibus iiſdem celſis Præpotentibuſque DD. imperata neceſſitas eſt via retorſionis ſtatum pacemque Imperii ſui, ſubditoſque ſuos, adverſus iſtorum vim ac injurias defendendi.

MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS ex auctoritate publica Latine reddidit.

JUXTA EXEMPLAR

Hagæ-Comitis, Typis Viduæ ac Hæredum *Hillebrandi à Wou*, Ordinum Generalium Ordinarii Typographi. Anno 1652.

Cum Privilegio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Declaratio Publica.

ORdines Generales Fœderatarum Belgii Provinciarium, omnibus hæc lecturis, aut legentes audituris, Salutem. Cum iis, quibus ſuprema Reipublicæ cura Dei omnipotentis providentia demandata eſt. ut ſubditorum bonum pacemque tueantur ac conſervent, id vel inprimis agendum incumbat, ut non tantum eoſdem moderate civiliterque, & præſcripta imperataque legitima domi diſciplina regant, adeoque ſapientia omni providentiaque præveniant avertantque ea omnia, quibus eorundem ſubditorum pax foris turbari, & injuriæ ac damna haud dubie inferri poſſe Intelliguntur: eumdemque in finem non laudabile modo omninoque probandum, ſed & utile inprimis adeoque neceſſarium ſit, ut aliarum, inprimis vicinarum proximarumque ditionum Principes, Rectores, Proceresque quibuſvis gratis debitiſque Officiis, obligent ſibi ſuiſque ac obſtringant, quo pax tranquillitaſque gentium, & mutua inter eas, nec interrumpenda Societas, amicitia ac fides immota ſic conſtent: prætereaque, ut controverſiis forte nonnullis oblatis, in eam curam unice & omni ſtudio diligentiaque incumbant, ut eædem modis omnibus agendi commodiſſimis, pacatis, amiceque, ut oportet inter ſocios Fœderatoſque tollantur ac componantur; ſed & ad eorundem curam munuſque id quoque pertineat, ut, neceſſitate oblata, neque alia extricandi expediendique ſeſe dante ratione, magno conſtantique animo, & fortiter ſtrenueque, omnibus Dei beneficio acceptis copiis præſidiiſque uſi, etiam vi armorum, vim omnem injuriaſque omnes à cervicibus ſubditorum ſuorum avertant ac depellant, adeoque ut contra fas illata

illata omnia iis damna ac incommoda reſarciantur, procurent.

Et nos noſtrarum hæc omnia partium, noſtræque curæ ſemper eſſe judicaverimus, agendaſque Deo gratias habeamus, quod his ſtudiis Officiisque noſtris adeo bene fecerit ac faverit, ut hanc noſtram pro ſubditis noſtris curam continuam, providentiam, ſollicitudinem, ac fidem, horum ſingularis teſtatuſque in nos amor & promptum ſemper paratumque obſequium exceperit; quæ duo conjuncta, pro noſtris pariter & eorum commodis, ſecuritate ac ſalute plurimum facere hactenus intelliguntur? Nos non modo amicitiam commerciumque quod ab antiquis retro temporibus Nos inter Angloſque fuit, Nos certe quod attinet optima & infucata ac ea quæ ſanctiſſima eſt fide coluimus, ſed & Anglorum ea gente, perturbatis nuper admodum confuſiſque domi rebus, ſciſſa in diverſa ſtudia, & factionibus maximo partium ſtudio commiſſa; non modo dolentes commotique hæc inſpeximus, ab omni omnino partium ſtudio, quo his illisve favere addictique forte videremur, alieni, ne vel hæc, vel illa, aut quæcunque alia, ſiniſtræ adverſæve in nos noſtroſve ederet, aut edere etiam poſſet, voluntatis ſignificationem: Ex adverſo vero, quantum fieri à nobis potuit, rationem viamque conſilii iniimus obtulimuſque, adeoque cavimus noſtra ex parte, quo neque excitatum jam incendium ali, neque accepta jam vulnera ac damna augeri & majora accipere incrementa poſſent, neque eorumdem malorum remedia difficiliora magiſque periculoſa offerentur.

Ad hæc, diffidiis nonnullis in ditionibus ejusdem Nationis obortis, ex quibus & vaſtitas, & pauperies, & fames enatæ erant, ſingulatimque ab Utraque, quale tunc erat, Parlamenti curia rogati compellatique, eum in finem ut in noſtrarum

Eccle-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Eccleſiis ditionum æs publice Colligeretur, quo artritis afflictiſque admodum plurimorum Egentium rebus in dictis jam ditionibus conſuleretur, ſolatiumque adeo & auxilium offeretur: Nos, benevolique ac miſerentes ſubditi noſtri, ſignificatis prædictis calamitatibus ac malis, intimis viſceribus commoti, & ſenſuum cogitationumqne quadam quaſi teneritudine velut Patientes cum patientibus, Chriſtianiſque omnibus officiis uſi, effecimus, ut ingens æris ſumma, in aliquot centenorum florenorum millia excreſcens conferta, tranſmiſſaque in prædictas ditiones, memoratumque jam finem, ſint, quæ propter Utraque Parlamenti Curia, litteris ſuis ea de cauſa datis, agendas Nob s gratias, addita multa ſui in Nos, ut quidem videbatur, affectus ſignificatione (quam & eorundem tunc publicus Miniſter ſermone, quoque, & ex eorundem auctoritate ac mandato profeſſus teſtatusque eſt) judicavit.

Cumque, iis omnibus præſtitis jam officiis exhibitiſque, nondum ſatisfeciſſe nos ipſi ſingularibus noſtris in eos ſtudiis propenſæque voluntati judicaremus, quo tandem aliquando memoratis jam diſſidiis, & obortis ex iis malis ac calamitatibus ſincera fidaque partium animorumque, acriter graviterque inter ſeſe commiſſorum, procurata reconciliatione, finis imponeretur; ſperantes ac confidentes, poſt edita hæc pronæ noſtræ in eos ſinceræque voluntatis documenta, neque ingratam, neque etiam inidoneam operam noſtram in hoc tam egregio & magno opere promovendo futuram, noſtræ id curæ eſſe voluimus, ut decreta extraordinaria ad Regem & Parlamenti Curias legatione, qua D.D. *Gulielmus Boreel* & *Iohannes van Reede, Renswoude Dominus, &c.* functi ſunt, quid impetrari obtinerique poſſet, experiremur. Cæterum cum Deo Opt. Max. cujus abdita & imperſcrutabilia ſunt judicia, viſum haud eſſet, mu-

tua

tua partium reconciliatione finem facere prædictorum motuum ac turbarum, ſed viis modiſque aliis ita rerum faciem ſtatumque convertiſſet, ut Anglicani Regimen Populi jam alia quam hactenus ratione adminiſtraretur.

Cumque ab illis ipſis Regentibus, ſpecioſo admodum prætextu, oblata nobis eſſet Tractatio, qua de mutua ſocietate, & arctiore quadam confœderatione ageretur, ac nos bona fide crederemus, bona etiam fide, adeoque ſincere geri hæc omnia atque offerri: Cumque probe etiam intelligeremus, hac ratione pacem ſecuritatemque Navigationum ac Commerciorum poſſe promoveri, non tantum noſtro, ſed etiam omnium mercatu ſe ſuoſque exercentium Regnorum ditionumque, imprimis proxime adſitorum, commodo ac bono, quorum alias pax reſque controverſiis diſſenſionibuſque Nos inter & prædictos Regentes, variis, ut fit, concurrentibus cauſſis, forte obortis, turbarentur haud dubie ac commoverentur; Nos prædicta quæ offerebantur non modo non ingrata nobis eſſe ſignificavimus, Sed & cum ea de cauſſa prædicti Regentes deſtinaſſent miſiſſentque ad nos Legatos ſuos Extraordinarios D. D. *Oliverium St. Ihon*, & *VValterum Stricklandium*, Nos quibuſvis modis id operam dedimus, ut quamprimum, prout patitur hujus Reipublicæ noſtræ conſtitutio, prædictæ Tractationi optatus finis imponeretur, adeo ut prædicti D. D. Legati conferendi colloquendique cum D. D. Deputatis noſtris, quos ex Ordine noſtro ejus rei cauſſa legeramus, initium fecerint.

Cæterum cum generatim modo, nec limitate aut ſingulatim omnia proponerentur, noſtro nomine contra, poſt præmiſſam pacificarum voluntatum noſtrarum ſignificationem, rogatum fuit, ut in genere propoſita particulatim ſingulatimque ac membratim, diſtincta aperteque, adeoque nude nitideque offerrent ac exponerent, quo ea ratione

tione & certius & ſecurius, efficaciterque magis & celerius confici omnia poſſent ac expediri; Et quanquam graviſſimæ eam in rem adducerentur rationes, oppoſitiſque Propoſitionibus non una commodiſſima agendi tractandique via daretur; Nos tamen tunc temporis nihil profecimus aut impetravimus: niſi quod prædicti D.D. Legati, poſt modici temporis intervallum primumque cum iis congreſſum colloquiumque, materia de qua agendum inprimis erat, cauſſaque, ad huc prope intacta, imperatam ſibi ad ſuos redeundi abeundique neceſſitatem præ ſe tulerint, cæterum tamen multis rationibus perſuaſi, paululum adhuc ſubſiſtere ac morari decreverunt: cumque ex eo tempore non nulla diſtinctius particulatimque magis expoſuiſſent, Nos noſtra ex parte omnia agenda eum in modum acceleravimus promovimuſque ut prædicti D. D. Legati, poſt diſtinctius propriuſque quædam propoſita, in quibus totius rei cardinem verſari, adeoque de quibus ſi conveniſſet, nullo aut facili Negotio, & haud difficulter confici cætera ac componi poſſe ipſi judicabant, eum in modum à Nobis fuerunt excepti, ut quoad rei ſummam, nihil aut certe parum controverſiæ reliquum manſerit: ſed & porro cum iis omnibus conjunximus, quæ ad utriuſque gentis commoda (ſalvis tamen iis quæ cum aliis Regibus, Rebus publicis, Principibuſque & Proceribus nobis intercedunt fæderibus) prætereaque ad prædicti Tractatus omnimodam conſummationem facere poſſe judicabamus. Ad quæ omnia dum reſponſa ſententiaſque propriores prædictorum D.D. Legatorum expectamus, iidem hæc ſubterfugiendo, ſubito itinere à Nobis diſceſſere; ea in ſpeciem ratione adducta, quod conceſſum ſibi imperatumque apud nos morandi ſpatium jam expiraſſet, proptereaque impoſſibile ſibi omnino eſſe porro progredi in earum tractatione rerum, quæ noſtra ex parte

parte in eum quem jam diximus finem erant Propoſitæ.

Quanquam vero iſtiuſmodi agendi procedendique ratio materiem diverſis præbere ſuſpicionibus potuiſſet, quoad prædictorum Regentium in prædicta Tractatione animum ac ſententiam (Modici quippe intervallum temporis quod in ipſa, de qua agebatur, re nihil mutaverat, non debebat profecto mutare ſynceram animi voluntatem, neque etiam interrumpere aut ſiſtere cœptæ Tractationis progreſſum) Nos tamen nihilominus, noſtra ex parte, præferentes longe pondus momemtumque rei Pulcherrimæ gratiſſimæque formulis agendi externis ac modis, intuitu quoque proteſtationis à prædictis D. D. Legatis, cum à nobis diſcederent, factæ, qua ſynceritatem prædictorum Regentium, ſuamque pariter fiduciam, fore ut, quamvis ab optato expectatoque eventu prima hæc Officia hactenus deſtituerentur, haud inania tamen aut irrita aliquando videantur, inprimis ubi conſultum Nobis videretur, reciproca legatione dictos Regentes inviſere, in mora eſſe haud voluimus quo minus Legatio ad prædictos jam Regentes decerneretur; adeoque D. D. *Iacobus Cats*, *Gerardus Schaap*, & *Paulus vander Perre*, Extraordinarii Legati noſtri, idoneis inſtructi mandatis, menſe Decembri anni proxime elapſi ad eos proficiſcerentur, non obſtante, quod poſt diſceſſum prædictorum D.D. *St. Ihon* & *Stricklandii* prædicti jam Regentes vulgaverant, amicitiam pacemque vicinis populis debitam turbante diplomate; quo conſueta receptaque Commerciorum libertas plurimum reſtringebatur, adeoque Commercia utriuſque Nationis ac conſenſus (quibus tamen & amicitia & mutua fiducia inprimis confirmantur & augentur) tollebantur quaſi & abrumpebantur. Licet etiam, captis jam raptiſque plurimis noſtrorum navibus haud deeſſent nobis graviſſimæ rationes

nes ſuſpicandi, voluntates prædictorum jam Regentium parum aut plane non convenire cum infucata noſtra interigritate.

Quod & deinde ſatis ſuperque & palam liquere voluere; cum, poſtquam prædicti noſtri Extraordinarii Legati in Angliam veniſſent, ibidemque noſtro nomine, ſerio, omnique integritate propenſam pronamque noſtram ad perficiendam tandem abſolvendamque cæptam hic Tractationem, teſtati voluntatem eſſent, ſerioque etiam iidem petiiſſent, ut eadem quam fieri poſſet celerrime feliciſſimeque optatum ad finem perduceretur, utque res omnes eo in ſtatu eſſe ac manere, aut ad eum redigi ſinerent, in quo eædem illæ fuerant, cum prædicti D. D. *St. Ihon & Stricklandius*, à nobis diſcederent, certe donec de eventu exituque prædictæ Tractationis conſtaret: prætereaque ut hæc propter prædictum diploma (quo ipſa quaſi vitalia & anima finiſque prædictæ Tractationis petebantur) revocarent, ſaltem exequi ſuperſederent, captaſque naves ac merces reſtituerent: Quorum prædicti jam Regentes non modo nullam rationem, quod ratio tamen & æquitas poſtulabant, habuere, ſed & ex adverſo, durante continuataque Tractatione, qua ibidem de confirmandis antiquis fæderibus ac ſocietatibus, & propiore conſenſu ac communione animorum amoreque, concordia & viciſſim ſibi reſpondentium Officiis agebatur, prædicti diplomatis ſententiam exequi ſuos voluere: ac inſuper quaquaverſum, vario diverſoque, & à quo omnis rationis color aberat, prætextu tam Repreſſaliorum (quæ prædicti jam Regentes, nulla licet iis data vel cauſſa vel occaſione, cum nulli unquam ad jus hic & leges provocanti eorum auxilium aut patrocinium fuerit negatum, aut etiam dilatum, ac iccirco contra fas omne, juſque ac exempla cordatarum omnium gentium, prætereaque antiqua inter utramque Na-

tionem

tionem percuſſa fœdera, ut & alias Nationes) adverſus Gallos indultorum, naves prædictorum ſubditorum noſtrorum partim per privatos, quibus ſingulatim Repreſſalia conceſſa erant, partim per publicos claſſium ſuarum præfectos, omnis denique generis Pyratas, qui ea ſub ſpecie infeſta paſſim maria reddidere, mari hoſtilem in modum invadi, oppugnari, expugnarique, expugnataſque in portus ſuos deferri permiſere, mercibus raptis & Navarchis ſociiſque navalibus male habitis, cum neque prædicti Legati noſtri malorum damnorumque remedia, debitamque adverſus mala hæc omnia diſciplinam impetrarent, neque innocentibus ſubditis noſtris ſua redderentur.

Quanquam vero hæc propter multiplices graviſſimæque ſe offerrent nobis rationes, ut viis agendi modiſque aliis prædicta omnia ad animum revocaremus, & quadam quaſi Retorſione damna ijſdem ſubditis noſtris illata, navibus mercibuſque memoratorum jam Regentium oppugnates captoſque reſarcire nobis liceret: Nos tamen, ſperantes rationi prædictos jam Regentes tandem aliquando daturos locum, & Tractatione amica, ſecundum fas æquumque, decidi omnia poſſe ac abſolvi, eo expectationis noſtræ ac temporis intervallo à vi omni armata abſtinuimus, quanquam ad eam inferendam intolerabili quadam inſolentia arrogantiaque haud dubie provocaremur; Quin imo, licet ſerio ſæpiuſque rogati, prædictas ob rationes, litteras Repreſſaliorum negandas ſubditis noſtris, quamvis jam læſos ſeſe dolentibus, indicavimus.

Et una ex parte id per extraordinarios Legatos noſtros ſerio urgentes, ut prædicta Tractatio in genere, & reſtitutio navium bonorumque, de quibus jam diximus, particulatim promoverentur; altera ex parte, quo Pyraticam omnem raptuſque in poſterum præveniremus arceremuſque à ſubdi-

tis

tis noſtris damna majora ac mala,& publica Commercia à præſentiſſima ruina & certiſſimo exitio præſervaremus, decrevimus claſſem idoneam inſignemque inſtruere, qua mari uteremur.

Et, ne prædicti Regentes ſiniſtra interpretatione in perverſas falſaſve ſuſpiciones adducerentur, Nos, quo id præveniremus, eiſdem ejuſdem Regiminis, ſicut & aliis Amicis noſtris ac vicinis per prædictos extraordinarios Legatos noſtros optima fide prædicti facti à nobis decreti ſignificationem fecimus, addita aperta ſinceraque Declaratione, haud quaquam, & nullo modo eum prædicti apparatus noſtri eſſe finem, ut eo Fœderatis noſtris aut Amicis, aut, quod ſpeciatim additum, ſubditis prædicti Regiminis damna ulla aut injuriæ inferrentur, ſed ex adverſo conſtantem nec mutandam nobis ſententiam voluntatemque ſedere, conſervandi cum omnibus prædictis ſubditis, ſiquidem ejusmodi vicinorum officium id munuſque eſſe intelligitur, integram ſinceramque amicitiam conſenſumque.

Et quanquam id ipſum quoque non aliter quam ſignum infucati Animi noſtri ac nota excipi debuerit, imprimis ab iis qui præfato Regimini jam præſunt, quia paulo ante male ſe tuliſſe indicaverant, quod longe multo minor navium noſtrarum numerus, haud procul nonnullis Inſulis, quæ eorum regimen tunc temporis haud dum agnoſcebant, conſpectus eſſet, Noſque in tempore eos certiores ejus rei non feciſſemus, Nos interim ſic obſervare ſatis potuimus, prædictum Regimen nihil conſtituiſſe aliud, quam colligere undique prætextus, quibus tandem aliquando executioni diu meditatarum deſtinationum color aliquis non deeſſet, ſicut & prædicta notificatione eundem in finem uti quoque voluere; adeo ut prædictis Legatis noſtris impoſita neceſſitas fuerit, ea ſuper cauſa noſtro nomine proprius iis reſpondendi.

Et

Et interim præfata per eoſdem Legatos noſtros Tractatione ſerio inſtanterque promota, cumque per eoſdem id unice curatum actumque eſſet, ut eum omnia agenda in ſtatum adducerentur, in quo prædictum Regimen ſine ulteriori omni diſſimulatione, velut aperire ſeſe aut mentem cogeretur, neque diutius poſſet occultas deſtinationes ſuas celare, (ut nempe ſic ſub amicitiæ larva lactantes nos ſpecie inſtitutæ de ſocietate Tractationis conſuetis meditatiſque prætextibus, Commercia noſtra exſcinderent, & robur hujus Status imperiique noſtri enervarent, quemadmodum non ex obſcuris indiciis, ſed ipſa rei evidentia ſignificatum nobis cognitumque eſt) Propræfectum mari Trompium, quem Nos prædictæ claſſi noſtræ præfecimus, per præfectum ſuum propterea quia non ad lubitum ejus vexillum Noſtri ſubmiſerant, quanquam ille, juxta complurium conſentientia teſtimonia, etiam ab aliis ac neutrarum partium hominibus data, jam tum colligendis ſummis velis ſuis, ſcaphæque adducendæ, quo è ſuppræfectis aliquem ad navim Præfecti Anglici conſalutandi cauſa mitteret, intentus eſſet, hoſtilem in modum, tormentis omnibus lateris unius exploſis, agreſſi ſunt, ſociorumque ejus navalium plurimos miſere vulnerarunt, qua re cum prædictus propræfectus, quæque ei aderant naves, tueri ſeſe cogerentur, defenſionem ſibi contra naves Anglorum adeo inculpate moderati ſunt, ut, quum navium numero longe præſtarent, ſatiſque etiam ad opprimendos penitus aggreſſores ſuos, idonei validique eſſent, continuerint ſeſe, ſola ſui defenſione contenti: cujus tamen moderationis pars adverſa uſque adeo nullam rationem habuit, ut alio inſuſuper navium cuneo advecti, poſtremas remotaſque ab agmine Claſſis noſtræ naves eundem in modum hoſtiliter invaſerint, duas oppreſſerint, ex iiſque alteram ſecum abduxerint.

At-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Atque ut hæc pugna prætextui illis eſſe poſſet, abrumpendæ, ſpecie ſaltem aliqua, prædictæ Tractationis, dictitarunt, & in vulgus ſparſerunt, atque adeo quibusvis perſuaſum voluere, aggreſſionem in ea pugna primam à noſtris factum; perindeque, ac ſi atrociſſime ea re læſi forent, totos ſeſe ad apertam in nos exercendam vim conatum hoſtilem compoſuere, nulla prius vel minima nobis oblata querela, nedum ulla reparatione admiſſi, quod patratum jactabant, petita, quanquam hoc æquitatis, imprimiſque Tractationis mutuæ ratio, ſi unquam ea in re proba integraque eorum fuiſſet voluntas, poſtularet.

Nobis contra ſincero affectu, id quod temere turbatum fuerat, quiſquis tandem in culpa foret, recte atque ordine reſtitutum cupientibus, Legati noſtri Extraordinarii ut primum certiores facti ſunt prædicti jam inſultus, in conceſſu Concilii Status ſupra dicti Regiminis ſanctiſſime aſſeverarunt, quod ſi res eum ad modum, ut ibi quidem narrabatur, geſta eſſet, id omne inſciis nobis, atque adeo contra quam in mandatis dederamus, actum fore, idque ipſum, epiſtola autographa ſupradicti propræfecti noſtri exhibita, quam is ad eos ſuper ea re miſerat, cuique inerat pleniſſima mandatorum, quæ à nobis acceperat, ſignificatio, confirmarunt, & ſignificata noſtra propenſione interiore, ſummoque deſiderio pacis atque Concordiæ cum ſupra dicto Regimine, firmo ſub Fœdere amicitiaque indiſſolubili colendæ & conſervandæ, ſummo ſtudio maximoque opere petierunt ut veritas rei in ea pugna geſtæ exquireretur diligentius, atque eum in finem impertirentur ſibi ſi quæ illis parata eſſent teſtimonia, ut ea ad nos tranſmitti poſſent, neve interea temporis Tractatio, quam uſque eo perductam confidebamus, ut ei brevi manus ultima poſſet imponi, ex inopinato caſu quidquam caperet detrimenti, cui præter

Contraqne voluntatem, noſtram certe, temeritas aut malitia hujus illi cauſſam dediſſet, cui ratio facti ſui reddenda eſſet, ſaltem ut opera daretur ne magis magiſque ea re animi partium ac ſtudia divellerentur.

Et quanquam maximi ponderis ea Propoſitio ſummiqne momenti ad publicum utriuſque Nationis commodum eſſet, Regentes tamen prædicti diu neque illam, neque Nos, quorum nomine ea propoſita fuerat, reſponſo dignitati ſunt, quamvis altero etiam ſcripto, ſingulari mandato noſtro Conſilio Status exhibito, eadem propoſitio renovata, ac poſt tertio etiam repetita eſſet, addita inſuper ampliore ſignificatione ſinceri animi noſtri, & ſummi doloris ob inopinatum infelicemque caſum: Quinime naves hujus Reipublicæ cum bellicas, tum onerarias, quaſcunque in mari deprehendere potuere, adorti oppugnarunt, nonnullas demerſerunt, alias ſpecie amicitiæ circumventas oppreſſerunt, ſocios navales ac milites ſpoliatos peſſime habuerunt, & cum illas, tum hos, in portus & flumina ſua avexerunt, ac proinde quaſi aperto jam bello nobiſcum commiſſi, nulla dum facta renunciatione amicitiæ, plurimum innocui ſanguinis profuderunt, plurimoſque ſubditorum noſtrorum fortunis exuerunt.

Nos tamen etiam tum obfirmantes laceſſitam uſque adeo patientiam noſtram, quo ſtudioſiſſimum pacis animum noſtrum, geſtorumque à nobis innocentiam integritatem æquitatemque omnino orbe coram toto probaremus, ut quibus nihil eſſet gratius, quam integram Concordiam, infucatam fiduciam fidamque amicitiam cum vicinis noſtris colere, & promovere eam atque augere in majus, contraque nihil æque exoſum atque horrendi vaſtantis belli eventus miſerrimaque innocentis Chriſtianorum ſanguinis profuſio, præter ſupræſcriptos tres Legatos Extraordinarios, qui noſtro

noſtro nomine apud prædictos Regentes tum agebant, ineundo perficiendoque fœderi, Legatione altera, celerrimis itineribus, Dominum *Adrianum Pauvv, Heemſtedæ Dominum, Hollandiæ VVeſtfriſiæque Syndicum & Conſiliarium*, extraordinem delegavimus, ſingulatim ſuper eo, de quo controverſia erat certamine, quæque exinde erant conſecuta, nec non ad ſignificandam propius ſententiæ noſtræ integritatem remque eo deducendam, ut à vi omni armata abſtineretur.

Cumque interea prædicti jam Regentes ſuum edidiſſent reſponſum, ad propoſitionem ſcriptumque alterum, ac tertium priorum Legatorum noſtrorum, quo in reſponſo, affectata prava perverſaque opinione, quam ipſi ſibi in patrocinium injuſti ſui, Deoque & hominibus haud dubie ingrati propoſiti, conſulto finxerant, quaſi à nobis prædicta Claſſis ad invadendos ipſos, & per vim, hoſtiliter, aliove quo modo excipiendos, inſtructa eſſet, ratione nulla habita factæ à nobis contraconteſtationis, declaraverunt, cenſere ſemet obſtrictos, ad perſequendam occaſione oblata, illatarum, quas ipſi vocant, injuriarum reparationem, cautionemque, nequid ejuſmodi inpoſterum tentetur; atque ita palam fecere nequaquam ſibi in animo eſſe negotium hoc ullo modo tranſigere ſed contra decretum, cœpta jam illata vi progredi, dictus *Heemſtedæ Dominus*, cum in Parlamento Angliæ, tum poſtea in conſeſſu Concilij Status, hanc eorum ſuſpicionem opinionemque validiſſime confutavit, ac Dominum Deum, congitationum cujuſque inſpectorem teſtemque invocans, ipſe actorum omnium gnarus, ut qui ratione publici, quo fungitur, muneris, deliberationibus omnibus tam in Noſtro quam Hollandiæ VVeſt-Friſiæque conſeſſu habitis interfuerat, ideoque ſumma fide ſanctiſſime affirmavit, nullam unquam inſtitutam deliberationem, nullum captum conſilium,

lium, nedum ulli in mandatis datum, aperte tecteve, quo ulla vel minima prædictis Regentibus offenſæ præberetur occaſio, nedum ut eorumdem jam Regentium claſſis naviumve ulla non eo quo inter ſocios oportet modo, exciperetur; contra vero, ut iiſdem omnia amicitiæ propenſique animi exhiberentur officia; iterumque ſerio affirmavit, prædictum inter naves utriuſque partis concurſum ac certamen nobis inſciis noſtroque injuſſu, quin imo ſummo noſtro cum dolore & anxia ſollicitudine accidiſſe.

Cum tamen prædicti jam Regentes, rem, ſecus ac ea geſta eſſet, explicantes, prædicto certamine pacem ſuam ſuorumque violatam judicarent; & prædicto reſponſo ſuo verba feciſſent de reparatione præteritorum, cautioneq; in futurum, *Heemſtedæ Dominus*, ſecundum data ei à Nobis mandata, ſignificavit, neceſſium videri operam dari, ut prædicta controverſia ac cauſa, omniſque adeo diffidentia, recta cauſæ cognitione plane tolleretur; ſeque eum in finem, eiuſque perficiendi cauſâ, ſingulatim illuc legatum veniſſe. Ac deinceps ſedulo in id incubuit, ut cœpta, multumque jam provecta Tractatio perficeretur, & porro ex utriuſque partis placito certus conſtitueretur modus ac norma claſſibus utriuſque partis in poſterum ſequenda, addito affirmatoque, nunquam nobis animum aut fuiſſe, aut futurum unquam, diſputandi de honore ac dignatione nationi Anglicanæ nomine hujuſce Reipublicæ hactenus delatis, petens præterea, ut prædicti jam Regentes, interea dum operi tam egregio neceſſarioque opera navaretur, vulgatis tandem mandatis proſpicere vellent, ut armata vis omnis, occaſione prædicti certaminis hactenus exercita, unde metus eſſet ne malum immedicabile redderetur, aliquando ceſſaret; & poſtmodum ſingularibus aliquot congreſſibus ac colloquiis cum D. D. Commiſſariis

prædicti Concilii Status habitis, propiore noſtro nomine ſignificatione facta, obtulit ac petiit, ut quæcunque de prædicto certamine utrinque conquiſita & parata eſſent teſtimonia, ea, ad indagandam rei veritatem, delegatis aliquot, utrinque eligendis, traderentur in manus; qui excuſſis iis, & ſub examen vocatis, exquirerent, utra pars aggreſſionem prior feciſſet, eoque tumultibus atque incommodis inſecutis cauſam præbuiſſet; aſſeverans, quod ſi præfectus noſter compertus eſſet prior aggreſſionem feciſſe, non ſolum ipſi hac in re publicam authoritatem à nobis derogandam negandamque, factumque hoc ejus improbandum fore, verum etiam ipſum, ut qui mandatorum noſtrorum fines exceſſiſſet, puniendum, prout cauſæ momentum poſtulare videretur; ita tamen, ut etiam prædicti jam Regentes, re aliter ſe habere comperta, ſuoque præfecto, teſtimoniis in eam rem dictis, hoſtilem aggreſſionem priorem feciſſe convicto, cum eodem pari ratione agerent.

Reponens denuo petitionem ipſi reliquiſque legatis noſtris jam ſæpius repetitam, ut ſaltem ratione prædictæ oblationis, in principalis negotii tractatione procederetur; naves bonaque noſtra ſubditiſque noſtris per vim erepta, aliave in Anglia detenta, una cum præfectorum, navarchorum, aliorumque navalium ſociorum dimiſſione reſtituerentur, atque omnis ſaltem in poſterum vis armata prohiberetur.

Quanquam autem ſupradicta omnia iis oblata iſtiuſmodi eſſent, quæ pectus, aliqua ſaltem ratione & humanitate imbutum, cuique vel aliquæ ſupereſſent ſtudij pacis reliquiæ, ſpernere aut poſtponere haudquaquam poſſet, eademque etiam exemplorum ab aliis nationibus ſimili in cauſa petitorum copia, multarumque inſuper ſolennium conventionum allegatione, confirmarentur, tamen Concilium Status, conſcium ſibi & convictum,

ctum, ſententiam quoad prædicti certaminis modum produci in lucem non ferens, atque idcirco indagationem viritatis refugiens (cujus ſuppreſſio etiam in privatis cauſis unicuique ſacrilegij loco eſſe deberet) jam prædictum examen penitus detrectavit, continuationem progreſſumque tractationis ſuper principali negotio difficilem cenſuit: ad hæc ſignificavit, hoc rerum ſtatu non eſſe quod expectaremus, deſtituros ſeſe à perſecutione illa, cujus reſponſo ſuo præcedenti ad propoſitionem Dominorum *Cats*, *Schaep*, *&* *vander Perre*, meminerant, in finem ibidem expoſitum,

Quod poſtremum reſponſum, priori aſperius, & ratione ſupra dictæ juſtiſſimæ oblationis, etiam iniquius, plenumque injuſtitiæ ac violentiæ, quanquam nos merito adducere potuiſſet ad finem officiis noſtris amiciſſimis faciendum, maxime cum noſtras ac ſubditorum noſtrorum naves bonaque intercipiendi, rapiendi diſperdendiq; finis nullus eſſet, *Heemſtedæ* tamen Dominus, noſtro nomine, demonſtrandæ propenſioni noſtræ inconcuſſæ ac ſingulati ſtudio, quo res omnis, bona partium gratia mutuoque conſenſu, ad bonum optatumque exitum perduci poſſet, atque hac ſola ratione inſuper habens, quod alioquin honoris noſtri ac dignitatis ratio ſuadere potuiſſet, petiit, ut ne penitus tractatio abrumperetur, ut à parte prænominati Regiminis aliud quidpiam conſilij (quando noſtra ſucceſſu caruerant) in eum finem proferretur, hac nimirum fiducia, fore ut aliquando dictum Regimen rectæ rationi auſcultans, ſinceris noſtris minimeque fucatis obteſtationibus fidem adhiberet, placidæque cogitationes pacis, turbulentis belli meditationibus potiores, animis eorum ſedatiorem afferrent mentem ad idonea exquirenda remedia, quibus præſentia mala, & quæ deinceps metuenda eſſent, evitare liceret.

At vero dictum Regimen moderationis noſtræ

 magni-

magnitudine abuſum in incrementum arroganti-
ſuæ, modeſtiaque noſtra in fomentum ſui ad va-
ſtandum ardoris, noſtriſque amiciſſimis oblatio-
nibus fundamenti loco ad poſtulandum à nobi-
ea, quæ neque ipſi ulla æquitatis ſpecie petere, ne-
que nos, honore noſtro dignitateque ſalvis, con-
cedere poſſemus, proponere non erubuit, ut à no-
bis perſolverentur ſibi expenſæ omnes, ac reſarci-
rentur diſpendia, quas quæque feciſſe paſſique
eſſe dictitabant occaſione extraordinarij illius ap-
paratus noſtri, tanta pecuniæ ſumma, de quant-
poſtmodum conveniretur; qua ſoluta, cautione v-
eo nomine ad ipſorum placitum data, tum demum
ab ulteriore violentia deſiſteretur; quamvis noſte-
ille apparatus non alio ac ſupra dicto fine decretu-
inſtitutuſque ſit: quod ipſum etiam tempeſtive
ſimul atque decretum in eam rem factum fuit, præ-
nominato Regimini ſumma ſinceritate public-
ſignificavimus; maxime vero cum neque dicto Re-
gimini neque ejus ſubditis per claſſem illam jan-
paratam, aliamve, ullum vel minimum maligni ani-
mi oblatum indicium, nedum damni quidpiam
illatum eſſet, contra vero naves noſtræ ab illorum
navibus oppugnatæ, nonnullæ depreſſæ, aliæ
præter ingentem numeram onerariarum navium
harum regionum, earumque ditiſſimarum, expu-
gnatæ, captæ avectæque eſſent, Noſque, & dile-
cti nobis ſubditi noſtri, hoc pacto ad aliquot flo-
renorum milliones damno affecti eſſemus: Ac
hæc durantibus etiam ſupra dictis colloquijs, ne-
que expectato eorundem exitu, claſſem ſuam in
mare dimiſerunt, & maturantes inter ambas Na-
tiones amicitiæ divulſionem, quam immedicabi-
lem reddere gaudebant, denuo complures harum
regionum naves ceperunt deleveruntque, inge-
rentes hoc pacto plenos damni atque ignominia
cumulos in cervices hujus noſtri Regiminis, quod
multos jam annos in ſtatu proſpero Dominus
Deu

Deus conſervavit, cuique apud amicos inimicoſque venerationem addidit.

Quæ omnia intolerandum adeo in modum atque injuſte cœpta, tamque violenter acta, cum evidentiſſime à prænominato Regimine in id ſuſcepta atque patrata ſint, quo noſtras mari vires penitus affligerent, commercia harum ditionum opprimerent, atq; hoc pacto pridem jactatam ſibi mari dominationem reapſe in Nos, ac deinceps in reliquas Nationes univerſas, exercerent, eaſdemque, ſi poſſent, vectigales ſibi redderent; cumque Nos patientia & lenitate animi ſingulari (tametſi fruſtra) nullis non honeſtis modeſtiſque inducendi perſuadendique modis tentaverimus, quo prænominatum Regimen à propoſito iſto dimoveri, exorta diſſidia ſopiri atque componi, naves bonaque Nobis ſubditiſque noſtris per vim erepta, aut alibi retenta, reſtitui, damna iiſdem nulla cauſa illata reſarciri, antiqua & jam retro aliquamdiu per ſupradictum Regimen afflicta & violata amicitia, ſincero firmoque & valido contractu inſtaurari, mutuiſque fiduciæ officiis magis magiſque confirmari poſſet, nulla amplius ſpe reliqua viſa per vim ſupradictam ea omnia aſſequendi;

Nos Naturæ legem ſequuti, nec non obligationem, qua ſubditis noſtris devincti ſumus, ad protegendum eos contra omnem injuriam, vim atque violentiam, efficiendumque ut illati ipſis damni reſarcitionem reparationemque conſequamur, præterea ad vindicanda commercia in priſtinam debitamque ijs libertatem, ac reſiſtendum memorato conſilio pravoque propoſito ſupradicti Regiminis, qui rerum ſuarum domi ſucceſſibus ebrij, modum porro nullum inexplebilibus ſuis cogitationibus ſtatuere videntur, maturo deliberatoque conſilio atque extrema neceſſitate adacti, tandem cenſuimus atque decrevimus, iis viribus ijſque ſubſidiis uti, quæ Nobis Deus ac Natura in manus de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

derunt, ad conſequendum vi armorum ac Retorſionis via à ſupradicto Regimine ejuſque ſubditis, quod ab iiſdem rationum ope impetrari non potuit, hac mente & ſententia, non deſtituros Nos ab hoc propoſito, quamdiu dictum Regimen eandem quam hactenus viam inſtiterit, naviumque captarum reſtitutio damnique illati reſarcitio facta non fuerit; certâ fiduciâ propoſitum hoc noſtrum, quo extrema nos adegit neceſſitas, ab omnibus laudandum, caſſamque noſtram æquiſſimam ope divina adjuvandam fore.

Confidentes quoque, cunctos Reges, Reſpublicas, Principes ac Status Declarationem hanc noſtram publicam, ut veram ac juſtam, nobiſque extortam, accepturos, ac propenſos etiam fore ad conſilia tam pernicioſa nobiſcum una impedienda & propulſanda, nobiſque in propoſito tam neceſſario, nec minus licito legitimoque, ut & dilectis nobis ſubditis noſtris ubique locorum, opem laturos: Quemadmodum etiam omnibus Fæderatarum Belgij Provinciarum ſubditis hoc ſcripto edicimus, ut ſeſe, Retorſionis via, contra vim tueantur, quæ illis magis magiſque imminet, neu ſe diutius prætextu ullo amicitiæ falli aut circumveniri ſinant, neve uſquam locorum ſe recipiant, ubi ad lubitum ſupradicti Regiminis excipi poſſent, verum, noſtra ſuaque bona cauſa freti, eventum à Deo omnipotente, noſtra cura & parata jam defenſione, exſpectent.

Ita actum ac decretum in Conſeſſu præpotentiſſimorum memoratorum Dominorum Ordinum Generalium, Hagæ, ſecundo Auguſti, anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecunſto. *Iohan van Reede, tot Renſvvoude*, vt. Mandato eorumdem D. D. Ordinum, *N. Ruyſch.* Impreſſo ſuper ſpatium ſigillo eorumdem Dominorum in rubra cera.

MAR-

MARCI ZUERII BOXHORNII GNOMÆ ALIQVOT POLITICÆ & MORALES.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

CUM incidiſſent nuper in manus noſtras Gnomæ aliquot, ſive Sententiæ Cl. Viri Marci Zuerii Boxhornii, & pleraſque earum ab hoc argumento haud alienas intelligeremus, & pagellæ aliquot alias vacaturæ eſſent, eas hic exhibendas, cum bonâ, ut ſperamus, auctoris venia, judicavimus. VALE.

I.

Malum eſſe certum eſt, quidquid haud ſervat modum.

II.

Non parva, parva quæ videntur, omnia,
Nec magna, magna quæ videntur, judica
Non parva ſæpe, magna non ſunt, quæ putas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

III.

Nocentius nil ficta quam innocentia eſt;
Nocente quippe cognito, quivis cavet.

IV.

Eſt turpe falli, turpius ſed fallere eſt.

V.

Quicunque prudens, primus is ſeſe admonet.

VI.

Regina rerum occaſio eſt: fac, ſerviat:
Occaſio omnis ſola præfigit diem.

VII.

Nocens ſuperba ſemper eſt prudentia.

VIII.

Novum omnis impar cura ſæpe vulnus eſt.

IX.

Quidquid vetuſtum dicitur, fuit novum;
Novumque quidquid, dicitur tandem vetus.

X.

Simplex avari haud eſt ſcelus: nam eſt multiplex.

XI.

Prodeſſe non poteſt, nocere qui haud poteſt.

XII.

De judicante multa ſunt quæ judicant.

XIII.

Non ſermo, res eſt omnis innocentia.

XIV.

Quidquid pati eſt neceſſe & id pati cupe.

XV.

Quisquis ſibi haud, prodeſſe nemini poteſt:
Nocere qui poteſt ſibi, idem cuilibet.

XVI.

Primum malum majoris eſt index mali.

XVII.

Servit ſuo qui tempori, caute regit;
Cauti regentis ſemper eſt & obſequi.

XVIII.

Qui eſt imperanti haud obſequens, ſe non regit.

Non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

XIX.

Non facta ſunt, quæ facta non volentibus.

XX.

Nil poſſe quiſquis creditur, multem poteſt:

XXI.

Cum pauca multi, pauca non iſti rogant.

XXII.

Nunquam fides certa eſt habenda credulis;
Nec certa habenda ſit nihil credentibus.

XXIII.

Non crede nil tu; nec nimis ſis credulus.

XXIV.

Servire tantum tempori, nunc moris eſt.
Nec ſerviendum tempori; mori bono eſt.

XXV.

Quæ tempore eſt longo parata gloria,
Hanc una peſſum ſæpe dat totam dies.

XXVI.

Bonus diu fruſtra fuit ſemel malus.

XXVII.

Non major eſt tantum colendus; eſt minor,
Futurus eſt major, minorem quem putas.
Efferre ſe, ſe ſemper eſt ſubmittere.

XXVIII.

Spes eſt ſalutis, nota cum cauſa eſt mali.

XXIX.

Ne crede ſorti; ſæpe, quæ prodeſt, nocet.
Ne crede ſorti: ſæpe, quæ haud prodeſt, favet.
Incerta namque cuncta ſunt mortalium.

XXX.

Videre quæ non viſa, providentis eſt;
Videre ſed non, otium imprudentis eſt.

XXXI.

Plus velle, poſſe quam, mera hæc inſania eſt.
Et velle quam poſſis minus, dementia eſt.

XXXII.

Incerta cuncta; certa nam fatum tegit.

XXXIII.

Legem tueri, nemini eſt ignoſcere.

XXXIV.

Multum poteſt plerumque, qui nihil poteſt.
Nihil poteſt & ſæpe, qui multum poteſt.

XXXV.

Plures timere, eſt imperantis pluribus.

XXXVI.

In principatu conſtituti cogitant
Parentium cum multitudinem, timent.

XXXVII.

Manere larga non ſolet fortuna diu:
Plerumque largâ quiſque largè abutitur.
Manere iniqua non ſolet fortuna diu:
Plerumque iniquâ quiſque non male utitur.

XXXVIII.

Cauto regenti ſubditi eſt ſententia.
Cauto haud regenti ſed ſua eſt ſententia.

XXXIX.

Laudanda ſæpe oblivio eſt injuria.

XL.

Injuriam plerique, quæ non eſt, putant.

XLI.

Viro innocenti injuria haud unquam nocet.

XLII.

Prudentis eſt, haud ſe movere cum ſedet.

XLIII.

Quicunque magnus eſt ſibi, haud ullum æſtimat;
Quicunque nullus eſt ſibi, & nullum æſtimat.

XLIV.

Pax eſt triummfis aximis auguſtior.
At pacis haud ſunt quæ videntur tempora.
In nomine incauti acquieſcunt plurimi.
Pax certa cautis, hoſtis exſpectatio eſt.
Pax certa, pax æterna, victus hoſtis eſt.

XLV.

Res ſæpe multas qui gerit, nullas gerit;
Geritque magnas ſæpe, qui nullas gerit.

Ple-

XLVI.

Plerumque bellum eſt, quod minus quam par nocet.
Pacata quæ putantur, haud ſunt tempora.
Alumna pax multis domi eſt diſcordiæ.

XLVII.

Peccare princeps ſolus haud unquam ſolet:
Cum peccat ille, copia eſt peccantium.

XLVIII.

Humanitatis prima lex clementia eſt.

XLIX.

Raro te amabunt, queis tuorum eſt odium.

L.

Minora ſæpe parvitate tuta ſunt;
Et magna ſunt intuta magnitudine.

LI.

Legum unicus fiduſque cuſtos eſt metus.

LII.

Occaſio quæcunque adeſt, ſtatim fugit.

LIII.

Deumque ſeque noſſe, noſſe eſt omnia.

LIV.

Tollenda tarde quæ vetuſta ſunt mala.

LV.

Abire cuncta, non adeſſe, ſentias.

LVI.

Qui falſa promit, ex die is noctem facit.

LVII

Lex prima; leges figere & refigere eſt;
Mutata namque id ſæpe poſcunt tempora.
Probanda non eſt ſemper hic conſtantia:
Conſtantia haud eſt illa, contumacia eſt.
Legum tamen non crebra ſit mutatio:
Mutatio nam crebra, legum everſio eſt.

LVIII.

Felicitatis, ferre poſſe injuriam, eſt.
Inferre tantum ſed nota haud felicis eſt.

LIX.

Non ſperne vilem; fumus index ignis eſt:

Magnumque nec nimis cole; ignis fit cinis.

LX.

Lædendus haud eſt, non potes quem perdere.

LXI.

Regina rerum eſt omnium prudentia,
Præſentia & futura ſola quæ regit,
Et facta ſiſtit ſola quæ mortalibus.

LXII.

Vix unquam abeſt diu perfidis occaſio.

LXIII.

Regni fere eſt mutatio, hæc quæ regis eſt.

LXIV.

Humanitatis nulla contumacia eſt.

LXV.

Incendium excitare quilibet poteſt;
At excitatum exſtinguere haud quivis poteſt.

LXVI.

Miſer probus vir eſſe, quam nequam velit.

LXVII.

Noli minari; qui minatur, admonet.

LXVIII.

Plus poſſe noſtro ſæculo regnare ſit;
Tamen regentem plus poteſt quiſquis ferat.
Intuta ſemper omnis eſt mutatio.

LXIX.

Nulli noce: poteſt nocere quilibet.

LXX.

Prodeſſe qui poteſt, nocere idem poteſt:
Et ſæpe qui prodeſſe non poteſt, nocet.

LXXI.

Prodeſſe cuivis expedit, florentibus
Prodeſſe qui haud poteſt: in adverſis poteſt.

LXXII.

Qui perfidi, jactantius fidem offerunt.

LXXIII.

Enorme quodcunque impetu ſcelus valet.

LXXIV.

Inter furentes nulla vis eſt principi;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Inter furentes nulla majeſtas valet.

LXXV.

Sæpe eſt furenti obſtare multitudini,
Animoſque vimque augere multitudinis.
Obnititur qui fluctibus, plures movet;
Ferrum & remordet qui, magis nocet ſibi.

LXXVI.

Quiſquis nocendo proficit, non proficit.

LXXVII.

Obſcura fraus nocentior vi eſt neſcio.

LXXVIII.

Vbi, & quid, à quibus cavendum & quando ſit.
In omnibus gerenda quæ negotiis
Incerta ſunt, incerta propter caſuum.

LXXIX.

Venia eſt petenda, & ergo danda eſt omnibus.

LXXX.

Civilis haurit ſanguinem quæ dextera,
Atrox, cruenta, ſanguinem hæc haurit ſuum.
Humanitati nullus eſt locus fere,
Cognata cum committitur bello manus.

LXXXI.

Eurus ruunt notuſque: cede turbini:
Perire nam volentis eſt, non cedere.

LXXXII.

Injuſta belli cauſa cui eſt, vis deficit:
Cuicunque juſta eſt, agmen imperterritum eſt.

LXXXIII.

Infame monſtrum eſt, vilis, inteſtabilis,
Qui ventilator plebis, & vulgi levis
Procella, qui civiliumque ſignifer
Domi malorum: qui inquietat mobiles,
Ne ſe imperita turba ſubdat regibus.

LXXXIV.

Quicunque bella regibus datis ſibi,
Hi bella Divis ceu Gigantes inferunt;
Victique flammis obruuntur montium.

Sua

LXXXV.

Suæ immolare principem Superbiæ,
Audita nunquam, audita nunc ſuperbia eſt.

LXXXVI.

Aut fallor, aut æquum eſt, viri quod improbi
Tolerare regem compulere, ipſi ut ferant.

LXXXVII.

Subeſſe nunc eſt regibus, nunc obſequi eſt
Patrare quidquid juſſerit crudelitas.

LXXXVIII.

Plebeia clarum pœna non tollit virum,
Tollitque regem: rex ad inſtar plebis eſt
Turbantibus, plebeia queis proſapia eſt.

LXXXIX.

Regi rebellis & rebellis eſt ſibi.

XC.

Cave benignus eſſe perverſe velis:
Perverſa reges perdidit benignitas,
Et, quæ tueri debuit, clementia.
Intuta virtus ipſa nunc eſt regibus.

XCI.

Tot illa quæ ſunt dignitatum nomina,
Tot culminum quæcunque ſunt faſtigia,
Nil eſſe cenſe, namque raptim tranſeunt.
Corona & ipſa deſerit regum caput:
Durare nil ut, nil manere intelligas.

XCII.

Projectius nil plebe, nil ſuperbius.
Ratione cum rege haud, furore dimicat.

XCIII.

Nunc ſacra ſolæ inſanientum ineptiæ,
Quas vinolentæ ſomniis fingunt anus.

XCIV.

Iam ſæculum ſcelus novum eſt: committitur,
Cujus priores nullum apud veſtigium eſt.

XCV.

Contemne præſens quidlibet, quiſquis ſapis.
Quod deſerendum aut auferendum eſt tibi.

Hu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Humana quæ ſunt, ſunt ſepulchri & funeris.

XCVI.

Id quod neceſſe eſt, hoc voluntas occupet.

XCVII.

Quicquid vetus videtur, hoc fuit novum,
Novumque quod videtur, hoc erit vetus.

XCVIII.

Laudandus eſt rex optimus, bonis
Quiſquis ſuorum frænat orbem legibus.

XCIX.

Quiſquis ſapit, Deumque quiſquis cogitat,
Scelus jubenti & ille nulli ſerviet.

C.

Medentium ægro eſt ſæpe carnifex manus.

CI.

Infeſtus alto felle qui longum ſilet,
Imiſque bilem concipit præcordiis,
Tandem furoris vim latentis evomit.

CII.

Pro rege adorat preſſa plebs pares ſibi:
Colitque acerbum cæpe, mordax allium.
Acerbius nil quam imperat par cum pari,
Minorque nuper imperat majoribus.

CIII.

Eſt error augendo fere errori efficax;
Perſæpe longum nam error errorem parit.

CIV.

Furore regum qui excitatus eſt timor,
Parit timendam regibus formidinem.

CV.

Colenda plebs eſt: inſitâ nam inſaniâ
Ferire clava, nî colatur, aſſolet.

CVI.

Metu obſequentis ſæpe terror gignitur.
Timenda non ſunt offerenda ſubditis.
Timenda quæ ſunt, ſunt timenda principi.

CVII.

Hoc ſcire principem decet, mortalia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Quo jure conſtent, quanta majeſtas regat,
Cui ſubdita omnis principum eſt potentia.

CVIII.

Furorque ſummus, ultima & dementia eſt
Reges putare, rege qui exuto regunt.
Furorque ſummus, ultima & dementia eſt,
Putare reges eſſe, queis regi grave eſt.

CIX.

Non imperare ſervientium ut gregi,
Servire vere regium eſt parentibus.
Regnare nil eſt ſervitus quam ſplendida.

CX.

Donare multos multa cur Ollus ſtupet?
Donare multa, multa nunc eſt poſcere.
Offertur & nunc obſequI plus nemini,
Quam plura quiſquis donat obſequentibus.
Sed imperare haud illud eſt, eſt obſequi.

CXI.

Fas omne nunc effertur, imus: omne quod
Ius dicitur jam, nil niſi eſt injuria.

CXII.

Præpoſterum quis eſſe non hoc ſæculum
Pronunciet? Qui ſunt regendi, jam regunt,
Regique qui ipſi non volunt, ſoli regunt.

CXIII.

Carere rege, haud eſt carere regibus:
Regem haud volenti mille reges ſe offerunt.

CXIV.

Plebi, pares tantum æſtimare quæ ſolet,
Placere regem haud poſſe, quis mirabitur?

CXV.

Regnare ſi ſit crimen, hoc atrox mihi
Crimen videtur eſſe, rex plebecula;
Quæ ſceptra ferro, vique quæ regnum tenet.

CXVI.

Vita alteri eſt prodeſſe. Noli vivere
Perinde natus ac fores tantum tibi.

Nullum

CXVII.

Nullum timenti principi timendus eſt
Quem terra tota, & omne quem cœlum timet.

CXVIII.

Quicunque campos fertiles amnis rigat,
Perire, dum predeſt, nihil putat ſibi.

CXIX.

Humanitati quilibet cedit furor.

CXX.

Modeſta quæ non regna, non manent diu.

CXXI.

Quo quis vocatur gloriæ, incedat pavens.

CXXII.

Prodeſſe nemini poteſt ſuperbia;
Poteſt nocere; noxiam tantum fuge.

CXXIII.

Deus timendus eſt: Deus namque efficit,
Quæ nemo poſſe crediδiſſet effici.
Videre nullum quod putas, Deus videt.

CXXIV.

Subeſſe quod par regibus, par obſequi eſt,
Regnare vulgus cum cupit, nullus regit.

CXXV.

Summa eſt ſupremi numinis potentia:
Eâque certum eſt eſſe nil potentius.

CXXVI.

Regem eſſe ſolum judica, qui ſe regit.
Nam quem reget, qui ipſi ſibi eſt inutilis?

CXXVII.

Rex fallitur: nam atrox fere eſt periculum,
Stitiſſe nudam veritatem regibus.

CXXVIII.

Irata plebs cum eſt, principi modeſtia
Placere debet; ira namque iras alit.

CXXIX.

Vis nulla, majeſtaſve vulgo eſt imperI:
Tantumque turbo principatus plebis eſt.

Nihil

CXXX.

Nihil quietum eſt quidlibet moventibus :
Namque in moventes quidlibet mox ſe movet.

CXXXI.

Movere quæ quieta tu nunquam velis.
Quieta quæ ſunt, ipſa ſe ſatis movent.

CXXXII.

Potentius plerumque nil eſt tempore.
Domare nemo quod poteſt, tempus domat.

CXXXIII.

Nunquam timento te tui, timeant tibi.

CXXXIV.

Quidvis egeſtas dura mortales docet.

CXXXV.

Princeps tyrannus & tyrannus eſt ſibi.

CXXXVI.

Vix eſt potentiâ haud qui abutitur ſuâ.

CXXXVII.

Piſcator idem quod facit, facit quoque
Turbare quiſquis publicam pacem cupit.
Plerumque cum quieta ſtagna, nil capit.
Commota ſed ſunt cum illa, cum turbata ſunt,
Captura multa eſt. Mens ea eſt turbantium.

CXXXVIII.

Pax alma, ſuave cunctis nomen gentibus,
Inter Deas pulcherrima eſt pulcherrimas.
Privata pax, pax publica, eſt quodvis bonum.

CXXXIX.

Boni morantis triſtis exſpectatio eſt.

CXL.

Rex plebſque cum committitur, videre te puta
Commota ventorum duellis æquora.

CXLI.

Injurias primas ferens, plures feret.

CXLII.

Obſtare multitudini, obſtare eſt ſibi.
Nil majus eſt, nil altius modeſteâ.
Solâ perennant ſceptra nam modeſtiâ.

Eſt

Eſt cuius hæc, huic tuta majeſtas manet.

CXLIII.

Tolerare multa eſt obſequentis ſubditi:
Majus malum eſt, cum quod malum eſt non vis pati.

CXLIV.

Per factiones forte rex cum pulſus eſt,
Carere rege qui putat ſe, non caret.

CXLV.

A rege cur jam diſsidet qui ſubditus?
Subjectus & rex vinculo uno junctus eſt:
Et hic, & iſte vinculo hoc rupto perit.
Pereat ſed ut rex, vult perire ſubditus,
Perdendo qui perire vult, fæde is perit.

CXLVI.

Datum quod eſt tibi, haud datum ſemper putes:
Avara namque ſæpe dantis eſt manus.

CXLVII.

Excelſa quæ ſunt, ſæpe ad imaſunt via.

CXLVIII.

Injuriam qui reddit, hic cavet novam.

CXLIX.

Moderata ſemper pœna ſit percantium.
Quæ eſt ira ſæviens nimis, tantum eſt furor.

CL.

Vi qualibet eſt major illa, quæ eſt vis ingeni.

CLI.

Quod vis poteſt haud, hoc modeſtia obtinet.

CLII.

Laudare virtutem, haud amare, eſt improbi.

CLIII.

Non ſperne parva; ſæpe vis parvis ſubeſt.

CLIV.

Adverſa nunc virtutibus ſunt tempora;
Virtutis omne præmium ſcelus tenet.

CLV.

Ignota cum cauſa eſt mali, idem majus eſt.

CLVI.

Quiſquis futuri haud gnarus, haud præſentium eſt.

Futura

Futura quæ ſint, admonent præſentia.

CLVII.

Humana ſunt ſubjecta ſortis caſibus:
Adverſa nunc, ſecunda nunc eſt cuilibet.
Se quidlibet mutat; nihil fixum manet.

CLVIII.

Suum haud tuetur quiſquis, is ſuum haud habet.

CLIX.

Pleriſque culpa, nil niſi ignorantia eſt.
Quid quippe agendum, neſciunt jam plurimi.

CLX.

Non exulat quicunque non exul ſibi eſt.

CLXI.

Regentibus vis multa, cum ipſi ſe regunt;
Parentibus ſed major eſt, cum ſe haud regunt.

CLXII.

Huic, cui timendum nil, timendum vulgus eſt.

CLXIII.

Eſt vulgus, inſtar eſſe quod vult principis.

CLXIV.

Feciſſe quod non vis videri, cur facis?
Feciſſe quodque vis videri, haud cur facis?

CLXV.

Immota regna principi haud manent diu;
Fax multa ſemper, multa vis moventium eſt.

CLXVI.

Sol ortus eſt cuicunque, eidem & occidit.
Sua eſt diei cuilibet nam veſpera.

CLXVII.

Corona regem ſæpe non ornat, premit.

CLXVIII.

Iniquius ſe offert nihil ſuperbiâ:
Nam quidlibet contemnitur ſuperbiâ.

CLXIX.

Sors dura & aſpera omnium eſt regentium.
De rege regnandi imperiti judicant.
Videtur & jam ſervitus, regi obſequi,
Et liber hic, cui eſt omnium licentia.

Non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

CLXX.

Non multa fortiora quæ pænis mala:
Quo puniuntur hæc magis, gliſcunt magis.

CLXXI.

Præſentia inter de futuris cogita.
Quæ haud ſunt, erunt; & illa quæ ſunt, non erunt.
Suprema lex hæc omnis eſt prudentiæ.

CLXXII.

Summa in cavendum eſt principi potentia,
Obeſſe nemo cum poteſt, ne obſit ſibi.

CLXXIII.

Videnda nunquam, aut viſa, tandem ætas videt:
Nox nulla vidit quod, videt palam dies,
Videtque nunc primum, videri quod ſtupet;
Videtque dum, videre ſe haud credit ſibi.
Captiſque percuſſiſque rerum regibus
Edit libido ſubditi ſpectaculum,
Spectare quod eos, ſaxa nulla ſuſtinent;
Nec ferre poſſit æris aut ferri rigor.
Quis ferreum eſſe ſeculum hoc noſtrum neget?

CLXXIV.

Regumque vita principumque nil niſi
Plerumque ſicci haud finis exſpectatio eſt.
Plures amant quem & unius ſit victima.

CLXXV.

Silere linguam, non loqui tantum, decet:
Interpres haud ſit quod tegendum pectoris.

CLXXVI.

Securus ut ſit qui regit, primum hoc agat,
Securus ut ſit ſubditus. Nam principis
In ſubditi ſecuritas ſita eſt manu.

CLXXVII.

Victos ſuperbus victor ignavos vocat,
Modeſtus infelicioreo judicat.
Et ſæpe tantum eſt victus infelicior.
Subjectus huic & victor eſt diſcrimini.

CLXXVIII.

Sunt diſpares fere exitus inter pares.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Par finis omni eſt principi, haud par exitus.

CLXXIX.

Inefficax non eſt ſcelus. Nam principis
Sceptrum popoſcit carnifex, ſcelus dedit.

CLXXX.

Quæ plebis eſt in principem rebellio,
Nubis ruentis inſtar eſt: tandem perit.

CLXXXI.

Antiqua quiſquis commovet rebus novis,
Movetur ipſe, & motus haud perſtat diu.

CLXXXII.

Plebem inter, & plebis duces modeſtiam,
Eſt ſemen ignis inter undas quærere.

CLXXXIII.

A plebe motus qui excitatus eſt ſemel,
Lerna eſt; novis ſemper reverſura artubus.

CLXXXIV.

Plebs cum ex cloaca & fæce ſurgens incipit
Regnare, neſcit vigiletne, an ſomniet.
Nova ac inuſitata quævis perpetrat:
Mox perpetrata perpetraſſe ſe ſtupet,
Laudatque ſe, damnatque non potens ſui,
Inexplicabili furens vertigine.
Miratur hærens ſit quod oſtenti hoc genus;
Tumetque nunc ſuperbiâ, nunc & timet.

CLXXXV.

Et crede regibus, ſimulque ſubditis,
Offerre regum multa parcimoniam.

CLXXXVI.

Et cive quovis vilior rex civis eſt,
Et rege quovis durior rex civis eſt.

CLXXXVII.

Mutata quæ ſunt regna, ſunt mapalia
Afri; nam eodem non manent loco diu.

CLXXXVIII.

Incerta rerum eſt omnium poſſeſſio.
Nec ambigas. Videſne plebis omnia
Vi maximorum poſſideri principum?

Do-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

CLXXXIX.

Domo unde, quaque ſtirpe, quîs majoribus,
Ignotus, ipſe ignotus & ſimul ſibi,
Et ſceptra prædo jam & coronas occupat,
Pulſiſque regem ferre ſe audet regibus.
Fortuna magnos ſæculo hoc jocos facit.

CXC.

Occœpit inſanire qui ſemel, furens
Magis magiſque fertur in veſaniam.

CXCI.

Virum qui adortus omnis ignarum doli eſt,
Vir ille non eſt, ne quidem ille eſt ſemivir.

CXCII.

Quicunque regis innocentis ſanguinem
Exhauſit, idem plurium ſemper ſitit.
Qui ſanguine auctus eſt, alit ſe & ſanguine.

CXCIII.

Victor ſceleſtus ſit licet, tandem tamen
Cedat neceſſe eſt victus, & jam deſinat.
Sors iſta, fatum hoc impia audentem manet.

CXCIV.

Civile bellum cui eſt, & externum placet.
Iuratus hoſtis omnium eſt, qui hoſtis ſibi eſt.
Foris domique conſilibus idem ſedet;
Domi id ſed eſt foriſque ſeſe perdere.

CXCV.

Mens caſta quæ obſequentium, errantes licet,
Pulſat trahitque haud, proteritve principes.

CXCVI.

Sibi principem ſuperba vult ignoſcere
Plebes, & hæc ignoſcere haud vult principi.
Sibi id quod optat, principi illud cur negat?

CXCVII.

Scrobis latentis inſtar eſt plebs principi.
Namque ante quam cavere poſſit, incidit.

CXCVIII.

In rege dulce eſt ſubditis, & unicum,
Monſtrum impotentis pectoris ſi vicerit.

Mon-

Ni vicerit, ſe ſubditus victum dolet,
Victuſque ſic nil præter iras induit.
Nocens potenti mentis impotentia eſt.

CXCIX.

Bona imperanti haud ſufficit vis imperi;
Bene imperantis eſt & exemplum dare.
Pro lege quavis regis exemplum valet.

CC.

Qui rex avarus monte prædarum eſt gravis,
Graviſque civi, præda tandem civis eſt.
Avarus eſt qui, id quod cupit, negat ſibi;
Idemque habet quod, ſic ſimul negat ſibi.

CCI.

Regere obſequentes arduum eſt, ſed ſe magis;
Rex rege quiſquis ſe caret, non diu regit.

CCII.

Quod factio edit haud diu eſt durabile,
Informe monſtrum factio & tetrum nimis.
Adverſa quippe exuta cum jam factio
Videtur, haud eſt: ſemen adverſæ manet.
Cur ergo tot ſunt factionum principes,
Faceſque tot tubæque, cur tot aſſeclæ,
Tranquillitatis publicæ hoſtes & ſuæ?
Victoriæ uſus ſolus his tantum eſt metus.
Metuenda non vult cauta quæ ſecuritas.

CCIII.

Nec vaſta regna, regna nec ferro petat
Rex quiſquis eſt. Nam capta cum ſunt plurima,
Captis tenetur impeditus gentibus.

CCIV.

Partis tumere inſania eſt victoriis,
Lux una parta ſæpe quæſunt diſſipat.

CCV.

Noli imperare ſemper id quod tu velis:
Hæc imperanti fixa ſtet ſententia.

CCVI.

Regnare tantum glorioſa eſt ſervitus;
Regnare nemo nam poteſt, ni ſerviat.

Sor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Servire regi & munus eſt parentium,
Honeſta ſi ſit, non pudenda ſervitus.

CCVII.

Eſt finis odium omnis invidentiæ.

CCVIII.

Fucatus eſt qui, peior odio eſt amor.

CCIX.

Multis amicis principis ſors indiget:
Idemque amicis non caret, cum amicus eſt.
Exactus omnis exigit vices amor.
Princeps amari, amet niſi ipſe, non poteſt.

CCX.

Curanda qui permittit alteri ſua,
Iuſtam imperI curam imperator haud habet;
Ipſumque ſeſe cum ſuiſque negligit
Perditque. Peſtis regis eſt incuria.

CCXI.

Tantum imperando haud impetrari amor poteſt:
Bene imperando ergo impetrandus eſt amor.

CCXII.

Sæpe odio rex eſt, licet non oderit.
Fortuna regis plurimis eſt odio.

CCXIII.

Quidvis jubere in civitate & poſcere
Nolint regentes: nam impetrare hoc eſt nihil.
Haud velle debent ſubditis ringentibus
Nolentibuſque noluiſſe quod volent.

CCXIV.

Amare non minus, quam amari, eſt principis.
Amante, amato hoc, eſt nihil potentius.

CCXV.

Diverſa poſſunt velle ſæpe nolleque
Princeps amicus ac amicus principis.

CCXVI.

Ex ingerentibus legendus principi haud
Miniſter; eſt ex ſe ille ſubtrahentibus.

CCXVII.

Nulli eſſe genti liberæ debet gravis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Vis principis. Servire libera haud poteſt.

CCXVIII.

Ne coge. Cogit quiſquis, invito imperat.
Civilis eſt hoc principis, nil cogere.

CCXIX.

Tacentis ira ſemper ira plus parit;
Iram & tegentis ira plus ſemper nocet.

CCXX.

Vim injuriamque inferre multitudini,
Offerre ferrum, armare plebis eſt manus.

CCXXI.

Tu non beatos, ter beatos dixeris,
Tot perduelles, totque ſcurrarum gregem,
Scelera inter & tot criminum frequentiam
Multo fruentes Syrtium ſilentio,

CCXXII.

Adverſa quos adorta ſors eſt principes,
Monſtrant ſequendam calle recto lineam.

CCXXIII.

Gens quæ ſuperbâ præpotens potentiâ
Tantum ſuâ eſt; non eſt potens ſuperbiâ.
Superbus hoc poteſt, poteſt ſe perdere

CCXXIV.

In principes, gens una cum exemplo nocet,
Non una bruto contumax faſtidio eſt.

CCXXV.

Quicunque honorem debitum regi negat,
Idem & ſupremo numini cultum negat.

CCXXVI.

Non blandienti vernulæ rex det fidem.
Infida bladientis eſt oratio.

CCXXVII.

Lis prima reges ſubditoſque inter, fere eſt
Mutationis imminentis nuncia,
Nam contumax eſt partium ſuperbia;
Ceditque qui alteri, minorem ſe putat.
Hic fons, origo hæc publicorum eſt motuum,
Exciſa per quos gentium pax nunc jacet.

Pars

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

CCXXVIII.

Pars major eſt quæ deſipit mortalium,

CCXXIX.

Quæ cauſa quærunt ſit mali præpoſtere,
Evenit id cum, plurimi, ac tolli haud poteſt.

CCXXX.

Somno meroque qui ſepultus vitam agit
Quæ vita jam pleriſque in aulis vivitur,
Alvi voracis vivus hauritur ſpetu.

CCXXXI.

Offenſa plebes principum ſuberbiâ,
Tandem haud premendis ex itatur motibus.

CCXXXII.

Qui principes, qui liberi audiunt, gravi
Capti tenentur ſub volup atum jugo.

CCXXXIII.

Rex ille, princeps ille ſolus, victor eſt
Regnantis in pleriſque qui libidinis.

CCXXXIV.

Bono probandum eſt, livor id quod improbat,
Virtus probat quod, livor omnis improbat.

CCXXXV.

Cum jam excitata civium rebellio eſt,
Non amne toto flamma tanta extinguitur.

CCXXXVI.

In principum virtutibus primam puta,
Opem benignam ferre ſupplicantibus.
Ex ſupplice hoſtem nam facit, qui non tulit.

CCXXXVII.

Stet iſta regi cuilibet ſententia,
Unam paremque ſortis humanæ vicem
Inter regentes eſſe & inter ſubditos.

CCXXXVIII.

Laudis rapacem principem, haud pecuniæ,
Qui vult amari, ſemper eſſe convenit.
Tabes avarus omnis obſequentium eſt.

CCXXXIX.

Supremi agunt quodcunque rerum principes,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Conducit illud, aut neceſſe eſt, aut placet.

GCXL.

Periculum in quicunque non unquam incidit,
Incautus, imprudens, periculo haud caret.

CCXLI.

Cavenda quæ ſint, ſemper incautus docet.
Qui incautus eſt, magiſter & prudentis eſt.

CCXLII.

Quicunque multitudini ingratum, facit
Periculoſæ plenum opus quod alea eſt.
Obſtat ſibi is, quicunque multitudini.

CCXLIII.

Multi timent, cauſam & timoris neſciunt.
Multi haud timent, timenda jam cum ſe offerunt.
Sperare quam, timere præſtat quemlibet.
Speranda multa, plura ſed timenda ſunt.

CCXLIV.

Ignarus obſequi, imperare non poteſt;
Ignara quæ ſceptri eſt manus, ſceptrum haud tenet.

CCXLV.

In principatu conſtitutus ſe ut regat,
Plane eſt neceſſe: ni regat, vulgus regit.

CCXLVI.

Contrariis qui ſe implicat negotiis,
Contrariusque hoſtisque ſemper eſt ſibi.

CCXLVII.

Quicunque rebus in laborat perditis,
Fruſtra laborat: qui fuit labor, manet.

CCXVIII.

Perit quod ingrato exhibetur offici.

CCXLIX.

Facto malo factum eſt boni quidquid perit.

CCL.

Multis venenum eſt, blanda quæ eſt oratio.

CCLI.

De inanibus certare multi ſic ſolent,
Majora ſic ut vilipendant interim.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

CCLII.

Nil aula quam moleſtiarum mater eſt.
Cura omnis hic curæ modo eſt mutatio.

CCLIII.

Mutantur haud, mutare quæ ſe tempora
Stulti putatis: omnis eſt mutatio
Mores priorum ab integros mutantibus.

CCLIV.

Infame quamvis perditumque ſæculum
Sit iſtud, haud ſit tædio; pejus venit.
Iniquiora poſterorum exempla ſunt.

CCLV.

Probata quæ majoribus, ſeſe haud probant
Nobis: probabunt noſtra nec ſe poſteris.
Haud ſemper idem diſplicet, ſemper placet.

CCLVI.

Qui plura, quam par, appetit, perdit quæ habet.

CCVII.

Piſcator ictus cum ſapit, ſero ſapit.

CCLVIII.

Spee aureas ſunt qui offerunt ſemper ſibi,
Verum quæ inanes mox in auras exeunt.

CCLIX.

Inſanus eſt, majora qui ſemper bona
Sperare malit, quam bonis, quæ habet, frui.

CCLX.

Sunt bella ſemper queis placent civilia:
Nam bella proſunt ſunt quibus civilia.

CCLXI.

Multi ſua ægre ferre non ſolent mala,
Affligi iiſdem cum ſuos hoſtes vident.

CCLXII.

Adverſa amicum ſola ſors verum probat.

CCLXIII.

Nil eſt avaro aut invido infelicius.

CCLXIV.

Bis ſaxum in idem impingit haud, quiſquis ſapit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

CCLXV.

Magnum appetendo, ſæpe perdimus minus.

CCLXVI.

Sperare poſſe nil, carere eſt omnibus.

CCLXVII.

Quæ profutura credis, haud raro nocent.

CCLXVIII.

Id quod placet, jus eſt tyranno cuilibet.

CCLXIX.

Diſcriminis res plena in aula eſt veritas.

CCLXX.

Pauciſſimis recte datum eſt dignoſcere,
Quid ſit mali, quid & boni in re qualibet.

CCLXXI.

Dolus ſceluſque ſemper auctori redit.

CCLXXII.

Obeſſe qui vult, ſæpe prodeſt alteri.

CCLXXIII.

Regno impares ſi, qui regunt, viles quoque
Sibi arrogare principatum geſtiunt.

CCLXXIV.

Placuiſſe regi magna laus eum dicitur,
Sæpe haud minorem diſplicentis judica.
Semper placet qui, huic eſt nihil quod diſplicet.
Bonis probiſque multa ſemper diſplicent.

CCLXXV.

Mons parturit cum, ſæpius murem parit.

CCLXXVI.

Expende: rerum eſt omnium uſus diſcolor.

CCLXXVII.

Erroris obſtat multa nubes omnibus:
Videre acutum qui putat ſe, nil videt.

CCLXXVIII.

Metuque ſpeque qualibet permixta ſunt.

CCLXXIX.

Recte ſapis ſi, à te cave primum tibi.
Plerumque nullus hoſtis eſt, quam tu tibi.

Iux-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

CCLXXX.

Iungenda non eſt dextra cum rebellitur:
Iunxiſſe, pacem eſt invidentis gentibus.

CCLXXXI.

Parcendo princeps ſubditis, parcit ſibi.

CCLXXXII.

Bellumve paxve ſint petenda an, ambigas.
Offertur anceps Martis in campo alea.
Intuta pacis gentibus ſunt tempora.
Secura nam quæ tempora, hæc intuta ſunt.

CCLXXXIII.

Cæde abſque, ſanguine abſque, vitam finiit
Regentium ullus vix, jocus cui fuit
Luduſque, ſanguinem ſuorum fundere.
Pereunte cum innocente rex nocens perit.

CCLXXXIV.

Non cuilibet ſe fœderi rex illiget:
Nil fœdius quam quod cum iniquo fœdus eſt.

CCLXXXV.

Ne crede fœderi nimis: nam in fœdera
Coeunte dextrâ, ſæpe non coit fides.

CCLXXXVI.

Ius illud omne, quod vocatur gentium,
Res gentiumque publica, eſt humanitas.

CCLXXXVII.

Intutior quo major eſt ſecuritas.

CCLXXXVIII.

Odere multi quos amare ſe putant.

CCLXXXIX.

Redire ſi contingeret prioribus,
Et noſtra noſque viſere, & verſa omnia
Hic intueri, Orbis his Novus foret;
Habitatus haud olim orbis, ignotus ſibi.
Tam magna rerum facta nunc converſio eſt.

CCXC.

Præſume non tu magna de mutantibus.
Mutantibus quippe imminet mutatio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

CCXCI.

Quieta cum ſunt tempora, haud quieſcere eſt
Illos putandum, inviſa queis tua eſt quies.
Subinde nec dormit, putas quem ſtertere.

CCXCII.

Profunda multis eſt nimis ſecuritas.
Nullum timentis eſt, timere quemlibet.

CCXCIII.

Eſt eminentis ſe putare unum ex ſuis.
Impos ſui eſt, quicunque ſe haud unum putat.

CCXCIV.

Sperata quæ non qui accipit, ſuperbus eſt,
Audetque & id, ſperare quod non auſus eſt.
Vilis fuit qui, aſper fere idem eſt omnibus.

CCXCV.

Dominum eſſe ſi princeps ſuorum cum autumat,
Ex ſubditis ſervos, ſimulque hoſtes facit.

CCXCVI.

Ne ſperne parvum: ex ſurculo arbor naſcitur.

CCXCVII.

Sibi hoſtis eſt plerumque, qui hoſtem non habet.

CCXCVIII.

Moderata durant: noxia immodeſtia eſt.

CCXCIX.

Avarus eſt quiſquis, nihil ſatis putat.

CCC.

Conceſſa non eſt præter optandum amplius.

CCCI.

Opinione nullus eſt dives ſuâ.

CCCII.

Quæ vera virtus eſt, ſibi haud unquam timet.

CCCIII.

Ignota ſunt pleriſque. quæ proſunt bona;
Ignota ſunt pleriſque quæ nocent mala.

CCCIV.

Fidem atque ſpem is qui in ſe locat, non fallitur.
Plerumque amicus nil quam inane nomen eſt.

Ocu-

CCCV.

Oculata debent eſſe ſceptra principum,
Aurita &, eſſe tuta ſi quidem velint.

CCCVI.

Quo preſſa virtus eſt magis, ſurgit magis.

CCCVII.

Sibi hoſtis eſt, adverſus eſt qui nemini.

CCCVIII.

In principatu blanda vis multum poteſt.

CCCIX.

Fortuna blanda cui nimis, nunquam favet.

CCCX.

Quovis potente numen eſt quod plus poteſt.

CCCXI.

Infida ſors eſt: cum placet, ſtruit dolos.

CCCXII.

Quicunque major ſit, minorem ſe putet.

CCCXIII.

Vi conſilI carens nihil poteſt manus.

CCCXIV.

Fortuna quæ favet diu, fallit diu.

CCCXV.

Cui excubat ſuorum amor, ſat tutus eſt.

CCCXVI.

Amare, amari, ſolæ opes mortalibus.

CCCXVII.

Terrere multos, eſt timere plurimos.

CCCXVIII.

Omnes timendi huic ſunt, timet qui neminem.

CCCXIX.

Placere quæ ſolent, nunquam placent diu;
Quæ diſplicere, diſplicent ſemper diu.

CCCXX.

Pati poteſt qui multa, multum idem poteſt.

CCCXXI.

Ortu quod eſt tardum, diu ſemper manet.

CCCXXII.

Multis nocet plus civium enſis, quam hoſtium;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Quo haud victa tantum, ſed manus victrix perit,

CCCXXIII.

Tardum eſt furentibus, nocentem quærere.
Ergo & furenti eſt quiſquis offertur nocens.

CCCXXIV.

Vi ſæpe major, viribus perit ſuis.

CCCXXV.

Quiſquis faventis uſus eſt ſortis bonis,
Maliſque non faventis, is ſolus ſapit.
Huic nota rerum eſt omnium inconſtantia.

CCCXXVI.

Dum putre quod membrum eſt reciditur nimis,
Medicina juſtum publica excedit modum.

CCCXXVII.

Supereſſe ſoli cum nocentes principi
Poſſunt, iniquum haud parcere eſt nocentibus.

CCCXXVIII.

Pugnare, cacâ mittere eſt telum manu.

CCCXXIX.

Multum poteſt quicunque habet vires dolor.

CCCXXX.

Momenta ſunt quæ parva, dant & maxima.

CCCXXXI.

Oculuſque menſque humana non prendunt modum:
Sic ſumma paſſim regnat immodeſtia.

CCCXXXII.

Alterna regum plebis & ſunt jurgia.

CCCXXXIII.

Rapit minoris major omnis gloriam:
Pruina nunquam ſole conſpecto manet.

CCCXXXIV.

Eſt tecta in aulâ qualibet quavis via.

CCCXXXV.

Turbare, quavis tollere eſt diſcrimina.

CCCXXXVI.

Timere debet is, timendum qui facit.

CCCXXXVII.

Sceleris latebræ cum patent, ſcelus perit.

Ma-

CCCXXXVIII.

Magnum omne vile eſt, vilis eſt cui fides.

CCCXXXIX.

Quod gignit, idem & omne conſumit dies.

CCCXL.

Favit ſcelus quod, hic reducit & ſcelus.
Scelere eſt favente nam nihil nocentius.

CCCXLI.

Primum ſcelus poſt itur in quodvis nefas;
Scelere addito ſemper tuetur ſe ſcelus.

CCCXLII.

Diſſuaſor æqui ſemper armati enſis eſt:
Vis nulla & æquo eſt, ſola vis quod impetit.

CCCXLIII.

Civile bellum nil ſuorum quam odium eſt
Suique; nemo odiſſe ſe aut ſuos velit.

CCCXLIV.

Time timentes; ira fit tandem timor.

CCCXLV.

Civilis omnis monſtrifer motus venit.

CCCXLVI.

Vulgi excitatus laſſus eſt brevi furor.

CCCXLVII.

Sine hoſte bellum eſt quodlibet, quod civium eſt.

CCCXLVIII.

Amiſſa rerum vera ſunt vocabula:
Sceleri nefando quippe virtus nomen eſt.

CCCXLIX.

Armata legum eſt omnium mutatio.
Ferri poteſtas jus ſupra & leges valet.

CCCL.

In re gerenda, quæ iniqua & noxia
Ipſi eſt gerenti, erraſſe, felix error eſt.

CCCLI.

Pavore quod fingunt malum, multi timent;
Haud quod futurum eſt, haud quod eſt, ſibi offerunt.

CCCLII.

Ignota cælo cum videntur ſidera,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Horret pavetque quilibet: ſecurior
Cur aſpicit portenta tot paßim nova,
Et viſa nunquam, quæ indies tellus parit?

CCCLIII.

Veniunt minora, ſæpe majora & metu.

CCCLIV.

Timere ſemper convenit ſperantibus:
Sperare ſemper convenit timentibus.

CCCLV.

Nimio ſub omni pondere eſt lapſus gravis.

CCCLVI.

Se haud fert, nimis ſecunda quem ſors extulit.

CCCLVII.

Quæ ſancta diſcors plebs reſcindit fœdera.

CCCLVIII.

Odiſſe ſceptrum, poſcere eſt ſceptrum ſibi.

CCCLIX.

Ambire noli magna; magna in ſe ruunt.

CCCLX.

Poſitus petendi eſt cuilibet certus modus,
Plus qui petunt, id quod petunt, negant ſibi.

CCCLXI.

Diſcordiæ quæ eſt fax, mala eſt concordia.

CCCLXII.

Fortuna larga quæ nimis, cæcos facit.

CCCLXIII.

Patiens poteſtas nulla conſortis fuit.

CCCLXIV.

Uſu laborum fit minor quivis labor.
Uſus laborum eſt, qui laborantem erigit.

CCCLXV.

Fortuna primum proxima affectat locum.

CCCLXVI.

Non cauſa victrix ſemper eſt hæc quæ placet,
Sed victa ſæpe eſt, quæ placet prudentibus.

CCCLXVII.

Cui cauſa juſta, haud victus eſt, cum vincitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

CCCLXVIII.

Pax ſæpe perdit longa rerum principes:
Longâ fruentes pace dediſcunt ducem.

CCCLXIX.

Neſcit timendas ille fortunæ vices,
Cui prona tantum prima ſuadet quidlibet.

CCCLXX.

Caſura quæ ſint regna, reges indicant
Ignavi, inertes, quique ſunt regno impares.

CCCLXXI.

Excelſa eodem nulla ſtat virtus loco;
Majora ſemper addit & prioribus;
Multumque, nî addat, detrahi credit ſibi.

CCCLXXII.

Spes quo, ira quo vocant, cave ſtatim aggredi.
Nocitura ſpes & ira multis ſuggerunt.

CCCLXXIII.

Summa ad ruinâ qui viam facit ſibi,
Ruit caditque, nec manet qualis fuit.

CCCLXXIV.

Cum dira, ruptâ pace cum jam civium
Arſere bella, quiſque quod poteſt, licet.

CCCLXXV.

Nil jus poteſt, cum caſtra miſcentur foro.

CCCLXXVI.

Dat cuncta civi, juſta qui civi negat.

CCCLXXVII.

Quamvis labanti, aut ſorte iniquâ perdita,
Servanda cauſæ ſemper eſt bonæ fides.

CCCLXXVIII.

Eſt vita turpis, quâ datâ corrumpimur.

CCCLXXIX.

Sibi eſt malum quod, velle nullus cogitur.

CCCLXXX.

Vitare nemo eſt qui poteſt inſtantia.

CCCLXXXI.

Semper malum mali omnis eſt vicinia.

Mortis

CCCLXXXII.

Mortis mora eſt, quæ longa vita dicitur.

CCCLXXXIII.

Malum rependit qui malo, haud ingratus eſt.

CCCLXXXIV.

Spelunca nil niſi omnis eſt aulæ domus:
Obſcura in illâ, tecta ſunt & omnia.

CCCLXXXV.

Parcente multum ſæpe quis poteſt manu.

CCCLXXXVI.

Plus quiſque ſæpe viribus poteſt ſuis.

CCCLXXXVII.

Primus timor ſemper manet timentibus.

CCCLXXXVIII.

Renatus anguis ſemper eſt rebellio.

CCCLXXXIX.

Quæ civium arma, infecta ſunt ſemper dolis.

CCCXC.

Tegitur latetque magnus audendo timor.

CCCXCI.

Omnis futuris blanda ſors fallit malis.

CCCXCII.

Qui pacis hoſtis publicæ eſt, furtim incipit.

CCCXCIII.

Timeri ab hoſte, plena res timoris eſt.
Nam vincitur tunc promptius, cum non timet.

CCCXCIV.

Incerta bellum ad umbra multos provocat.

CCCXCV.

Fortuna cæca ſæpe ſervit fraudibus.

CCCXCVI.

Occultus eſt latenſque qui hoſtis, major eſt;
Ars hujus omnis eſt inevitabilis.

CCCXCVII.

Caute imperantis, ſeque amantis principis
Subinde vulgi eſt obſequi calcaribus,

CCCXCVIII.

Coacta virtus omnis eſt & fortior.

Cor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

CCCXCIX.

Corrumpi & auro, nec minus corrumpere,
Emere illud eſt rem publicam & vendere.

CCCC.

Diuturna durant bella ſemper gentibus,
Quas eſſe vi fortuna diu pares ſinit.

CCCCI.

Ut albicantes bruma cum ſparſit nives
Texitque ſerras, ver tepens ſtatim redit,
Secunda ſic ſors ſemper adverſam excipit

CCCCII.

Fortuna quem auget, ſæpe Fortuna eſt pudor.

CCCCIII.

Superbus omnis, ventus eſt tantum loquax.

CCCCIV.

Timere multa, optare multa ſors jubet.
Timere quæ futura, vis præſentium eſt.

CCCCV.

Stimu'o furo‑is fluctibusque cum ſemel
Commota plebes, quidquid eſt fixum movet.

CCCCVI.

Quicunque ſupplici haud favet, nihil niſi
Et triſte truxque rupis eſt ſilentium,

CCCCVII.

Malo haud feracius quid, aut fæcundius.
Cauſa eſt mali, quod finis eſſe creditur.

CCCCVIII.

Fortuna vertit quidlibet: nil hanc pudet.

CCCCIX.

Poſt terga quæ ſunt, nulla ſit rebus fides.

CCCCX.

Longi mali eſt faſtidium, & longi boni:
Et bella longa, longa bellorum & quies,
Pleriſque ſunt inviſa paſſim gentibus.

CCCCXI.

Sunt mille pacis, mille bellorum vices.

CCCCXII.

Quicunque bello victor eſt domeſtico,

Victo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Victoriam haud, ſed eſſe ſtragem judicet.
Merces ea omnis una motus civici eſt.

CCCCXIII.

Poſt acta ſunt cum agenda, nil actum puta.

CCCCXIV.

Fugiens modo haud magna hoſtis eſt victoria.

CCCCXV.

Laſſata cum fortuna quæ blanda eſt, nocet.

CCCCXVI.

Armatus eſt inermis, armorum rudis.

CCCCXVII.

Virtutis os vultumque multi, ipſam haud habent.
Videre multi quod putant ſe, non vident.

CCCCXVIII.

Mavult timeri qui, quam amari, ſe haud amat.
Odiſſe quempiam aut timere haud differunt.

CCCCXIX.

Hoc velle quivis creditur, quicquid poteſt.

CCCCXX.

Inane ſceptrum eſt omne, cum regi placet
Iubere plura quam poteſt civis pati.

CCCCXXI.

Vis ſola princeps, lexque juſque cum haud valent.

CCCCXXII.

Qui longus eſt & ima permiſcet dies
Summis, & æquat ima quæ ſunt maximis.

CCCCXXIII.

Non dignus irâ quilibet ſit principis:
Robur potentis, multa poſſe ſpernere eſt.

CCCCXXIV.

Iubeare quicquid velle, vera eſt ſervitus.

CCCCXXV.

Miſer neganda eſt cui negare non licet;
Et cui roganda jam rogare non licet.

CCCCXXVI.

Et hoc & illud molienti cuilibet
Perdenda multa obſtacula inter eſt dies.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

CCCCXXVII.

Sublime rerum & imperl ad faſtigium,
Errat, per arma qui viam ſternit ſibi.

CCCCXXVIII.

Futura nemo fingat ex præſentibus:
Ignota quippe ſemper eſt lux craſtina;
Mortaliumque eſt omnium ignorantia,
Neſcire ſerus veſper id quod advehet.

CCCCXXIX.

Libenter haud ferentibus tantum eſt onus.

CCCCXXX.

Accepta perdit, plura qui non accipit.

CCCCXXXI.

Cognata ſunt quæ, infeſta nunc ſunt nomina.
Ætate noſtrâ principum ſubvertere
Eſt principes. Sibi hoc ſed exemplo nocent.

CCCCXXXII.

Securior quam aula eſt taberna pauperis.

CCCCXXXIII.

Excelſa turris lapſui omnis proxima eſt.

CCCCXXXIV.

Sol ortus haud nimis colendus eſt tibi:
Qui ſolis ortum, idem ille & occaſum videt.

CCCCXXXV.

Quodcunque, lætum, triſte, finis excipit.
Manſura nulla, cuncta finienda ſunt.

CCCCXXXVI.

Mors una cum ſit, mille nos rapit modis.

CCCCXXXVII.

Exordium quisquis mali, haud finem videt.

CCCCXXXVIII.

Annoſa multis ſilva perſtat ſæculis,
Nobis ſed eſt, eritque ſemper, lux brevis.
Qui vixit, is vixiſſe vix dicendus eſt.
Non poßidentis vita vitam eſt hoſpitis:
Nobis perit, nos & perimus tempori.

CCCCXXXIX.

Sua haud, petiſſe haud; & ſua indigentibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Dediſſe ſemper, ſolæ opes ſunt diviti.

CCCCXL.

Nec ſperni oportet quempiam, nec ſpernere.

CCCCXLI.

Eſt multa regis imperare & poſcere:
Multa imperanti & ſubditi debet fides.

CCCCXLII.

Pæna hic videtur longa quæ, eſt tantum brevis;
Si quis futuram haud finiendam cogitet.

CCCCXLIII.

Timendus ille maxime eſt, qui non timet;
Ex face quamvis inſimâ timendus eſt.

CCCCXLIV.

In carcere eſt cum qui innocens, & liber eſt.

CCCCXLV.

Magnum exill timere vim haud decet virum;
Una eſt domus nam totus orbis omnibus.

CCCCXLVI.

Uti neceſſe eſt te tuis, tanquam haud tuis.

CCCCXLVII.

Adverſa eâdem, quâ ſecunda, mente fer.

CCCCXLVIII.

Malum imperanti eſt obſequi tantum mali,
Dura imperanti at obſequi, eſt civis boni.

CCCCXLIX.

Commota plebes cum ſemel fuit, redit
Plebi inquietæ qui fuit nuper furor.

CCCCL.

Pleriſque quæ curanda non curantibus,
Videtur eſſe cura quæ eſt incuria.
Ætate neglectum quod eſt primâ, ſeni
Sperare, ſpes ſperantis eſt præpoſtere.

CCCCLI.

Manſura non eſt principi vis, qui premit
Famuliſque ſervos ſubditos facit ſuis.

CCCCLII.

Velum ferentes inter auras contrahe;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Repente quod diu profuit velum nocet.

CCCCLIII.

Mare ante & undas nauta portum deligit,
Fidus trementem forte qui ſervet ratem.

CCCCLIV.

Nil impetu fac: ſera pænitentia eſt,
Proferre cum, referre cum pedem haud licet.

CCCCLV.

Prodeſſe multis, haud nocere illud ſibi eſt.

CCCCLVI.

Adverſa ſeu ſors, ſeu ſecunda ſit tibi,
Et hæc & illa falſa fallit quemlibet.

CCCCLVII.

Adverſa quævis ſunt nihil ſperantibus:
Adverſa quævis ſunt nihil timentibus.

CCCCLVIII.

Mavult probandâ ſemper ignorantiâ
Neſcire prudens, ſcire quæ non expedit.

CCCCLIX.

Neſcire quæ juvat, libet non credere,

CCCCLX.

Incerta certe, incerta ſors eſt principum:
Fortuna ſceptris ſubdidit reges ſuis.

CCCCLXI.

Deum, quem adorant, non amare plurimos
Puta. Nam amant tantum illud ipſum quod petunt.

CCCCLXII.

Civilium quod finis eſſe motuum
Pleriſque creditur, fere eſt exordium.
Cineri doloſo nam ignis eſt ſemper ſuus.

CCCCLXIII.

In abdito plerumque fraus, dolus latent:
Quod eſſe plebis credis, haud ſilentium eſt.

CCCCLXIV.

Motum quod eſt movenſque, ſemper ſe movet,

CCCCLXV.

Felicitas cum eſt improbo, infelix mihi
Videtur eſſe ſemper hæc felicitas.

CCCCLXVI.

Plerumque ſtare cum putat quis ſe, cadit.

CCCCLXVII.

Vitium comes virtutis eſt. Nam gloria,
Virtute quæ parata, fit ſuperbia.

CCCCLXVIII.

Ipſum nocenti pœna ſemper crimen eſt;
Quo quisque gaudet crimine, hoc ipſo perit.

CCCCLXIX.

Quæ blanda magnum, quæ aſpera haud frangunt virum.
Oblata ſors quæcunque nunquam diſplicet.
Cur diſpliceret, offerenti quæ placet?

CCCCLXX.

Cum vita finienda ſit mortalibus,
Placitis carere ſit perinde, quam frui.

CCCCLXXI.

Vitiis regentis ſceptra ſervire haud decet.
Servitque qui regitque, ne quidem regit.

CCCCLXXII.

Non una, multa cura fallacem premit.
Pax nulla nam, nulla eſt quies menti malæ.

CCCCLXXIII.

Nox eſt doluſque, quando quis mendax ſibi eſt;
Sibi & tamen nunc mentiuntur plurimi.

CCCCLXXIV.

Amor ſatelles principi eſt fidiſſimus.
Omnes amare, ſeſe amare eſt maxime,
Omnes amat rex qui, idem & omnium eſt amor.

CCCCLXXV.

Cum mille rebus omnibus pericula.
Infeſta ſint, prudenter utere omnibus.

CCCCLXXVI.

Dat is petenti, noxium quod qui negat:
Et ſupplici repulſa nonnunquam favet.

CCCCLXXVII.

Ignota nobis cum bona & ſint & mala,
Humana ſubdat ſe Deo ignorantia.
Nunquam haud bonum eſſe, quod facit Deus, poteſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

CCCCLXXVIII.

Hic vivitur quæ vita, paucorum indiga eſt.
Plus velle quam eſt neceſſe, id indigentia eſt.

CCCCLXXIX.

Quod eſt id eſſe ſemper, hoc tantum eſt Dei.
Nulli id tributum eſt principi, nullus dabit.

CCCCLXXX.

Curæ officina eſt aula, & anxiæ; placet,
Aulamque & ante, vilis eſt quies caſæ.

CCCCLXXXI.

Virtus timet nil; non arenas Africæ,
Urſamve vaſto ſemper armatam gelu.
Magnis via omnis pervia eſt virtutibus.

CCCLXXXII.

Summa eſt poteſtas cum tributa regibus,
Hæc ſit poteſtas, velle quam poſſint minus.

CCCLXXXIII.

Regnum mereri, quam eſſe regem, majus eſt.

CCCCLXXXIV.

Magni hoſtis ipſa magnitudo eſt imperI.
Ex Orbe toto unam, ſuam & dum urbem facit,
Suâ ſuperba Roma mole concidit.

CCCCLXXXV.

Terrorque amorque robur eſt victoriæ.
Amare victos & timere convenit.

CCCCLXXXVI.

Qui magna de ſe ſentit, impoſtor ſibi eſt:
Se fallere autem, immanis eſt dementia.

CCCCLXXXVII.

Incerta certis poſthabenda ſunt. Patet
Cui terrâ itiner, vitet incertum maris.

CCCCLXXXVIII.

Optare multa mos fere eſt mortalium:
Pleroſque voti ſed peracti pœnitet.
Optanda quæ plerique non intelligunt.

CCCCLXXXIX.

Incerta ſors, iniqua, ſuccedentibus
Improſperis mox, proſperi quidquid dedit

Tollit rapitque. Bulla res mortalium eſt.

CCCCXC.

Refectio laboris eſt mutatio.

CCCCXCI.

Se nemo, qui ſapit, ſuperbus efferat.
Una eſt origo, ſanguis unus omnibus,
Vanumque quod fortuna diſcrimen facit.

CCCCXCII.

Eſt tarda nunquam quæ mora eſt prudentibus:
Non providenti ſed mora eſt obſtaculum.

CCCCXCIII.

Ventura quæ eſt, eſt nemo ſortis conſcius:
Metumque ſpemque quæ futura deſerunt.

CCCCXCIV.

Fortuna dicitur quæ, & audaces juvat,
Audacibusque adverſa nonnunquam nocet.

CCCCXCV.

Vis omnis eſt, & grata vis eſt principum,
Tremere & ſuperbos, ſubditisque parcere.

CCCCXCVI.

Quicunque rex eſt, ſemper & lex ſit ſibi.
Effranis omnibus nocet ſuperbia.

CCCCXCVII.

Plerumque pauper quisquis eſt, ſpe dives eſt;
Magnusque & auſus pauperis ſperantis eſt.

CCCCXCVIII.

Viciſſe quisquis ſe poteſt, magnum refert
Dulcemque fructum nobilis victoriæ.

CCCCXCIX.

Edoctus exemplo haud cavet quisquis ſibi,
Faſtis is inſerendus imprudentium eſt.

D.

Non offerenda eſt ulla lex nolentibus:
Nam lege mentis nulla lex eſt fortior.

DI.

Benigna quæ eſt, eſt fortior ſemper manus.
Hoſtesque permiſcere ſeque cladibus
Videntur hi, civile qui bellum gerunt.

Nam-

Namque obrutus quando hoſtis eſt, victor cadit.

DII.

Plebem impetentem mille ſerpentem dolis
Abeſſe nunquam principes rerum putent.

DIII.

Eſt liber is, virtutis hic qui ſervus eſt.

DIV.

Dicendus eſt rex ſolus ille, vana qui
Caſto ſuperbus deſpicit faſtidio,
Laudanda ſemper omnis hæc ſuperbia eſt.

DV.

Labor fere eſt regi laboris præmium;
Haud regibus laboris unquam finis eſt:
Rex eſſe qui videtur, idem & ſervus eſt.

DVI.

Quisquis bonus vere eſt, ſibi haud, cuiquam haud nocet.

DVII.

Cuivis regenti ſerviendum eſt tempori.
Subjecta cuncta legibus ſunt temporum.

DVIII.

Turbis obortis jam, novis ſe opponere,
Tantum mederi vulnere illud vulneri eſt.

DIX.

Moventium ſe augentiumque fluctuum
Eſt qualis unda, talis eſt vulgi furor:
Nam ſe magis magiſque, cum movit, movet.

DX.

In re gerenda ſemper eſt quod deficit:
Vel hoc vel illud haud adeſt agentibus.
Fluctu ſecundo ventus haud ſecundus eſt,
Vento & ſecundo non ſecundus fluctus eſt.

DXI.

Curanda rex cui publicæ ſumma eſt rei,
Dubium & procelloſum fere æquor navigat.

DXII.

In rebus arduis jubendo plus poteſt,
Non qui ire dux, ſed qui ſequi ſuos jubet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

DXIII.

Quæ magna parvis aggredi, cymba levi
Sulcare fluctus eſt verendos claſſibus.

DXIV.

Timenda quæ ſperare, mos eſt plurimis:
Sperare noli, quæ timere convenit.

DXV.

Nullo poteſtas rapta fulta robore,
Cannâ paluſtri non niſi intexta eſt domus,
Cujuſlibet tripudium eſt quæ turbinis.

DXVI.

Sterilis leviſque juncus eſt vulgi favor:
Innititur qui huic, proſpicit parum ſibi;
Ruitque præceps ille mox qui innititur.

DXVII.

Turbata pax cum publica & domi hoſtis eſt,
Poſte eſt recluſo hoſti viam externo dare.

DXVIII.

Minora votis immodeſtis omnia,
Majora votis ſe modeſtis offerunt.

DXIX.

Dubium aggredi & quod cognitum non eſt ſatis,
Nocturno id eſt rem ſpemque ponto credere.

DXX.

Pluvium ut Iovem ſol ore monſtrat lurido,
Sicutque ſignis luna ventorum rubet,
Motum movendæ multa plebis indicant,
Notare quæ vulgaris haud prudentiæ eſt.
Aliena, principumque quæ, plebs cum petit,
Turbo iſtat; ut plerumque tempeſtatis eſt
Et mergus index, præ mari cum ſiccum amat;
Et ardea undis cum æquoris ſpargit caput.

DXXI.

Ingreſſus invia, is viam haud ſperet ſibi;
Vetitoſque curſus vertere, hoc iter putet.

DXXII.

Ceſſura demens quælibet pericula
Sibi arbitratur; plurimoſque perdidit,

Plu-

Pluresque perdit principum hæc inſania.
Inſania ipſa hæc nil niſi eſt periculum.

DXXIII.

Nil, quidlibet præbere multitudini,
Quam tradere eſt ventis furentibus ſinum.

DXXIV.

Fortuna rara eſt ante vota quæ favet;
Poſt multa multis vota ſæpe non favet.

DXXV.

Fortuna quantum, quidve jam velit tibi,
Ferro experiri velle, non prudentis eſt.

DXXVI.

Civile bellum quodlibet, nihil niſi
Signa ad vocatum claßico eſt periculum.

DXXVII.

Nil quam mare eſt plebs, litus haud vult quod pati.

DXXVIII.

Miſer omnis ille eſt, qui timere nil poteſt;
Miſerque & ille optare qui poteſt nihil.

DXXIX.

Curis vacanti nulla res, aut perdita eſt.

DXXX.

Veri timor ſunt ſpeſque ſemper neſcia.

DXXXI.

Pleriſque quæ trita eſt via, eſt & devia.

DXXXII.

Majus malum cavere, primo obſiſtere eſt.

DXXXIII.

Plus ſcire oportet providum, quam prodere.

DXXXIV.

Populo furenti vix ſuus prodeſt furor;
Tantum favet plerumque paucioribus,
Queis ex furente ſola ſpes vulgo manet.

DXXXV.

Nulla eſt ſceleſto, eſſe aut poteſt ſecuritas;
Sceleriſque pœnæque omnis eſt vicinia.

DXXXVI.

Cur quem timet quivis, ſibi haud princeps timet?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Tremulum imperantis namque ſemper culmen eſt.

DXXXVII.

Vix finis armis quæritur civilibus,
Nec impetrabilis fere eſt, cum quæritur.
Odium cui haud non finiendi ſit mali?
Cur ergo paßim tantus & tam contumax
Vix finiendi plurimis amor mali eſt?

DXXXVIII.

Cui ſuum non eſt ſatis, nil eſt ſatis.

DXXXIX.

Geritur male illud, quamlibet feliciter,
Geritur quod omne ſumma per pericula.

DXL.

Externa multis bella, cur civilia,
Placent, ſuâ ipſi bella quæ damnant manu?
Velle eſt furor, ſublata quæ ferro velis.

DXLI.

Ius omne quod ferri eſt, iniquum eſt & grave.

DXLII.

Vacare rebus fata nullus ambigat
Mortalium; vacare cum haud putas, vacant.

DXLIII.

Mendacium tantum omnis aſſentatio eſt.

DXLIV.

Civilium excitare bellorum faces,
Nefaſque faſque ſemper eſt confundere.

DXLV.

Infauſta fauſtis juncta qui non judicat,
Bubone lætas is ſiniſtro aves putat.

DXLVI.

Dux factionis, mota cum Reſpublica eſt,
Non bella partibus gerit, gerit ſibi.

DXLVII.

Prodit repente veris inconſtantia,
Ver eſſe cum & formoſus annus creditur.

DXLVIII.

Non invenit bellum inquietus, ſed rapit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

DXLIX.

Qui plebis auras, non manentes colligit.

DL.

Mare omne caute navigandum eſt: quodlibet
Nam cuilibet non pervium velo æquor eſt:
Mariſque ad inſtar omnis eſt Reſpublica.

DLI.

Plebem haud move: nam plena res periculi
Ventum facemque eſt eſſe plebis: & ratem
Quæ vexit aura, ſæpe non poteſt ſequi.

DLII.

Levis diu haud vulgi manet ſilentium:
Diuturnus alti languor haud unquam eſt maris.

DLIII.

Novo timori vota ſunt ſemper nova.

DLIV.

Secunda poſt adverſa grata ſunt magis:
Ut gratior lux nube poſt læſum diem eſt.

DLV.

Ne coge ſubditoſque liberoſque: nam id
Nolentis idem eſt & volentis principis.

DLVI.

O ſæculum, moreſque ſæculi! Suam
Rem nunc amare, amantis eſt rempublicam.

DLVII.

Mota ut videmus ima montes æquora
Pulſare, ſic & mota plebs opponere
Se principi audet, ambiens faſtigium.

DLVIII.

Timenda multa tecta ſunt prudentibus.
Arena vaſto abſtruſa paſſim eſt æquori.

DLIX.

Ætas fuit noſtrâ ulla vix inſanior.
Diſcordiæ manent; mora haud concordiæ eſt.
Hoſtem ex amico quælibet facit dies:
Hinc nulla certa, nulla pax eſt gentibus.

DLX.

Pax ſæpe bello eſt quolibet nocentior:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Portu maligno tutius quodvis mare eſt.

DLXI.

Intuta ſunt, locata quæ in tuto putas.
Excepta portu haud ſalva dicenda eſt ratis;
Scrupoſa nam ſunt ſæpe ſaxa portui.

DLXII.

Sortis ſub ictu ſtare, non prudentis eſt.

DLXIII.

Eſt eminente tutior, quiſquis latet.

DLXIV.

Stultum haud movendis nolle ſervire eſt malis.

DLXV.

Cum clauſa fœdo ſervitutis carcere
Gens libera eſt, ſervire dum videtur, haud
Servit, ſed unum hoc, libera ut ſit, cogitat,
Exire latis & ruinis deſtinat.

DLXVI.

Qua prodimur, ſæpe umbra, ſæpe eſt res levis:
Propinquus hoſtis pulvere hoſti noſcitur.
Auſurus ergo tecta quæ eſſe convenit,
Cum quodlibet non, cætera incaſſum tegit.

DLXVII.

Laude abſque bella civium ſunt. Crimen eſt
Spectata virtus omnis in civilibus.

DLXVIII.

Bella haud relegant bella, ſed tantum ſe alunt.

DLXIX.

Metuſque ſpeſque ſunt ferenda ad omnia,
Subjecta quæ ſunt caſuum periculis.

DLXX.

In mente principum quod abditum latet,
Dilata longâ nocte & hærens eſt dies,
Dieque tandem ſe palam prodit ſuo.
Non facta nolunt, ſed futura intelligi.

DLXXI.

Arcana cauti principis, ſoli huic patent;
Arcana non ſunt, cum illa ſoli non patent.

Ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

DLXXII.

Externa cum haud ſunt, excitant civilia,
Externa tollunt bella quæ civilia.
Qui finis eſt belli, novi eſt exordium.

DLXXIII.

Non velle multa, multa ſed nolle expedit.

DLXXIV.

Sunt militum vi parta regna ſceptraque,
Et occupata, in militum tantum manu.
Quam caſtra fundant tuta non Reſpublica eſt,
Incerta nam eſt caſtrenſium ſemper fides.

DLXXV.

Mutatio ex mutatione gignitur:
Mutatio omnis ſemper exemplo nocet.

DLXXVI.

Numen favere cum videtur, haud favet
Semper; nocere cum videtur, haud nocet.

DLXXVII.

Humana mens eſt vaſta, vaſta concupit;
Nullus ſuperbæ finis, & nullus modus,
Limeſque nullus ponitur libidini.
Hinc motuum tot, totque bellorum faces.
Mutanda bello at pacis haud ſunt tempora.
Turbata cum pax gentium eſt, tarde redit.

DLXXVIII.

Aliena poſcunt poßidentque plurimi;
Sed damna ſunt quæ poßident, non ſunt opes.

DLXXIX.

Damnoſa belli ſemper omnis alea eſt.
Quæ pacis ergo perdis, hæc proſunt magis,
Armata quam quæ porrigit manus tibi.
Nam porrigit plerumque. quod mox redditur,
Belloque parta poßidenti infida ſunt.

DLXXX.

Qui cogitur nil, ille qui cogit, facit.

DLXXXI.

Quicunque regnat, in mari incerto natat,
In undique infeſto ac procelloſo mari.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Obſtare vento & undæ, iter pereuntis eſt.

DLXXXII.

Ventoſa plebs ventusque ſunt ortu pares,
Sunt exituque. Non diu conſtant ſibi.

DLXXXIII.

Origo nunc eſt motuum, ararum furor,
Fax prima templum eſt: & tamen templum decet
Araſque ſedes pacis eſſe principes.

DLXXXIV.

Irasa plebs cum eſt, ira non illa, eſt furor,
Furorque & ipſis qui eſt timendus regibus.

DLXXXV.

Qui publicam rem mutat antiquam novâ,
Tironis inſtar peccat in ſtatu novo.

DLXXXVI.

Si Forte reges, Fors gubernat omnia:
Si Forte non ſint, Numen eſt quod eligit;
Et eſſe conſtat obſequendum Numini.
Eſt Numini ille adverſus, eſt qui regibus.

DLXXXVII.

Eſt quidquid annis vertitur vertentibus.
Avus quod olim vidit, haud videt nepos.
Vix ſæculi eſt res, omnium converſio.

DLXXXVIII.

Ventura curſu nemo devertit ſuo.
Ventura cauti ſed tamen prænoſcere eſt.

DLXXXIX.

Rex plebſque cum committitur, nil quam rei
Pallor rigorque publicæ morientis eſt.

DXC.

Ventura non eſt hora, mixtura omnia;
Iam venit hæc: confuſa nunc ſunt omnia.

DXCI.

Qui cuncta ſorti credit, ille non niſi eſt
Vento regendam nauta qui præbet ratem.

DXCII.

Infert geritque bella nunc, qui haud hoſtis eſt.
Die ſub omni, quolibet ſub ſidere,

Ar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Armata civem in civis eſt ferro manus.
Suis ſibique quilibet nunc hoſtis eſt.

DXCIII.

Patruoſque avoſque tempore haud noſtro ſapit
Populus nepotum; & inde non nobis manent
Patruiſque quæ riſere aviſque tempora.

DXCIV.

Neſcit vovendum quilibet: nam mille quod
Votis petitum eſt, mille mox idem improbat.

DXCV.

Neſcire ſortis improbæ vices, ſibi
Caſus ſecundos ſemper eſt promittere:
Adverſa multis ex ſecundâ naſcitur.

DXCVI.

Fuere reges, regna, turba gentium.
Fuit quod olim, vix fuiſſe jam putes;
Quodque eſt, fuiſſe vix putabunt poſteri.

DXCVII.

Hæc quæ eſſe nobis creditur prudentia,
Caligo tantum, noxque tantum illunis eſt.

DXCVIII.

Non providet ſat, quiſquis & non reſpicit.
Quæ deſeris videnda ſunt, & quæ incipis.

DXCIX.

Haud teſtis innocentis eſt victoria;
Victique ſtrages hunc nocentem non probat.
Petiturque ferro quidquid armatâ manu,
Petiturque flammis quod, petendo perditur.

DC.

Civile ferrum nil reponit gentibus
Perfoſſa præter civitatis viſcera,
Fluvios cruoris præter, oſtra principum
Calcata præter, omne præter perditum
Decus Senatus, præter & cæde in ſuâ
Populum natantem, juſque præter omnium,
Profana præter, ſacra præter omnia,
Contempta plebi. Ama id, perire qui cupis,
Tecumque tu perire qui vis omnia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Et pax , fideſque , & obſequi modeſtia ,
Sunt Barbarorum , noſtra jam non ſunt bona.

DCI.

Quicunque motus civium eſt perdit modum.
Sive ille cives impetat , ſeu principes.
Funeſta quanquam , bella quis non præferat
Externa quæ civilibus? Mors quodlibet
Civile bellum haud militis , ſed gentis eſt :
Manetque vulnus poſteris. Præſentium hoc
Plus vita quam ſaluſque genti eſt quod perit.

DCII.

Lapſurus eſt quiſquis , ſuperbus incipit.

DCIII.

Adverſa frangunt cum , ſecunda non juvant :
Secunda nec juvant , nimis cum te efferunt.

DCIV.

Miſero nocere nulla ſors unquam poteſt.
Nocere tantum ſors poteſt felicibus.

DCV.

Quæ fata dant , cape illa ; ſperne , quæ negant.

DCVI.

Diu favendo plurimos ſors decipit ;
Longo favori credere , imprudentis eſt.
Nam multa donat , una quod rapit dies.

DCVII.

Se ſit minor ſibique , major omnibus :
Ipſam id tueri poſſe magnitudinem eſt.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 G 9